


132





1225

M. TULLII CICERONIS OPERA,

CUM DELECTU COMMENTARIORUM,

IN USUM

SERENISSIMI DELPHINI.

TOMUS TERTIUS,

QUI PHILOSOPHICORUM ALTER.



PATAVII, Typis Seminarii, MDCCLIII.
Apud Joannem Manfrè.
SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.



M. TULLII CICERONIS DE DIVINATIONE.

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

QUæſtio de natura Deorum duas tanquam appendiculas habet, alteram de Divinatione, alteram de Fato, quibus adjectis demum plene perfecteque ſatisfactum ei quæſtioni videtur. Itaque Cicero eam, quæ eſt de Divinatione, duobus libris pertractavit. In primo libro inducitur Q. Frater omne Divinationis genus defendens e Stoicorum diſciplina. Duo ergo facit divinandi genera, unum artificioſum, alterum naturale; artificioſum partim conſtare ex conjectura, partim ex obſervatione diuturna: naturale, quod animus arripiat, aut excipiat extrinſecus ex divinitate, unde omnes hauſtos animos libatoſque habeamus. Artificioſæ divinationis hæc ge-

nera ponit, extispicum, eorumque qui e fulguribus omnique ostentorum genere prædicant, tum augurum, eorumque, qui signis & ominibus utantur, omneque genus conjecturale in hoc fere genere ponit. Illud autem naturale aut concitatione mentis edi, & quasi fundi videtur, cum homines per furorem vaticinantur, aut animo per somnum sensibus & curis vacuo providetur. In singulis autem generibus non tam rationibus, quam magna exemplorum copia utitur: quibus hoc effici putat, ut, quanquam eorum causæ afferri nullæ possunt, tamen quoniam acciderint, de ipsius rei veritate dubitari non possit. Quod si quædam falsa sint, quædam non ita uti prædicta sint, eveniant; tamen non esse propterea divinationem tollendam, quod, quemadmodum, ut Cratippus concludebat, oculi possint aliquando non fungi suo munere, neque tamen propterea non sit usus oculorum; sed qui vel semel ita sit usus oculis, ut vera cerneret, is haberet sensum oculorum vera cernentium: sic ad confirmandam divinationem satis esse, semel aliquid esse ita divinatum, ut id non fortuito cecidisse videatur, cap. 22. *Esse autem divinationem, præter exempla, confirmat cum consensu gentium & populorum, rerumque publicarum omnium, philosophorum etiam & poetarum*, cap. 6. 40. 41. *tum ratione hac: Si sunt Dii, neque ante declarant hominibus quæ futura sunt; aut non diligunt homines, aut quid eventurum sit ignorant, aut existimant, nil interesse hominum scire, quid futurum sit; aut non censent suæ majestatis futura hominibus præsignificare; aut ea ne significare possunt. At neque &c.* cap. 38. *Ducit autem divinationem omnem a tribus rebus, a fato, a Deo, & a natura.* Fatum *esse non id, quod superstitiose, sed physice dicatur, colligationem quandam causarum; quam qui perspiciat animo, is possit futura omnia tenere: quod cum nemo præter Deum facere possit, relinquendum esse homini, ut signis quibusdam consequentia & futura, in causis tanquam in seminibus condita, declarantibus præsentiat. Quod ad* naturam *attineat, constare, quanta sit animi vis sejuncta a corporis sensibus, qua fiat ut animi hominum, cum aut somno soluti vacent corpore, aut sua sponte furore quodam correpti moveantur, cernant ea, quæ corporibus permixti videre non possint*, cap. 55. *& seq.* ERNESTUS.

I. VE-

I. VETUS opinio eſt, jam uſque ab heroicis ducta temporibus, eaque & populi Romani & omnium gentium firmata conſenſu, verſari quandam inter homines divinationem, quam Græci μαντικὴν appellant, id eſt, præſenſionem & ſcientiam rerum futurarum. Magnifica quædam res & ſalutaris, ſi modo eſt ulla: * quaque proxime [1] ad deorum vim natura mortalis poſſit accedere. Itaque ut alia nos melius multa quam Græci, ſic huic præſtantiſſimæ rei nomen noſtri a divis, Græci, ut Plato [2] interpretatur, a furore duxerunt.

Gentem quidem nullam video, neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem tamque barbaram, quæ non ſignificari futura, & a quibuſdam intelligi, prædicique poſſe cenſeat. Principio Aſſyrii, ut ab ultimis auctoritatem repetam, propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolebant, cum cælum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, trajectiones motuſque ſtellarum obſervaverunt: quibus notatis, quid cuique ſignificaretur, memoriæ prodiderunt. Qua in natione Chaldæi, non ex artis, ſed ex gentis vocabulo nominati, diuturna obſervatione ſiderum, ſcientiam putantur effeciſſe, ut prædici poſſet, quid cuique eventurum, & quo quiſque fato natus eſſet. Eandem artem etiam Ægyptii longinquitate temporum innumerabilibus pæne ſeculis conſecuti putantur. Cilicum autem & Piſidarum gens, & his finitima Pamphylia, quibus nationibus præfuimus ipſi, volatibus avium cantibuſque, ut certiſſimis ſignis, declarari res futuras putant. Quam vero Græcia coloniam miſit in * Æoliam [3], Joniam, Aſiam, Siciliam, Italiam, ſine Pythio, aut Dodonæo, aut Hammonis oraculo? aut quod bellum ſuſceptum ab ea ſine conſilio deorum eſt?

II. Nec unum genus eſt divinationis publice privatimque cele-

* Vict. Grut. *Quæque proxima ... mortali*

1 *Quaque proxime*] Vide Turneb. Adverſ. lib. v. cap. 20.

2 *Ut Plato*] In Phædro.

* Vict. Man. *Ætoliam*,

3 *Æoliam*] Videndus & hic Turnebus, loco proxime laudato.

celebratum. Nam, ut omittam cæteros populos, noster quam multa genera complexus est? Principio, hujus urbis parens Romulus, non solum auspicato urbem condidisse, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur. Deinde auguribus & reliqui reges usi: & exactis regibus, nihil publice sine auspiciis nec domi nec militiæ gerebatur. Cumque magna vis videretur esse & in impetrandis consulendisque rebus, & in monstris interpretandis ac procurandis, in haruspicum disciplina; omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant, ne genus esset ullum divinationis, quod neglectum ab iis videretur. Et, cum duobus modis animi sine ratione, & scientia, motu ipsi suo, soluto & libero incitarentur; uno, furente; altero, somniante: furoris divinationem Sibyllinis maxime versibus contineri arbitrati, eorum decem interpretes delectos e civitate esse voluerunt. Ex quo genere sæpe ariolorum etiam & vatum furibundas prædictiones, ut Octaviano bello [4] Cornelii Culleoli, audiendas putaverunt. Nec vero somnia graviora, si quæ ad rempublicam pertinere visa sunt, a summo consilio neglecta sunt. Quin etiam memoria nostra templum Junonis Sospitæ L. Julius, qui cum P. Rutilio consul fuit, de senatus sententia refecit ex Cæciliæ, Balearici filiæ, somnio [5].

III. Atque hæc, ut ego arbitror, veteres rerum magis eventis moniti, quam ratione docti, probaverunt. Philosophorum vero exquisita quædam argumenta, cur esset vera divinatio, collecta sunt. E quibus, ut de antiquissimis loquar, Colophonius Xenophanes, unus, qui deos esse diceret, divinationem funditus sustulit. Reliqui vero omnes, præter Epicurum, balbutientem de natura deorum, divinationem probaverunt, sed non uno modo. Nam cum Socrates omnesque Socratici, Zenoque, & hi, qui ab eo essent profecti, manerent in antiquorum Philosophorum sententia, vetere Academia [6], &

4 *Octaviano bello*] Vide *Florum*, lib. III. cap. 21 9. seq. *Davisius*.

5. *Ex Cæciliæ Balearici filiæ somnio*] Hanc historiam tangit iterum noster hujusce libri cap. 44. sed eam fuse narrat *Julius Obsequens* de Prod. cap. 115. Cæcilia Metella, filia fuit Metelli, qui, devictis insulis Balearibus, Balearicus vocabatur. *Idem*.

6 *Vetere Academia, & Peripateticis consentientibus*] Sic omnes quidem nostri & aliorum Mss. Nullus tamen dubito, quin locus sit mendosus: nam *vetus Academia* nihil aliud

& Peripateticis consentientibus; cumque huic rei magnam auctoritatem Pythagoras jam ante tribuisset, qui etiam ipse augur vellet esse; plurimisque locis gravis auctor Democritus præsensionem rerum futurarum comprobaret; Dicæarchus Peripateticus cætera divinationis genera sustulit, somniorum & furoris reliquit: Cratippusque, familiaris noster, quem ego parem summis Peripateticis judico, iisdem rebus fidem tribuit, reliqua divinationis genera rejecit.

IV. Sed cum Stoici omnia fere illa defenderent, quod & Zeno in suis commentariis quasi * semina quædam sparsisset, & ea Cleanthes paulo uberiora fecisset: accessit acerrimo vir ingenio Chrysippus, qui totam de divinatione duobus libris explicavit sententiam, uno præterea de oraculis, uno de somniis: quem subsequens, unum librum Babylonius Diogenes edidit, ejus auditor: duo Antipater: quinque noster Posidonius. Sed a Stoicis [7], vel principibus ejus disciplinæ, Posidonii doctor, discipulus Antipatri, degeneravit Panætius: nec tamen ausus est negare vim esse divinandi, sed dubitare se dixit. Quod illi in aliqua re, invitissimis Stoicis, Stoico facere licuit, id, ut nos in reliquis rebus faciamus, a Stoicis non concedetur? præsertim cum id, de quo Panætio non liquet, reliquis ejusdem disciplinæ solis luce videatur clarius. Sed hæc quidem laus Academiæ, præstantissimi philosophi judicio & testimonio comprobata est.

V. Etenim nobismet ipsis quærentibus, quid sit de divinatione judicandum, quod a Carneade multa acute & copiose contra Stoicos disputata sint: verentibusque, ne temere vel falsæ rei, vel non satis cognitæ, assentiamur; faciendum videtur, ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis comparemus, ut fecimus in iis tribus libris, quos de natura deorum scripsimus. Nam cum omnibus in rebus temeritas in assentiendo, errorque turpis est, tum in eo loco maxime,

liud est quam *Socratici*, quorum supra meminit *Tullius*. Repono, *veteri Academiæ Peripateticis consentientibus*; quæ sane minima est mutatio, sensumque dat rei congruum. *Idem*.

* Lamb. *Semina eorum quædam*

7 *Sed a Stoicis, vel principibus*] Non intelligo quid velit auctor. Clarius & verius Pal. sec. *vel princeps ejus disciplinæ*: ut innuat Panætium. *Gruterus*.

xime, in quo judicandum est, quantum auspiciis rebusque divinis, religionique tribuamus. Est enim periculum, ne aut, neglectis iis, impia fraude; aut, susceptis, anili superstitione obligemur. Quibus de rebus & alias sæpe, & paulo accuratius nuper, cum essem cum Q. fratre in Tusculano, disputatum est.

VI. Nam cum ambulandi causa in Lyceum venissemus: (id enim superiori gymnasio nomen est) Perlegi, inquit ille, tuum paulo ante tertium de natura deorum: in quo disputatio Cottæ, quanquam labefactavit sententiam meam, non funditus tamen sustulit. Optime vero, inquam. Etenim ipse Cotta sic disputat, ut Stoicorum magis argumenta confutet, quam hominum deleat religionem. Tum Quintus, Dicitur quidem istuc, inquit, a Cotta, & vero sæpius: credo, ne communia jura migrare videatur: sed studio contra Stoicos disserendi, deos mihi videtur funditus tollere. Ejus orationi non sane desidero quid respondeam: satis enim defensa religio est in secundo libro a Lucilio: cujus disputatio tibi ipsi, ut in extremo tertio scribis, ad veritatem est visa propensior. Sed, quod prætermissum est in illis libris, credo quia commodius arbitratus es separatim id quæri, deque eo disseri, id est, de divinatione, quæ est earum rerum, quæ fortuitæ putantur, prædictio, atque præsensio, id, si placet, videamus, quam habeat vim, & quale sit. Ego enim sic existimo: si sint ea genera divinandi vera, de quibus accepimus, quæque colimus, esse deos: vicissimque, si dii sint, esse qui divinent.

VII. Arcem tu quidem Stoicorum, inquam, Quinte, defendis, si quidem ista sic reciprocantur; ut & si divinatio sit, dii sint, & si dii sint, sit divinatio. Quorum neutrum tam facile, quam tu arbitraris, conceditur. Nam & natura significari futura sine deo possunt: &, ut sint dii, potest fieri, ut nulla ab iis divinatio generi humano tributa sit. Atque ille, Mihi vero, inquit, satis est argumenti, & esse deos, & eos consulere rebus humanis, quod esse clara & perspicua divinationis genera judico. De quibus quid ipse sentiam, si placet, expo-

exponam; ita tamen, si vacas animo, neque habes aliquid, quod huic sermoni prævertendum putes.

Ego vero, inquam, philosophiæ [8], Quinte, semper vaco. Hoc autem tempore, cum sit nihil aliud, quod libenter agere possim, multo magis aveo audire, de divinatione quid sentias. Nihil, inquit, equidem novi, nec quod præter cæteros ipse sentiam: nam cum antiquissimam sententiam, tum omnium populorum & gentium consensu comprobatam sequor. Duo sunt enim divinandi genera; quorum alterum artis est, alterum naturæ. Quæ est autem gens, aut quæ civitas, quæ non aut extis [9] pecudum, aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut astrologorum, aut sortium, (ea enim fere artis sunt) aut somniorum, aut vaticinationum, (hæc enim duo naturalia putantur) prædictione moveatur? Quarum quidem rerum eventa magis arbitror, quam causas quæri oportere. Est enim vis & natura quædam, quæ tum observatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu inflatuque divino futura prænuntiat.

VIII. Quare omittat urgere Carneades (quod faciebat etiam Panætius) requirens, Juppiterne cornicem a læva, corvum a dextra canere jussisset. Observata sunt hæc tempore immenso, & in significatione eventus [10] animadversa & notata. Nihil est autem, quod non longinquitas temporum, excipiente memoria, prodendisque monumentis, efficere atque assequi possit. Mirari licet, quæ sint animadversa a medicis herbarum genera, quæ radicum ad morsus bestiarum, ad oculorum morbos,

8 *Ego vero philosophiæ semper vaco*] *Philosophiæ* est dandi quidem casus, quem regat verbum *vaco*, sed isto sensu, *philosophiæ causa vacuus sum*: quem sensum verba, quæ proxime supra posita sunt, postulant: *ita tamen, si vacas animo, neque habes aliquid, quod huic sermoni prævertendum putes*. Quare errant, qui, *vaco*, interpretantur, *operam navo*. Apud Tullium nusquam *vacare doctrinæ*, *literis*, pro *studere literis*, *doctrinæque se dedere*, reperias. Vavassor, *De vi & usu &c.*

9 *Quæ non aut* extis pecudum, *aut monstra aut fulgura interpretantium*] Vir Cl. *Jos. Mercerus* ad Nonium in *Extispices* acutissime legendum conjecit, *extispicum*. Ejus conjecturam firmare videatur noster lib. II. cap. II. *Artificiosa*, inquit, *divinationis illa fere genera ponebas*, extispicum, *eorumque, qui ex fulguribus ostentisque prædicerent*. Malim tamen, *quæ non aut* exta *pecudum, aut monstra, aut* &c. Similiter *exta interpretari* dixit noster infra II. 12. *Davisius*.

10 *Et in significatione eventus animadversa & notata*] Legendum videtur, *Exin significationes eventus animadversa & notata*; quod amico partim deberi lubens equidem fateor. *Idem*.

ad vulnera: quorum vim atque naturam ratio nunquam explicavit: utilitate & ars eſt & inventor probatus. Age, ea, quæ, quanquam ex alio genere ſunt, tamen divinationi ſunt ſimiliora, videamus.

[11] *Atque etiam ventos præmonſtrat ſæpe futuros*
Inflatum mare, cum ſubito, penituſque tumeſcit,
Saxaque cana, ſalis niveo ſpumata liquore,
Triſtificas certant Neptuno reddere voces:
Aut denſus ſtridor cum celſo e vertice montis
Ortus, adaugeſcit ſcopulorum ſæpe repulſu.

IX. Atque his rerum præſenſionibus prognoſtica tua referta ſunt. Quis igitur elicere cauſas præſenſionum poteſt? etſi video Boethum Stoicum eſſe conatum: qui hactenus aliquid egit, ut earum rationem rerum explicaret, quæ in mari cælove fierent. Illa vero cur eveniant, quis probabiliter dixerit?

* *Rava fulix itidem fugiens e gurgite ponti,*
Nuntiat horribiles clamans inſtare procellas,
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.
Sæpe etiam pertriſte canit de pectore carmen,
Et matutinis acredula vocibus inſtat,
Vocibus inſtat, & aſſiduas jacit ore querelas,
Cum primum gelidos rores aurora remittit.
Fuſcaque nonnunquam curſans per littora cornix
Demerſit caput, & fluctum cervice recepit.

X. Videmus hæc ſigna nunquam fere ementientia: nec tamen, cur ita fiat, videmus.

Vos quoque ſigna videtis, aquai dulcis alumnæ,
Cum clamore paratis inanes fundere voces,
Abſurdoque ſono fontes, & ſtagna cietis.

Quis eſt, qui ranunculos hoc videre ſuſpicari poſſit. Sed ineſt in rivis [12] & ranunculis natura quædam ſignificans aliquid, per

11 *Atque etiam ventos*] Arati verſus in linguam Latinam tranſlati. Extant *Διοσημείων* v. 177. Pariter Virgilius, Georg. I. 356. & ſeq. *Daviſius*.

* Vict. Man. Grut. *Cana*

12. *Sed ineſt in rivis & ranunculis*] Quam hic variant editores! Alii pro *in rivis* dant *mire*, alii *in re vis*, alii *in gyrinis*. Daviſius vero delere voluit verba *rivis &*. Equidem mihi ſatisfacio legendo, *ſed ineſt in* ravis

per se ipsa satis certa, cognitioni autem hominum obscurior.

Mollipedesque boves spectantes lumina cæli,
Naribus humiferum duxere ex aere succum.

Non quæro, cur: quoniam, quid eveniat, intelligo.

Jam vero semper viridis, semperque gravata
Lentiscus triplici solita grandescere fœtu,
Ter fruges [13] *fundens tria tempora monstrat arandi.*

Nec hoc quidem quæro, cur hæc arbor una ter floreat, aut cur arandi [14] maturitatem ad signum floris accommodet. Hoc sum contentus, quod, etiam si quo modo quidque fiat ignorem, quid fiat intelligo. Pro omni igitur divinatione idem, quod pro iis rebus, quas commemoravi, respondebo.

XI. Quid scammoneæ radix ad purgandum, quid aristolochia [15] ad morsus serpentum possit, (quæ nomen * ex inventore reperit, rem ipsam inventor ex somnio) video; quod satis est: cur possit, nescio. Sic ventorum & imbrium signa, quæ dixi, rationem quam habeant, non satis perspicio: vim & eventum agnosco, scio, approbo. Similiter, quid fissum in extis [16], quid fibra valeat, accipio: quæ causa sit, nescio. Atque horum quidem plena vita est: extis enim omnes fere utuntur. Quid? de fulgurum vi dubitare num possumus? Nonne cum multa alia mirabilia, tum illud in primis? cum Sum-

ravis etiam *ranunculis* &c. Istud *etiam* pro & ex Ms. Eliensi mutuor. *Ravæ* vero sunt raucæ & parum liquidas voces habentes, ideoque dicuntur ranunculæ esse *ravæ*, quia (ut paulo ante dicitur) *absurdo sono fontes cient*. Similiter hic in cap. 8. occurrit, *rava fulix*, & in Acad. IV. 33. olim legebatur [testante Nonio] *ravum mare*. Vide etiam Horat. Carm. III. 27. 3. *Pearcius*.

13 *Ter* fruges *fundens*] Inanis est *Joan. Harduini* (Emendat. ad Plin. lib. XVIII. II. 28.) suspicio, pro qua rescribit, *ter* flores *fundens*; nam recepta lectio a cunctis Ciceronis & Plinii præstatur exemplaribus; quin & Theophrastus, Aratus, ac Geoponicorum scriptor hac in re καρπὸν & καρποὺς adhibent. *Davisius*.

14 *Cur arandi maturitatem ad signum floris accommodet*] Ab hac lectione non abeunt aut editi codices, aut Mss. Mihi tamen, præpositione transposita, rescribendum videtur, *cur ad arandi maturitatem signum floris accommodet*; fruges enim fundens lentiscus, arandi tempus monstrare censebatur. *Idem*.

15. *Quid Aristolochia ad morsus serpentium possit .... ex somnio, video* &c.] Locus est difficilis, monente Davisio; qui, cum vox *posse* extet pene in omnibus Mss. ante vocem *video*, sic sententiam refingit, *qui aristolochia ad morsus serpentium possit? .. Posse video, quod satis est* &c. Mihi quidem olim in mentem venerat, loco quatuor verborum mutato, sic sententiam restituere, *Quid aristolochia, quæ nomen ex inventore reperit, rem ipsam inventor ex somnio, ad morsus serpentium possit, video; quod satis est* &c. *Pearcius*. Vide Victorii Var. Lect. VI. 3. Turneb. Advers. V. 20. Brodæi Miscelan. II. 2.

* Lamb. *ex inventa re*

16 *Quid fissum in extis, quid fibra valeat*] De fisso jecoris, fibraque, vide *Barn. Brissonium* Form. lib. 1. *Davisius*.

manus [17] in fastigio Jovis optimi maximi, qui tum erat fictilis, e cælo ictus esset, nec usquam ejus simulacri caput inveniretur, haruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt, idque inventum est eo loco, qui est ab haruspicibus demonstratus.

XII. Sed quo potius utar auctore, aut teste, quam te? cujus edidici etiam versus, & libenter quidem, quos in secundo [18] Consulatu Urania musa pronuntiat:

Principio atherio flammatus Juppiter igni
Vertitur, & totum collustrat lumine mundum,
Menteque divina cælum, terrasque [a] *petissit:*
Quæ penitus sensus hominum vitasque retentat,
Ætheris æterni septa atque inclusa cavernis.
Et, si stellarum motus cursusque vagantes
Nosse velis, quæ sint [19] *signorum in sede locatæ,*
Quæ verbo & falsis Grajorum vocibus errant,
Re vera certo lapsu spatioque feruntur:
Omnia jam cernes divina mente notata.
Nam primum astrorum volucres te consule motus,
Concursusque [b] *graves stellarum ardore micantes*
Tu quoque, cum tumulos [20] *Albano in monte nivales*
Lustrasti, & læto mactasti lacte Latinas,
Vidisti & claro tremulos ardore cometas,
Multaque misceri nocturna strage putasti:
Quod ferme dirum in tempus cecidere Latinæ [21],

Cum

17 *Cum summanus in fastigio Jovis optimi maximi*] Hanc historiam nonnihil immutatam, & ad alienum tempus relatam narrat vetus Scholiastes ad *Ciceronis* Catil. III. cap. 8. Quis vero fuerit *Summanus*, Ovidio Fast. VI. 731. non satis constitit. Constat tantum, huic nocturna, Jovi vero diurna fulmina tribui. Vide *Plinium* H. N. lib. II. §. 53. & *Augustinum* de Civ. Dei, IV. 23. At cum aliis, tum *Arnobio* lib. V. & lib. VI. ac *Martiano Capellæ* lib. II. idem cum Plutone numen censetur. Adi *Giraldum* Histor. Deorum, Syntagm. VI. col. 196. *Idem*.

18 *In secundo Consulatu*] Puto corrigendum, *in secundo de Consulatu*, ut subaudiatur, *libro*. P. Manutius. Gulielmius emendabat, *in secundo Consulatus*; ut error natus fuerit e compendio scripturæ. *Gruterus*.

a Petissit] vulgo *peressit*

19 Quæ *sint signorum in sede locatæ*] Puto, *quæ sint signorum in sede locatæ*, hoc est, in qua Zodiaci parte. *Davisius*.

b Lamb. *gravi*

20 *Cum tumulos Albano in monte nivales*] Cum Coss. cæterique magistratus Romani ferias Latinas celebrarent, in Albano monte fiebant sacrificia. Vide *Varronem* lib. V. L. L. §. 3. & *Dionysium* Halicarnasseum lib. IV. c. 49. *Idem*.

21 *Cecidere Latinæ*] Vulgo *cecinere*; quæ quidem lectio, si commodus inde proveniret sensus, loco movenda mihi non videretur.

Cum

Cum claram ſpeciem concreto lumine luna
Abdidit, & ſubito ſtellanti nocte perempta eſt.
Quid vero Phœbi fax, triſtis nuntia belli,
Quæ magnum ad columen [22] *flammato ardore volabat,*
Præcipites cæli partes, obituſque petesſit.
Aut cum terribili perculſus fulmine civis,
Luce ſerenanti vitalia lumina liquit:
Aut cum ſe gravido tremefecit corpore tellus.
Jam vero variæ nocturno tempore viſæ
Terribiles formæ bellum motuſque monebant:
Multaque per terras vates oracla furenti
Pectore fundebant, triſtes minitantia caſus:
Atque ea, quæ lapſu tandem cecidere vetuſto,
Hæc fore, perpetuis ſignis clariſque frequentans
Ipſe deum genitor cælo terriſque canebat.
XIII. *Nunc ea, Torquato quæ quondam, & conſule Cotta,*
Lydius ediderat Tyrrhenæ gentis haruſpex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans ſtellanti nixus Olympo
Ipſe ſuos quondam tumulos ac templa petivit,
Et Capitolinis injecit ſedibus ignes;
Tum ſpecies ex ære vetus, [c] *generataque Nattæ* [23]
Concidit, elapſæque vetuſto numine leges:
Et divum ſimulacra peremit fulminis ardor.
Hic ſilveſtris erat, Romani nominis altrix,

Mar-

Cum vero ex ea ſani nihil exſculpere queam, codicis Elienſis fidem ſum ſecutus. Sed & *Aldus* Nepos eodem modo jampridem edidit. *Idem*.

22 *Magnum ad columen*] Inſtar columnæ, ſeu ad columnæ magnitudinem, prout explicat *Turnebus* Adv. v. 20. *Idem*.

c Lamb. *generoſaque*.

23 *Generataque Nattæ*] Hunc locum quin depravaverint ſcribæ, dubium eſſe nequit. Medicinam autem illi non uno modo pararunt interpretes. Liceat etiam mihi aliquid in hanc ſymbolam conferre; ſic enim ego, ſalva virorum inſignium ſententia, Tullium noſtrum ſcripſiſſe puto:

Tum ſpecies ex ære vetus, ſacrataque *Nattæ*
Concidit .... Wopkenſ.

Pro *generataque* Muretus legit *generoſaque*, Gulielmius *venerataque*, Daviſius vero *venerandaque*. Ego nihil mutandum cenſeo: hoc enim (ut opinor) poetice locutus voluit Cicero, *Concidit Nattæ ſpecies* (ſive ſtatua) *vetus & generata ex ære*; ut eſſet *generata* idem quod confecta & formata. Sic de Leg. I. 9. dicitur Deus *hominem generaſſe*, improprie, pro creaſſe vel formaſſe: ſic e contra vox *ſatus*, quæ proprie de arboribus dicitur ad hominum pecudumque originem tranſiit in I. 42. de Divin. *quædam etiam ex hominum pecudumve conceptu & ſatu*. Pearcius.

Martia [24], *quæ parvos Mavortis ſemine natos*
Uberibus gravidis vitali rore rigabat:
Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atque avulſa pedum veſtigia liquit.
Tum quis non artis ſcripta ac monumenta volutans,
Voces triſtificas chartis promebat Etruſcis?
Omnes [d] *civili & generoſa ſtirpe profectam*
Vitare ingentem cladem peſtemque monebant:
Vel legum exitium conſtanti voce ferebant,
Templa deumque adeo flammis, urbeſque jubebant
Eripere, & ſtragem horribilem, cædemque vereri:
Atque hæc fixa gravi fato ac fundata teneri:
Ni poſt exciſum ad columen formata decore
Sancta Jovis ſpecies claros ſpectaret in ortus:
Tum fore, ut occultos populus, ſanctuſque ſenatus
Cernere conatus poſſet, ſi ſolis ad ortum
Converſa, inde patrum ſedes, populique videret.
Hæc tardata diu ſpecies, multumque morata,
Conſule te tandem celſa eſt in ſede locata:
Atque una fixi ac ſignati temporis hora,
Juppiter excelſa clarabat ſceptra columna:
At clades patriæ flamma ferroque parata,
Vocibus Allobrogum patribus populoque patebat.

XIV. *Rite igitur veteres, quorum monumenta tenetis,*
Qui populos urbeſque modo ac virtute regebant;
Rite etiam veſtri, quorum pietaſque fideſque
Præſtitit, & longe vicit ſapientia cunctos,
* *Præcipue coluere vigenti numine divos.*
Hæc adeo penitus cura videre ſagaci,
Otia qui ſtudiis læti tenuere decoris,
Inque Academia umbrifera, nitidoque Lyceo
Fuderunt claras fœcundi pectoris artes.

E qui-

24 *Martia*] Lupa, quæ Romulum Remumque nutriiſſe fertur. Hinc *Martius Lupus*, apud Livium, x. 27. Ratio nominis eſt, quod ea fera ſit Marti ſacra. Videndus auctor de Orig. gentis Romanæ, quem *Aurelium Victorem* vocant, cap. 20. Idem tradunt *Plutarchus* in Romulo, & *Servius* ad Æn. II. 335. IX. 556. *Daviſ.*

d Vict. Man. Grut. *civili generoſam*

* Man. Lamb. *Præcipue ingenti coluerunt numine*

E quibus ereptum primo jam a flore juventæ,
Te patria in media virtutum mole locavit.
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,
Quod patriæ voces studiis nobisque sacrasti.

Tu igitur animum poteris inducere contra ea, quæ a me disputantur de divinatione, dicere, qui & gesseris ea, quæ gessisti, & ea, quæ pronuntiavi, accuratissime scripseris?

Quid quæris, Carneades, cur hæc ita fiant, aut qua arte perspici possint? Nescire me fateor: evenire autem te ipsum dico videre. Casu, inquis. Itane vero? Quidquam potest casu esse factum, quod omnes habet in se numeros veritatis? Quatuor tali jacti casu Venereum [25] efficiunt: num etiam centum Venereos, si cccc talos jeceris, casu futuros putas? Adspersa temere pigmenta in tabula, oris lineamenta effingere possunt: num etiam Veneris Coæ pulchritudinem effingi posse adspersione fortuita putas? Sus rostro si humi A literam impresserit; num propterea suspicari poteris, Andromacham Ennii ab ea posse describi? Fingebat Carneades, in Chiorum lapicidinis saxo diffisso caput exstitisse Panisci. Credo, aliquam non dissimilem figuram, sed certe non talem, ut eam factam a Scopa diceres. Sic enim se profecto res habet, ut nunquam perfecte veritatem casus imitetur.

XV. At nonnunquam ea, quæ prædicta sunt, minus eveniunt. Quæ tandem id ars non habet? earum dico artium, quæ conjectura continentur, & sunt opinabiles. An medicina ars non putanda est? quam tamen multa fallunt. Quid? gubernatores nonne falluntur? An Achivorum exercitus, & tot navium rectores, non ita profecti sunt ab Ilio,

Ut profectione læti piscium lasciviam
Intuerentur, ut ait Pacuvius, *nec tuendi satietas capere posset?*
Interea prope jam occidente sole inborrescit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctisque & nimbum occæcat nigror.

Num igitur tot clarissimorum ducum regumque naufragium sustulit artem gubernandi? Aut num imperatorum scientia nihil est,

25 *Venereum efficiunt* De jactu Venerio vide *Joan. Meursium* de ludis Græc. aut *Dan. Souterii* Palameden lib. 1. cap. 26. 27. *Idem*.

est, quia summus imperator nuper fugit, amisso exercitu? Aut num propterea nulla est reipublicæ gerendæ ratio atque prudentia, quia multa Cn. Pompejum, quædam M. Catonem, nonnulla etiam te ipsum fefellerunt? Similis est haruspicum responsio, omnisque opinabilis divinatio. Conjectura enim nititur, ultra quam progredi non potest. Ea fallit fortasse nonnunquam: sed tamen ad veritatem sæpissime dirigit. Est enim ab omni æternitate repetita: in qua cum pæne innumerabiles res eodem modo evenirent iisdem signis antegressis, ars est effecta, eadem sæpe animadvertendo ac notando.

XVI. Auspicia vero vestra quam constant? quæ quidem nunc a Romanis auguribus ignorantur: (bona hoc tua venia dixerim) a Cilicibus, Pamphyliis, Pisidis, Lyciis tenentur. Nam quid ego hospitem nostrum, clarissimum atque optimum virum, Dejotarum regem commemorem? qui nihil unquam nisi auspicato gerit: qui cum ex itinere quodam proposito & constituto revertisset, aquilæ admonitus [26] volatu; conclave illud, ubi erat mansurus, si ire perrexisset, proxima nocte corruit. Itaque, ut ex ipso audiebam, persæpe revertit ex itinere, cum jam progressus esset multorum dierum viam. Cujus quidem hoc præclarissimum est, quod posteaquam a Cæsare tetrarchiæ [27] regno, pecuniaque multatus est, negat se tamen eorum auspiciorum, quæ sibi ad Pompejum proficiscenti secunda evenerint, pœnitere: senatus enim auctoritatem, & populi Romani libertatem atque imperii dignitatem suis armis esse defensam: sibique eas aves, quibus auctoribus officium & fidem secutus esset, bene consuluisse: antiquiorem enim sibi fuisse possessionibus suis gloriam. Ille mihi videtur igitur vere augurari. Nam nostri quidem magistratus auspiciis utuntur coactis. Necesse enim est, offa objecta cadere frustum ex pulli ore, cum pascitur. Quod autem scriptum habetis, aut tripudium [28] fieri, si ex ea quid in solidum ceciderit [29]: hoc quo-

26 *Aquilæ admonitus volatu*] Hoc memorat *Valerius Maximus* lib. 1. cap. 4. 2. extern. & noster infra lib. 11. cap. 8. *Idem*.

27 *Tetrarchiæ regno*] Rescribendum videtur, *tetrarchia & regno*: Dejotarus enim Trocmanorum tetrarchiam, Armeniæ vero minoris amisit regnum. *Idem*.

28 *Hinc tripudium fieri*] Vulgo *aut tripudium*, unde *Turnebus* Advers. lib. v. cap. 20. & *Lambinus* rescribendum putarunt *avi tripu-*

quoque, quod dixi coactum, tripudium solistimum dicitis. Itaque multa auguria, multa auspicia, quod Cato ille sapiens queritur, negligentia collegii amissa plane & deserta sunt.

XVI. Nihil fere quondam majoris rei, nisi auspicato, ne privatim quidem gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum auspices [30] declarant, qui, re omissa, nomen tantum tenent. Nam ut nunc extis, (quanquam id ipsum aliquanto minus, quam olim) sic tum avibus magnæ res impetriri [31] solebant. Itaque, sinistra dum non exquirimus, in dira & in vitiosa incurrimus; ut P. Claudius [32] Appii Cæci filius, ejusque collega, L. Junius, classes maximas perdiderunt, cum vitio navigassent. Quod eodem modo evenit Agamemnoni. Qui, cum Achivi cœpissent

Inter se strepere, aperteque artem obterere extispicum;
Solvere imperat secundo rumore, adversaque avi.

Sed quid vetera? M. Crasso [33] quid acciderit, videmus, dirarum obnuntiatione neglecta. In quo Appius, collega tuus, bonus augur, ut ex te audire soleo, non satis scienter virum bonum & civem egregium censor C. Atejum [34] notavit, quod

pudium. At nos auctoritati MSS. Paris. Reg. & Cantab. paruimus, cum voculam sensui convenientem suppeditarint. *Idem*.

29 *In solidum ceciderit*] Vide Barn. Brisson. lib. I. de Formulis.

30 *Nuptiarum auspices*] Hunc locum in animo habuit *Valerius Maximus* lib. II. cap. I. *Apud antiquos*, inquit, *non solum publice, sed etiam privatim, nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumpto; quo ex more nuptiis etiamnum auspices interponuntur. Qui quamvis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpant*. Vide *Servium* ad *Virgilii* Æn. I. 350. IV. 45. & *J. C. Bulengerum* de Aug. & Ausp. lib. III. cap. 13. *Idem*.

31 *Sic tum avibus magnæ res* impetriri *solebant*] Ita sine dubio legendum est, non ut antea, *impertiri*. Est autem *impetriri* vetus augurale verbum, quod idem *Cicero* usurpat lib. II. de Divin. cap. 15. *Qui evenit*, inquit, *ut is, qui impetrire velit, convenientem hostiam rebus suis immolet?* Et *Plautus* in Asin. Act. II. Sc. I. II.

Impetritum, *inauguratum est: quovis admittunt aves*.

Restituendus est etiam locus ille apud *Valerium* lib. I. cap. I. *Prisco etiam instituto rebus divinis opera datur, cum aliquid commendandum est, precatione; cum exposcendum, voto: .... cum inquirendum vel extis vel sortibus, impetrito*: non ut vulgo legitur, *impertito*. Quod autem hoc ipso in libro legitur *impetrandis consulendisque rebus*; malim legere *impetriendis*, quam *impetrandis*. Diversa enim sunt *impetrire* & *impetrare*: non enim *Festus*, sed, opinor, *Paulus* illud scripsit, *impetritum, impetratum*. P. Manutius. Vide *Hotomannum*, Observ. lib. IV. cap. 3. & lib. VI. cap. II.

32 *P. Claudius .... L. Junius*] Bello Punico primo. Rem memorant scriptores bene multi. Præter historicos vide nostrum de Nat. D. lib. II. cap. 2. *Valerium Maximum* lib. I. cap. 4. 3. & *Minucium Felicem* cap. 7. 26. *Davisius*.

33 *M. Crasso quid acciderit*] Crassus, ut notum, a Parthis est interfectus, ejusque copiæ miserabili clade deletæ. *Idem*.

34 *C. Atejum*] Ita sine dubio legendum est,

ementitum auſpicia ſubſcripſerit. Eſto: fuerit hoc cenſoris, ſi judicabat ementitum. At illud minime auguris, quod adſcripſit, ob eam cauſam populum Romanum calamitatem maximam cepiſſe. Si enim ea cauſa calamitatis fuit: non in eo eſt culpa, qui obnuntiavit; ſed in eo, qui non paruit. Veram enim fuiſſe obnuntiationem, ut ait idem augur & cenſor, exitus approbavit. Quæ ſi falſa * fuiſſent, nullam afferre potuiſſent cauſam calamitatis. Etenim diræ [35], ſicut cætera auſpicia, ut omina, ut ſigna, non cauſas afferunt, cur quid eveniat, ſed nuntiant eventura, niſi provideris. Non igitur obnuntiatio Ateji cauſam finxit calamitatis, ſed ſigno objecto monuit Craſſum, quid eventurum eſſet, niſi caviſſet. Ita aut illa obnuntiatio nihil valuit: aut ſi, ut Appius judicat, valuit, id valuit, ut peccatum hæreat, non in eo, qui monuerit; ſed in eo, qui non obtemperarit.

XVII. Quid? lituus iſte veſter, quod clariſſimum eſt inſigne auguratus, unde vobis eſt traditus? nempe eo Romulus regiones direxit tum, cum urbem condidit. Qui quidem Romuli lituus, (id eſt incurvum [36] & leviter a ſummo inflexum bacillum, quod ab ejus litui, quo canitur, ſimilitudine nomen invenit)

venit)

eſt, non, ut antea, *Æthrium*; cum de *Ateio* Plutarchus in Craſſo mentionem faciat, & Dio lib. xxxix. C. *Ateium Capitonem* nominet. Facile autem crediderim eum eſſe, quem *Cicero* appellat lib. XIII. Fam. epiſt. 29. his verbis: C. *Atejo Capitone familiariſſime utor*. Ætheiorum gentem inter Romanas nondum inveni. *P. Manutius*.

* Lamb. *fuiſſet... potuiſſet*

35 *Etenim diræ*] A'ρὰι. Vulgo *diræ*: nos autem, jubente re ipſa, conjecturam recepimus *Turnebianam*. Vide lib. v. Adverſ. c. 20. *Daviſius*.

36 *Id eſt incurvum... nomen invenit*] Hæc verba primus gloſſematis damnavit *Juſt. Lipſius* Var. Lect. lib. 1. cap. 20. quoniam non modo *Cicero*, ſed vulgus, & pene pueri, quid eſſet lituus, tum temporis probe noverant. Mihi tamen haud ita firma claraque videtur hæc ratio, ut rem in aperta luce collocet. Nam, ne memorem de ſolo Romuli lituo hic agi, licet M. *Ciceronem* augurem lituo frequenter uſum, Q. frater alloquatur; ea miſcere, quæ *Tullium* non fugerunt, haud erat importunum: ſiquidem liber in lectorum gratiam fuit editus. Nec forte litui forma cunctis innotuit; eum enim *Livius* etiam deſcribendum putavit. *Augur*, inquit ille lib. 1. c. 18.... *baculum ſine nodo aduncum tenens, quem* lituum *appellaverunt*. Præterea latinitas eſt elegantior, quam ferre ſolet librariorum captus; quapropter ab ipſius *Ciceronis* manu fuiſſe præfracte non negarim. Utcunque ſe res habeat, huc facit *Macrobii* locus Saturn. lib. vi. c. 8. *Poſſe quæri animadvertimus, utrum a tuba lituus auguralis appelletur, an tuba a lituo augurum lituus dicta ſit; utrumque enim pari forma & pariter in capite incurvum eſt. Sed ſi, ut quidam putant, tuba a ſonitu* lituus *appellata eſt.... neceſſe eſt, ut virga auguralis a tubæ ſimilitudine* lituus *vocetur*. Id quod aperte ſtatuit ſive noſter, ſive Gloſſographus. *Idem*.

venit) cum ſitus eſſet in curia Saliorum [37] , quæ eſt in Palatio , eaque deflagraviſſet , inventus eſt integer .

Quid multis annis poſt Romulum , Priſco regnante Tarquinio ? quis veterum ſcriptorum non loquitur , quæ ſit ab Attio Navio per lituum regionum facta deſcriptio ? qui cum propter paupertatem ſues puer paſceret , una ex his amiſſa , voviſſe dicitur , ſi recuperaſſet , uvam ſe deo daturum , quæ maxima eſſet in vinea . Itaque ſue inventa , ad meridiem ſpectans in vinea media dicitur conſtitiſſe : cumque in quatuor partes vineam diviſiſſet , treſque partes aves abdixiſſent , quarta parte , quæ erat reliqua , in regiones diſtributa , mirabili magnitudine uvam , ut ſcriptum videmus , invenit . Qua re celebrata , cum vicini omnes ad unum de rebus ſuis referrent , erat in magno nomine & gloria . Ex quo factum eſt [38] , ut eum ad ſe rex Priſcus arceſſeret . Cujus cum tentaret ſcientiam auguratus , dixit ei ſe cogitare quiddam : id poſſetne fieri , conſuluit . Ille , augurio acto , poſſe reſpondit . Tarquinius autem dixit ſe cogitaſſe , cotem novacula poſſe præcidi . Tum Attium juſſiſſe experiri . Ita cotem in comitium allatam , inſpectante & rege & populo , novacula eſſe diſciſſam . Ex eo evenit , ut & Tarquinius augure Attio Navio uteretur , & populus de ſuis rebus ad eum referret . Cotem autem illam & novaculam defoſſam in comitio , ſupraque impoſitum [39] puteal accepimus . Negemus omnia : comburamus annales : ficta hæc eſſe dicamus : quidvis denique potius , quam deos res humanas curare fateamur .

Quid ? quod apud te [40] ſcriptum eſt de Tib. Graccho , nonne & augurum & haruſpicum comprobat diſciplinam? qui cum tabernaculum vitio cepiſſet imprudens , quod inauſpicato po-

37 *Cum ſitus eſſet in curia Saliorum*] Valerius Maximus lib. 1. c. 8. 11. *Deuſto ſacrario Saliorum , nihil in eo præter lituum Romuli integrum repertum eſt* . Rem ſuſe narrat *Plutarchus* in Camillo . *Idem* .

38 *Ex quo factum eſt , ut eum ad ſe rex Priſcus arceſſeret*] Revera cum Tarquinius equitum centuriis , quas Romulus ſcripſerat , alias adjicere vellet , & id Attius Navius , augur , niſi aves addixiſſent , fieri prohiberet ; ira regi mota eſt , eludenſque artem interrogavit , *poſſetne fieri , quod ipſe mente conceperat ?* Hinc *Ciceronem* memoria lapſum patet . Vide *Livium* I. 36. *Dionyſium Halicarnaſſenſem* III. 71. *Valerium Maximum* I. 4. & *Lactantium* Div. Inſt. II. 7. *Idem* .

39 *Supraque impoſitum puteal accepimus*] Adi *Cl. Salmaſium* Exercit. Plin. p. 1138. edit. Pariſ. *Idem* .

40 *Apud te ſcriptum eſt de Tib. Graccho*] Lib. II. de Nat. D. cap. 4.

mœrium transgressus esset : comitia consulibus rogandis habuit . Nota res est , & a te ipso mandata monumentis . Sed & ipse augur Tib. Gracchus auspiciorum auctoritatem confessione errati sui comprobavit , & haruspicum disciplinæ magna accessit auctoritas , qui recentibus comitiis in senatum introducti , negaverunt justum comitiorum rogatorem fuisse .

XVIII. Iis igitur assentior , qui duo genera divinationum esse dixerunt: unum, quod particeps esset artis; alterum, quod arte careret . Est enim ars in iis , qui novas res conjectura persequuntur , veteres observatione didicerunt . Carent autem arte ii , qui non ratione , aut conjectura observatis , ac notatis signis , sed concitatione quadam animi , aut soluto liberoque motu futura præsentiunt . Quod & somniantibus sæpe contingit , & nonnunquam vaticinantibus per furorem : ut Bacis [41] Bœotius , ut Epimenides Cres , ut Sibylla Erythræa . Cujus generis oracula etiam habenda sunt , non ea, quæ æquatis sortibus ducuntur , sed illa , quæ instinctu divino afflatuque funduntur : etsi ipsa sors contemnenda non est , si & auctoritatem habet vetustatis , ut eæ sunt sortes , quas e terra editas accepimus : quæ tamen ductæ , ut in rem apte cadant, fieri credo posse divinitus. Quorum omnium interpretes , ut grammatici poetarum , proxime ad eorum , quos interpretantur , divinationem videntur accedere .

Quæ est igitur ista calliditas , res vetustate robustas calumniando velle pervertere ? Non reperio causam . Latet fortasse obscuritate involuta naturæ : non enim me deus ista scire , sed his tantummodo uti voluit . Utar igitur , nec adducar , ut rear , aut in extis totam Etruriam delirare , aut eandem gentem in fulguribus errare , aut fallaciter portenta interpretari , cum terræ sæpe fremitus , sæpe mugitus , sæpe motus multa nostræ reipublicæ , multa cæteris civitatibus gravia & vera

41 *Ut Bacis Bœotius*] *Clemens Alexandrinus* in I. Στρωμ. p. 398. Χρησμολόγοι παρ' Ἕλλησι συχνοὶ γεγονέναι φέρονται , ὡς οἱ Βάκιδες , ὁ μὲν Βοιώτιος , ὁ δὲ Ἀρκὰς , πολλὰ πολλοῖς προκατηγορευκότες . Τῇ δὲ τῶν Ἀθηναίων Ἀμφιλύτου συμβουλῇ καὶ Πεισίστρατος ἐκράτυνε τὴν τυραννίδα , τὸν καιρὸν τῆς ἐπιθέσεως δηλώσαντος . Σιγάσθω γὰρ Κομήτης ὁ Κρὴς , Κινύρας ὁ Κύπριος , Ἄδμητος ὁ Θετταλὸς , Ἀρισταῖος ὁ Κυρηναῖος , Ἀμφιάραος ὁ Ἀθηναῖος &c. *Ursinus* . Revera tres fuere Bacides . Vide Scholiasten ad *Aristophanis* Pacem vers. 1071. & Interpretes ad *Æliani* V. H. xii. 35. *Idem.*

vera prædixerint. Quid? qui irridetur, partus hic mulæ [42], nonne quia fœtus exstitit in sterilitate naturæ, prædictus est ab haruspicibus incredibilis partus malorum? Quid? Tib. Gracchus, P. filius, qui bis consul & censor fuit, idemque & summus augur, & vir sapiens, civisque præstans; nonne (ut C. Gracchus, filius ejus, scriptum reliquit) duobus anguibus domi comprehensis, haruspices convocavit? qui cum respondissent, si marem emisisset, uxori brevi tempore esse moriendum; si fœminam, ipsi: æquius esse censuit, se maturam [43] oppetere mortem, quam P. Africani filiam adolescentem. Fœminam emisit: ipse paucis post diebus est mortuus.

XIX. Irrideamus haruspices: vanos, futiles esse dicamus: quorumque disciplinam & sapientissimus vir, & eventus ac res comprobavit, contemnamus. Contemnamus etiam Babylonios, & eos, qui e Caucaso cæli signa servantes, numeris & motibus [44], stellarum cursus persequuntur. Condemnemus, inquam, hos aut stultitiæ, aut vanitatis, aut * imprudentiæ, qui CCCCLXX [45] millia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis com-

42 *Partus hic mulæ*] Mulæ partus semper inter prodigia fuit habitus, quia res solito rerum ordine fieri non posse credebatur. Ratio est διὰ τὸ ἄσπερμον εἶναι τὸ ζῷον, ut tradit *Artemidorus* Oneir. lib. II. cap. 12. Vel idcirco mulæ non pariunt, quod *e duobus diversis generibus nata non gignunt in omni animalium genere*, si *Plinio* fides lib. VIII. H. N. cap. 44. Plura videsis apud *Aristotelem* de Gener. Anim. lib. II. cap. 8. & *Ælianum* Hist. anim. lib. XII. cap. 16. *Quidam vero non dissimulandi auctores, ut M. Varro & ante eum Dionysius ac Mago, prodiderunt mularum fœtus regionibus Africæ adeo non prodigiosos haberi, ut tam familiares sint incolis partus earum, quam sint nobis equarum*. Verba sunt *Columellæ* lib. VI. cap. 37. *Idem*

43 *Se maturam oppetere mortem*] Hic omnino legendum, *se maturum oppetere mortem*. Alioqui sensus exurgit incommodus: nam tum demum Tib. Gracchus, se, quam P. Africani filiam adolescentem, maturam oppetere mortem, æquius censeret. Quasi mors adolescentis *matura* dici posset! Vide *Cl. Salmasium* Exerc. Plin. p. 1118. At *adolescenti* recte *maturus* opponitur. De re ipsa vide Plutarchum in Gracchis. Eadem narrant *Valerius Maximus* lib. IV. c. VI. I. *Plinius* H. N. lib. VII. cap. 36. *Aur. Victor* de viris Illustr. cap. 57. & noster infra lib II. cap. 29. *Idem*.

44 *Numeris* & motibus *stellarum cursus persequuntur*] Quibus quæso *motibus* stellarum cursus persequuntur hi viri? Permultum fallor, aut reponendum, *numeris stellarum cursus* & motus *persequuntur*. Geminus germanus est locus infra lib. II. cap. 6. *Solis defectiones, itemque lunæ prædicuntur in multos annos ab iis, qui siderum* cursus & motus numeris persequuntur. *Idem*.

* Lamb. *impudentiæ*

45 CCCCLXX. *millia*] Sæpe mihi in ejusmodi literis observatus error facile persuadet, ut legendum potius existimem CCCLↃↃↃ. & deleatur *millia*: nam CCCLↃↃↃ. valet centum millia. Quo de genere in nostris in epist. ad Atticum commentariis & satis copiose, & primi, ut opinor, disputavimus. *P. Manutius*. In manuscripto est CCLↃↃ. annorum. Puto autem rectum esse CIↃ. IↃↃↃ. *annorum*. Ursinus. Frustra sunt *Paulus*

comprehensa continent, & mentiri judicemus, nec seculorum reliquorum judicium, quod de ipsis futurum sit, pertimescere.

Age, Barbari vani atque fallaces: num etiam Grajorum historia mentita est? Quæ Crœso Pythius Apollo, ut de naturali divinatione dicam, quæ Atheniensibus, quæ Lacedæmoniis, quæ Tegeatis, quæ Argivis, quæ Corinthiis responderit, quis ignorat? Collegit innumerabilia oracula Chrysippus, nec ullum sine locuplete auctore atque teste: quæ quia nota tibi sunt, relinquo. Defendo unum hoc. Nunquam illud oraculum Delphis tam celebre & tam clarum fuisset, neque tantis donis refertum omnium populorum atque regum; nisi omnis ætas illorum oraculorum veritatem esset experta. Jamdiu idem non facit. Ut igitur nunc minore gloria est, quia minus oraculorum veritas excellit: sic tum, nisi summa veritate, in tanta gloria non fuisset. Potest autem vis illa terræ, quæ mentem Pythiæ divino afflatu concitabat, evanuisse vetustate, ut quosdam exaruisse amnes, aut in alium cursum contortos & deflexos videmus. Sed, ut vis [46], acciderit: magna enim quæstio est: modo maneat id, quod negari non potest, nisi omnem historiam perverterimus, multis seculis verax fuisse id oraculum.

XX. Sed omittamus oracula: veniamus ad somnia. De quibus disputans Chrysippus, multis & minutis somniis colligendis facit idem, quod Antipater, ea conquirens, quæ Antiphontis interpretatione explicata, declarant illa quidem acumen interpretis; sed exemplis grandioribus decuit uti. Dionysii mater, ejus, qui Syracusiorum tyrannus fuit, ut scriptum apud Philistum est, & doctum hominem, & diligentem, & æqualem temporum illorum, cum prægnans hunc ipsum Dionysium alvo contineret, somniavit se peperisse Satyriscum. Huic

lus Manucius & *Fulv. Ursinus*, qui mutandos hosce numeros censuere. Quamvis enim futilem prorsus & vanam horum jactantiam esse scimus; recta tamen est lectio recepta; rem enim ita se habere prædicabant Chaldæi. *Lactantius* Div. Instit. lib. VII. cap. 14. *Secuti fortasse Chaldæos, qui, ut Cicero tradidit in libro de Divinatione primo* (ad hunc ipsum locum respicit) quadringenta septuaginta millia *annorum monumentis comprehensa se habere delirant*. Quin & idem numerus servatur infra lib. II. cap. 46. *Davisius*.

46 *Sed, ut vis, acciderit*] In manuscripto est, *ut ut vis acciderit*. Ursinus.

Huic interpretes portentorum, qui Galeotæ [47] tum in Sicilia nominabantur, reſponderunt, (ut ait Philiſtus) eum, quem illa peperiſſet, clariſſimum Græciæ diuturna cum fortuna fore.

Num te ad fabulas revoco, vel noſtrorum, vel Græcorum poetarum? Narrat enim & apud Ennium Veſtalis illa [48]:

Excita cum tremulis anus attulit artubu' lumen,
Talia commemorat lacrymans, exterrita ſomno:
Eurydica prognata, pater quam noſter amavit,
Vires vitaque corpu' meum nunc deſerit omne.
Nam me viſus homo pulcher per amœna ſalicta
Et ripas raptare, locoſque novos. Ita ſola
Poſt-illa, germana ſoror, errare videbar,
Tardaque veſtigare, & quærere te, neque poſſe
Corde capeſſere: Semita nulla pedem ſtabilibat.
Exin compellare pater me voce videtur
His verbis: O gnata, tibi ſunt ante [49] *gerendæ*
Ærumnæ: poſt ex fluvio fortuna reſiſtet.
Hæc effatu' pater, germana, repente receſſit,
Nec ſeſe dedit in conſpectum corde cupitus:
Quanquam multa [50] *manus ad cæli cærula templa*
Tendebam lacrymans, & blanda voce vocabam.
Vix, ægro tum corde meo, me ſomnu' reliquit.

XXI. Hæc, etiamſi ficta ſunt a poeta, non abſunt tamen a conſuetudine ſomniorum. Sit ſane etiam illud commentitium quo Priamus eſt conturbatus,

Quia mater gravida parere ſe ardentem facem
Viſa eſt in ſomnis Hecuba: quo facto pater
Rex ipſe Priamus, ſomnio mentis metu [51]

Per-

47 *Galeotæ*] Hi portentorum interpretes videntur ſui nominis originem debere voci Hebraicæ גלה, quæ ſignificat *revelavit*. Pearcius.

48 *Veſtalis illa*] Probabilis eſt *Hieronymi Columnæ* conjectura, cui placet *Veſtalis Ilia*. Ad illam certe ſtabiliendam conſpirant loci circumſtantiæ, quemadmodum fuſe docet vir ille doctiſſimus ad Fragm. *Ennii* p. 123. *Daviſius*.

49 *Tibi ſunt ante gerendæ ærumnæ*] Malim, *tibi ſunt ante* ferendæ *ærumnæ*. Idem.

50 *Multa manus*] Hic, noto ſatis Helleniſmo, *multa* valet multum. *Virgilius* Georg. III. 226.

Multa *gemens ignominiam, plagaſque ſuperbi*
Victoris. Idem.

51 *Mentis metu perculſus*] Lambinus *mentem*. Sed contra MSſ. Neque erat neceſſe: nam *mentis perculſus* dictum, ut Terentio *perculſus animi*. Gulielmius.

Perculsus, curis sumptus [52] *suspirantibus*
Exsacrificabat hostiis balantibus.
Tum conjectorem postulat, pacem petens,
Ut se edoceret obsecrans Apollinem,
Quo sese vertant tantæ sortes somnium.
Ibi ex oraclo [53] *voce divina edidit*
Apollo; puerum, primus Priamo qui foret
Post illa natus, temperaret tollere:
Eum esse exitium Trojæ, pestem Pergamo.

Sint hæc, ut dixi, somnia fabularum: hisque adjungatur etiam Æneæ somnium: quod in Numerii Fabii Pictoris Græcis annalibus ejusmodi est, ut omnia, quæ ab Ænea gesta sunt, quæque illi acciderunt, ea fuerint, quæ ei secundum quietem visa sunt.

XXII. Sed propiora videamus. Cujusnam modi est Superbi Tarquinii somnium, de quo in Bruto Accii [54] loquitur ipse?

Cum jam quieti corpus nocturno impetu
Dedi, sopore placans artus languidos;
Visus est in somnis pastor ad me appellere
Pecus lanigerum eximia pulchritudine:
Duos consanguineos arietes inde eligi,
Præclarioremque alterum immolare me:
Deinde ejus germanum cornibus connitier
In me arietare, eoque ictu me ad casum dari:
Exin prostratum terra, graviter saucium,
Resupinum, in cælo contueri maximum,
Ac mirificum facinus; dextrorsum orbem flammeum
Radiatum solis liquier [55] *cursu novo.*

Ejus

52 *Curis sumptus suspirantibus*] Vulgati, *sumptis*: sed *sumptus* est in manuscripto, hoc est, corruptus, vel, quod melius puto, consumptus; ut simplex sit pro composito. *Ursinus*.

53 *Ibi ex oraclo* voce divina *edidit*] Legendum videtur, *ex oraclo* vocem divinam *edidit*, quemadmodum diserte repræsentat Eliens. Vide *Phædrum* lib. 1. Fab. XII. 12. & *Agellium* XII. 5. *Davisius*.

54 *De quo in Bruto Accii loquitur ipse*] Fabulam Accii, cui *Bruto* nomen esset, significat; quam & ludis Apollinaribus, qui M. Bruti absentis nomine facti fuere, actam, intelligi potest de prima Philippica. *Camerarius*.

55 *Liquier cursu novo*] *Linquier*, *Grutero* rectius videtur. Ego tamen, ut verum fatear, nec in hac, nec in illa lectione sensum video commodum. Forte rescribendum, *nitier cursu novo*, quod valet ire, vel incedere. Vide *Servium* ad *Virgilii* Æn. II. 380. & *Nonium* in *niti*. Davisius.

Ejus igitur somnii a conjectoribus quæ sit interpretatio facta, videamus.

Rex, quæ in vita usurpant homines, cogitant, curant, vident,
Quæque agunt vigilantes, agitantque, ea si cui in somno accidunt,
Minus mirum est: sed in re tanta haud temere improviso offerunt;
Proin vide, ne, quem tu esse hebetem deputes, æque ac pecus,
Is sapientia munitum pectus egregium gerat,
Teque regno expellat. Nam id quod de sole ostentum est tibi,
Populo commutationem rerum portendit fore
Perpropinquam. Hæc bene verruncent populo. Nam quod ad dexteram
Cœpit cursum ab læva signum præpotens; pulcherrime
Auguratum est, rem Romanam publicam summam fore.

XXIII. Age nunc ad externa redeamus. Matrem Phalaridis scribit Ponticus Heraclides, doctus vir, auditor & discipulus Platonis, visam esse videre in somniis simulacra deorum, quæ ipsa [56] Phalaris domi consecravisset: ex his Mercurium e patera, quam dextra manu teneret, sanguinem visum esse fundere: qui cum terram attigisset, refervescere videretur sic, ut tota domus sanguine redundaret. Quod matris somnium immanis filii crudelitas comprobavit. Quid ego, quæ Magi Cyro illi principi interpretati sunt, ex Dinonis Persicis [57] libris proferam? Nam cum dormienti ei sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustra appetivisse manibus, cum se convolvens sol elaberetur, & abiret: ei Magos dixisse, (quod genus sapientum & doctorum habebatur in Persis) ex triplici appeti-

[56] *Quæ ipsa Phalaris*] Revocavi quod erat in Pal. pr. sec. & membranis S. Victoris; nam Pithœi liber & Marsi editio non habent vocem tertiam. Vulgati, *Phalaridis*. Et vero si alii adhuc codices ea voce careant, abjiciatur. *Gruter.* Legendum credo, *quæ* ipse *Phalaris*. Davisius.

[57] *Persicis* libris *proferam*] Media vox manifestarium est glossema, prout ante me viderunt *Jan. Gulielmius* & *Joan. Clericus*: quapropter eam duximus expungendam. Certe *Dinonis*, non Βίβλοι Περσικὰ, sed τὰ Περσικὰ laudant *Athenæus*, *Diogenes Laertius*, & alii. *Idem*.

tione solis, XXX annos Cyrum regnaturum esse, portendi: quod ita contigit: nam ad septuagesimum pervenit, cum XL natus annos regnare cœpisset.

Est profecto quiddam etiam in barbaris gentibus præsentiens atque divinans: siquidem ad mortem proficiscens Calanus Indus, cum adscenderet in rogum ardentem, O præclarum discessum, inquit, e vita, cum, ut Herculi contigit, mortali corpore cremato, in lucem animus excesserit! Cumque Alexander eum rogaret, si quid vellet, ut diceret: Optime, inquit; propediem te videbo. Quod ita contigit. Nam Babylone paucis post diebus Alexander est mortuus. Discedo parumper a somniis: ad quæ mox revertar. Qua nocte templum Ephesiæ Dianæ deflagravit, eadem constat ex Olympiade natum esse Alexandrum, atque ubi lucere cœpisset, clamitasse Magos pestem ac perniciem Asiæ proxima nocte natam. Hæc de Indis, & Magis. Redeamus ad somnia.

XXIV. Annibalem Cælius scribit, cum columnam auream, quæ esset in fano Junonis Laciniæ [58], auferre vellet, dubitaretque, utrum ea solida esset, an extrinsecus inaurata, perterebravisse: cumque solidam invenisset, statuisse tollere: ei secundum quietem visam esse Junonem prædicere, ne id faceret, minarique, si id fecisset, se curaturam, ut eum quoque oculum [59], quo bene videret, amitteret: idque ab homine acuto non esse neglectum. Itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam curasse faciendam, & eam in summa collocavisse.

Hoc idem [60] in Sileni, quem Cælius sequitur, Græca historia est: is autem diligentissime res Annibalis persecutus est: Anni-

58 *Columnam auream, quæ esset in fano Junonis Laciniæ*] Plerique codices, *Liciæ*, *Lyciæ*, vel *Luciæ*; quapropter *Gulielmius* reponendum conjecit, *quæ esset in fano Junonis Lucinæ*. Præterquam vero quod in hujusmodi narratione *templum Junonis Lucinæ* memorare, loco ubi situm esset omisso, prorsus est absurdum; *columnam auream solidam in Junonis* Laciniæ *templo sacratam* fuisse constat ex *Livii* lib. XXIV. cap. 3. adeoque vulgata lectio non est tentanda. *Idem*.

59 *Eum quoque oculum, quo bene videret*] Annibalem μονόφθαλμον fuisse liquet ex *Polybii* lib. III. cap. 79. *Livii* lib. XXII. cap. 2. Scholiaste *Juvenalis* ad Satyr. X. 158. aliisque quam plurimis. *Idem*.

60 *Hoc idem in Sileni*] Legendum videtur, *item*, vel *itidem*, uti *Lambinus* etiam conjecit: non enim ad superiorem, sed ad proxime sequentem refertur historiam. *Idem*.

Annibalem, cum cepisset Saguntum, visum esse in somnis a Jove in deorum concilium vocari: quo cum venisset, Jovem imperasse, ut Italiæ bellum inferret, ducemque ei unum e concilio datum: quo illum utentem, cum exercitu progredi cœpisse: tum ei ducem illum præcepisse, ne respiceret: illum autem id diutius facere non potuisse, elatumque cupiditate respexisse: tum visam belluam vastam & immanem, circumplicatam serpentibus, quacumque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere: & eum admiratum quæsisse de deo, quodnam illud esset tale monstrum: & deum respondisse, vastitatem esse Italiæ: præcepisseque, ut pergeret protinus: quid retro atque a tergo fieret, ne laboraret.

Apud Agathoclem scriptum in historia est, Hamilcarem Carthaginiensem [61], cum oppugnaret Syracusas, visum esse audire vocem, se postridie cœnaturum Syracusis. Cum autem is dies illuxisset, magnam seditionem in castris ejus inter Pœnos & Siculos milites esse factam: quod cum sensissent Syracusani, improviso eos in castra irrupisse, Hamilcaremque ab iis vivum esse sublatum. Ita res somnium comprobavit. Plena exemplorum est historia, tum referta vita communis.

At vero P. Decius ille, Q. F. qui primus e Deciis consul fuit, cum esset tribunus militum, M. Valerio, A. Cornelio consulibus, a Samnitibusque premeretur noster exercitus; cum pericula præliorum iniret audacius, moneretur que, ut cautior esset, dixit, quod exstat in annalibus: sibi in somnis visum esse, cum in mediis hostibus versaretur, occidere cum maxima gloria. Et tum quidem incolumis exercitum obsidione liberavit. Post triennium autem cum consul esset, devovit se, & in aciem Latinorum irrupit armatus: quo ejus facto superati sunt & deleti Latini. Cujus mors ita gloriosa fuit, ut eandem concupisceret filius. Sed veniamus nunc, si placet, ad somnia philosophorum.

XXV. Est apud Platonem Socrates, cum esset in custodia publica, dicens Critoni suo familiari, sibi post tertium diem

 esse

61 *Carthaginiensem*] Si Vossium audias, lege *Carthaginensem*, ut admonuimus Tom. I. p. 549.

esse moriendum: vidisse se in somnis pulchritudine eximia fœminam, quæ se nomine appellans diceret Homericum quendam ejusmodi versum:

Tertia te Phthiæ [62] *tempestas læta locabit.*

Quod ut est dictum, sic scribitur contigisse. Xenophon Socraticus (qui vir, & quantus!) in ea militia, qua cum Cyro minore perfunctus est, sua scribit somnia; quorum eventus mirabiles exstiterunt. Mentiri Xenophontem, an delirare dicemus? Quid singulari vir ingenio Aristoteles, & pæne divino? Ipsene errat? an alios vult errare? cum scribit, Eudemum Cyprium familiarem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras venisse; quæ erat urbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur. In eo igitur oppido ita graviter ægrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderent. Ei visum esse in quiete egregia facie juvenem dicere, fore ut perbrevi convalesceret, paucisque diebus interiturum Alexandrum tyrannum; ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. Atque ita quidem prima statim scribit Aristoteles consecuta; & convaluisse Eudemum; & ab uxoris fratribus interfectum tyrannum: quinto autem anno exeunte, cum esset spes ex illo somnio, in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, prœliantem eum ad Syracusas occidisse. Ex quo ita illud somnium esse interpretatum, ut, cum animus Eudemi e corpore excesserit, tum domum revertisse videatur.

Adjungamus philosophis doctissimum hominem, poetam quidem divinum, Sophoclem: qui, cum ex æde Herculis patera aurea gravis surrepta esset, in somnis vidit ipsum deum dicentem, qui id fecisset. Quod semel ille iterumque neglexit. Ubi idem sæpius, adscendit in Areopagum: detulit rem.

Areo-

62 *Tertia te Phthiæ tempestas* &c.] Versus est apud *Homerum* Iliad. I. 363. & profertur ab Achille hoc modo:

Ἤματί κεν τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην.

Phthia autem urbs in Thessalia; Achillis patria: quæ quid commune habeat cum morte, & qua ratione Socrates hoc versu præmoneatur se tertio die moriturum, quæsitum est. Qua de re cum ego & *Simeo Bosius* loqueremur, dixit, quod & mihi venerat in mentem, per *Phthiam* mortem & interitum significari, spectata vi nominis, quod videtur ortum a verbo φθίνω & φθίω, quod valet intereo, consumor, corrumpor. *Lambinus*.

Areopagitæ comprehendi jubent eum, qui a Sophocle erat nominatus. Is, quæstione habita, confessus est, pateramque retulit. Quo facto, fanum illud Indicis [63] Herculis nominatum est.

XXVI. Sed quid ego Græcorum? Nescio quo modo me magis nostra delectant. Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Cælius [64]. Cum bello Latino ludi votivi maximi primum fierent, civitas ad arma repente est excitata. Itaque ludis intermissis instaurativi constituti sunt. Qui antequam fierent, cumque jam populus consedisset, servus per circum, cum virgis cæderetur, furcam ferens ductus est. Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire, qui diceret, præsultorem [65] sibi non placuisse ludis, idque ab eodem jussum esse eum senatui nuntiare: illum non esse ausum. Iterum esse idem visum, & monitum, ne vim suam experiri vellet: ne tum quidem esse ausum. Exin filium ejus esse mortuum. Eandem in somniis admonitionem fuisse tertiam. Tum illum etiam debilem factum, rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum: cumque senatui somnium enarravisset, pedibus suis salvum domum revertisse. Itaque somnio comprobato a senatu, ludos illos iterum instauratos memoriæ proditum est. C. vero Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eundem Cælium est, sibi in somniis quæsturam petenti Tib. fratrem visum esse dicere, quam vellet, cunctaretur [66], tamen eodem sibi leto, quo ipse interisset, esse pereundum. Hoc antequam tribunus plebis C. Gracchus factus esset, & se audisse scribit Cælius, & dixisse multis. Quo somnio quid inveniri potest certius?

XXVII. Quid? illa duo somnia, quæ creberrime commemoran-

63 *Fanum illud* Indicis Herculis] Vide *Pet. Victorium* Var. Lect. lib. IV. cap. 21. & *Joan. Meursium* Athen. Attic. lib. II. cap. 10. *Davisius*.

64 *Sed proxime Cælius*] Sensus est: ætas Cælii ei facto proxima fuit. Vide de Leg. I. 2. *Pearcius*.

65 *Præsultorem sibi non placuisse ludis*] Jupiter hunc servum *præsulem*, sive præsultorem, nominabat, quia priusquam committerentur ludi, virgis cæsus στροφὰς παντοδαπὰς ὑπ' ἀλγηδόνος ἐξάγοντα, gestusque saltatoriis similes edebat. Vide *Plutarchum* in Coriol. p. 225. *Dionysium* Halicarnassensem lib. VII. cap. 69. & *Des. Heraldum* ad *Arnobii* pag. 306. *Davisius*.

66 *Quam vellet, cunctaretur*] Plutarchus in Gracchis. Idem somnium refert etiam Val. Max. lib. I. c. 7. 6. *Idem*.

morantur a Stoicis, quis tandem poteſt contemnere? Unum de Simonide: qui cum ignotum quendam projectum [67] mortuum vidiſſet, eumque humaviſſet, haberetque in animo navem conſcendere, moneri viſus eſt, ne id faceret, ab eo, quem ſepultura affecerat: ſi navigaſſet, eum naufragio eſſe periturum: itaque Simonidem rediſſe: periſſe cæteros, qui tum navigaſſent.

Alterum ita traditum, clarum admodum ſomnium. Cum duo quidam Arcades [68] familiares iter una facerent, & Megaram veniſſent, alterum ad cauponem devertiſſe; ad hoſpitem, alterum. Qui ut cœnati quieſcerent, concubia nocte viſum eſſe in ſomniis ei, qui erat in hoſpitio, illum alterum orare, ut ſubveniret, quod ſibi a caupone interitus pararetur. Eum primo, perterritum ſomnio ſurrexiſſe: dein cum ſe collegiſſet, idque viſum pro nihilo habendum eſſe duxiſſet, recubuiſſe. Tum ei dormienti eundem illum viſum eſſe rogare, ut, quoniam ſibi vivo non ſubveniſſet, mortem ſuam ne inultam eſſe pateretur: ſe interfectum in plauſtrum a caupone eſſe conjectum, & ſupra ſtercus injectum: petere, ut mane ad portam adeſſet, priuſquam plauſtrum ex oppido exiret. Hoc vero ſomnio eum commotum, mane bubulco præſto ad portam fuiſſe: quæſiſſe ex eo, quid eſſet in plauſtro: illum perterritum fugiſſe: mortuum erutum eſſe: cauponem, re patefacta, pœnas dediſſe.

XXVIII. Quid hoc ſomnio dici poteſt divinius? Sed quid aut plura, aut vetera quærimus? Sæpe tibi meum narravi; ſæpe ex te audivi tuum ſomnium. Me, cum Aſiæ proconſul præeſſem, vidiſſe in quiete, cum tu equo advectus ad quandam magni fluminis ripam, provectus ſubito atque delapſus in flumen, nuſquam apparuiſſes, me contremuiſſe, timore perterritum: tum te repente lætum exſtitiſſe, eodemque equo adverſam adſcendiſſe ripam, noſque inter nos eſſe complexos. Facilis conjectura hujus ſomnii: mihique a peritis in Aſia prædictum eſt, fore eos eventus rerum, qui acciderunt.

Ve-

67 *Ignotum quendam projectum*] Hancce rem latius diducit Val. Max. lib. 1. cap. 7. 3. extern. *Idem*.

Venio nunc ad tuum. Audivi equidem ex te ipso, sed mihi sæpius noster Sallustius [69] narravit: cum in illa fuga, nobis gloriosa, patriæ calamitosa, in villa quadam campi Atinatis maneres, magnamque partem noctis vigilasses, ad lucem denique arcte & graviter dormitare cœpisse. Itaque quanquam iter instaret, te tamen silentium fieri jussisse, neque esse passum te excitari. Cum autem experrectus esses hora secunda fere, te sibi somnium narravisse, Visum tibi esse, cum in locis solis mœstus errares, C. Marium cum fascibus laureatis quærere ex te, quid tristis esses: cumque tu te tua patria vi pulsum esse dixisses, prehendisse eum dexteram tuam, & bono animo te jussisse esse, lictorique proximo tradidisse, ut te in monumentum suum deduceret: & dixisse, in eo tibi salutem fore. Tum & se exclamasse Sallustius narrat, reditum tibi celerem & gloriosum paratum, & te ipsum visum somnio delectari. Nam illud mihi ipsi celeriter nuntiatum est, ut audivisses, in monumento Marii [70] de tuo reditu magnificentissimum illud senatus consultum esse factum, referente optimo & clarissimo viro consule, idque frequentissimo theatro, incredibili clamore & plausu comprobatum, dixisse te, nihil illo Atinati somnio fieri posse divinius.

XXIX. At multa falsa. Immo obscura fortasse nobis. Sed sint falsa quædam; contra vera quid dicimus? quæ quidem multo plura evenirent, si ad quietem integri iremus. Nunc onusti cibo & vino, perturbata & confusa cernimus. Vide, quid Socrates in Platonis Politia loquatur. Dicit enim, [71] *Cum dormientibus ea pars animi, quæ mentis & rationis sit particeps, sopita langueat: illa autem, in qua feritas quædam sit atque agre-*

68 *Duo quidam Arcades familiares*] Hanc historiam nonnihil variatam scriptor Græcus exponit, cujus verba laudat Suidas in παρῆσιν, ut olim monuit Pet. Victorius Var. Lect. lib. xix. cap. 12. At a *Cicerone* diversus non abit Valerius Maximus lib. 1. c. 7. 10. extern. *Idem*.

69 *Noster Sallustius*] Non historicus, sed M. Ciceronis libertus intelligitur. *Idem*.

70 *In monumento Marii*] Hoc somnium fuse refert Valerius Maximus lib. 1. cap. 7. 5. ubi notat *in æde Jovis Mariana S. C. de reditu Ciceronis esse factum*. Pari modo *Æmilia monumenta*, & *monumenta Cn. Pompeii* pro locis, quos struxerant vel refecerant, dixit *Tacitus* Ann. III. 72. IV. 7. Vide & *Senecam* Cons. ad Marciam, cap. 22. Consules autem fuere P. Lentulus & Q. Metellus, quorum ille nostro fuit præcipuus salutis auctor. Vide sis Orat. ad Quir. post reditum cap. 5. seq. & post red. in Sen. cap. 3. 4. *Idem*.

71 *Cum dormientibus ea pars animi*] Platonis locus extat lib. ix. de Rep. *Idem*.

agrestis immanitas, cum sit immoderato obstupefacta potu atque pastu, exsultare eam in somno, immoderateque jactari. Itaque huic omnia visa objiciuntur, a mente ac ratione vacua: ut aut cum matre corpus miscere videamur, aut cum quovis alio vel homine, vel deo, saepe bellua; atque etiam trucidare aliquem, & impie cruentari, multaque facere impure atque tetre, cum temeritate & impudentia. At qui salubri & moderato cultu atque victu quieti se tradiderit, ea parte animi, quae mentis & consilii est, agitata & erecta, saturataque bonarum cogitationum epulis: eaque parte animi, quae voluptate alitur, nec inopia enecta, nec satietate affluenti, quorum utrumque praestringere aciem mentis solet, sive deest naturae quippiam, sive abundat atque affluit: illa etiam tertia parte animi, in qua irarum exsistit ardor, sedata atque restincta: tum eveniet, duabus animi temerariis partibus compressis, ut illa tertia pars rationis & mentis eluceat, & se vegetam ad somniandum acremque praebeat: tum ei visa quietis occurrent tranquilla, atque veracia. Hæc verba ipsa Platonis expressi.

XXX. Epicurum igitur audiemus potius? Nam Carneades concertationis studio, modo ait hoc, modo illud. At ille quid sentit? Sentit autem nihil unquam elegans, nihil decorum. Hunc ergo antepones Platoni & Socrati? qui ut rationem non redderent, auctoritate tamen hos minutos philosophos vincerent. Jubet igitur Plato, sic ad somnum proficisci corporibus affectis, ut nihil sit, quod errorem animis perturbationemque afferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne faba vescerentur, quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis, quærenti vera, contrariam.

Cum ergo est somno sevocatus animus a societate, & a contagione corporis, tum meminit præteritorum, præsentia cernit, futura prævidet. Jacet enim corpus dormientis, ut mortui: viget autem, & vivit animus. Quod multo magis faciet post mortem, cum omnino corpore excesserit. Itaque appropinquante morte multo est divinior. Nam & id ipsum vident, qui sunt morbo gravi & mortifero affecti, instare mortem. Itaque his occurrunt plerumque imagines mortuorum:

rum : tumque vel maxime laudi ſtudent : eoſque qui ſecus, quam decuit, vixerunt, peccatorum ſuorum tum maxime pœnitet.

Divinare autem morientes, etiam illo exemplo confirmat Poſidonius, quo affert, Rhodium quendam morientem ſex æquales nominaſſe, & dixiſſe, qui primus eorum, qui ſecundus, qui deinceps moriturus eſſet. Sed tribus modis cenſet deorum appulſu homines ſomniare. Uno, quod prævideat animus ipſe per ſeſe, quippe qui deorum cognatione teneatur. Altero, quod plenus aer ſit immortalium animorum, in quibus tanquam inſignitæ notæ veritatis appareant. Tertio, quod ipſi dii cum dormientibus colloquantur; idque, ut modo dixi, facilius evenit appropinquante morte, ut animi futura augurentur. Ex quo & illud eſt Calani, de quo ante [72] dixi, & Homerici Hectoris [73], qui moriens propinquam Achilli mortem denuntiat.

XXXI. Neque enim illud verbum temere conſuetudo approbaviſſet, ſi ea res nulla eſſet omnino:

Præſagibat animus, fruſtra me ire, cum exirem domo.

Sagire enim, ſentire acute eſt: ex quo ſagæ anus, quia multa ſcire volunt: & ſagaces dicti canes. Is igitur, qui ante ſagit, quam oblata res eſt, dicitur præſagire, id eſt, futura ante ſentire. Ineſt igitur in animis præſagitio extrinſecus injecta, atque incluſa divinitus. Ea ſi exarſit acrius, furor appellatur, cum a corpore animus abſtractus divino inſtinctu concitatur.

Sed quid oculis rabere [74] viſa eſt derepente ardentibus?
Ubi illa paulo ante ſapiens, virginali modeſtia?
Mater optuma, tum multo mulier melior mulierum;
Miſſa ſum ſuperſtitioſis [75] hariolationibus:

 Neque

72 *De quo ante dixi*] Supra, cap. 23.

73 *Homerici Hectoris*] Iliad. X. 358. Homerum vero Virgilius imitatus eſt, Æn. X. 470. ut Servius animadvertit. *Idem.*

74 *Sed quid oculis* rabere *viſa eſt*] Sic legendum; *rabere*, inquam, non *rapere*. *Rabere* autem *dictum a rabie*, inquit Nonius Varro: *Idem Attii, quod Titii; Quid eſt? quid blateras? quid rabis? quid vis tibi?* Cæcilius Hypobolimæo: *Raſtraria* rabere *ſe ait*. Lambinus. Vide Mureti Var. Lect. IX. 19.

75 *Superſtitioſis hariolationibus*] Fatidicis; nam *ſuperſtitioſus* veteribus haud raro *divinum* ſignificat. Infra II. 56. *Unde* ſuperſtitioſa *primum ſæva evaſit vox fera*. Apud *Plautum* Amphitr. Act. 1. Sc. 1. 167. ait Soſia

Neque me Apollo fatis fandis dementem invitam ciet.
Virgines vero æquales, patris mei, meum factum pudet,
Optimi viri: mea mater tui me miseret, mei piget.
Optumam progeniem Priamo * *repperisti extra me: hoc dolet,*
Me obesse, illos prodesse, me obstare, illos obsequi.

O poema tenerum, & moratum, atque molle! Sed hoc minus ad rem. Illud, quod volumus, expressum est, ut vaticinari furor vera soleat.

Adest, adest fax obvoluta sanguine atque incendio:
Multos annos latuit. Cives, ferte opem, & restinguite.

Deus inclusus corpore humano jam, non Cassandra loquitur:

Jamque mari magno classis cita
Texitur: exitium examen rapit:
Advenit, & fera velivolantibus
Navibu' complevit manu' littora.

XXXII. Tragœdias loqui videor, & fabulas? At ex te ipso non commentitiam rem, sed factam, ejusdem generis audivi: C. Coponium [76] ad te venisse Dyrrhachio, cum prætorio imperio classi Rhodiæ præesset, * cum primis hominem prudentem atque doctum: eumque dixisse remigem quendam e quinqueremi Rhodiorum vaticinatum, madefactum iri minus xxx diebus Græciam sanguine: rapinas Dyrrhachii, & conscensionem in naves cum fuga, fugientibusque miserabilem respectum incendiorum fore: sed Rhodiorum classi propinquum reditum, ac domum itionem [77] dari. Tum neque teipsum non esse commotum; Marcumque Varronem, & M. Catonem, qui tum ibi erant, doctos homines, vehementer esse perterritos. Paucis sane post diebus ex Pharsalica fuga venisse Labienum: qui cum interitum exercitus nuntiavisset, reliqua vati-

sia de Mercurio, qui eum non longe abesse præsentiebat; *Illic homo* superstitiosus est. Iterum Curcul. Act. III. 27. Superstitiosus *hic quidem est: vera prædicat*. Et Rudent. Act. IV. Sc. IV. 95. *Quid si isto aut* superstitiosa, *aut ariola est, atque omnia, Quicquid insit, vera dicet?* Vide sis *Adr. Turnebum* Advers. lib. v. c. 22. & *Jos. Scaligerum* Conj. in *Varronis* lib. vi. L. L. pag. 68. *Davisius*.

* Lamb. *pepersisti*

76 C. *Coponium ad te venisse Dyrrhachio, cum prætorio imperio*] C. *Coponius*. PR. S. C. in argenteo denario descriptus est. *Ursinus*.

* Vict. *cum primo*

77 *Domum itionem*] *Domuitionem* habet antiquus liber composito vocabulo, & ita legit *Apuleius*: & in lib. III. ad Herennium cap. 21. *Jam domuitionem reges* &c. *Ursin.* Qua de re Schottus, *Nodi Ciceronis*, IV. 10.

vaticinationis brevi esse confecta. Nam & ex horreis direptum effusumque frumentum vias omnes angiportusque constraverat: & vos naves subito, perterriti metu, conscendistis; & noctu ad oppidum respicientes, flagrantes onerarias, quas incenderant milites, quia sequi noluerant, videbatis. Postremo a Rhodia classe deserti, verum vatem fuisse sensistis.

Exposui quam brevissime potui somnii, & furoris oracula, quæ carere arte dixeram. Quorum amborum generum una ratio est, qua Cratippus noster uti solet; animos hominum quadam ex parte extrinsecus esse tractos & haustos. Ex quo intelligitur, esse extra divinum animum, humanus unde ducatur: humani autem animi eam partem, quæ sensum, quæ motum, quæ appetitum habeat, non esse ab actione corporis sejugatam: quæ autem pars animi, rationis atque intelligentiæ sit particeps, eam tum maxime vigere, cum plurimum absit a corpore.

Itaque, expositis exemplis verarum vaticinationum & somniorum, Cratippus solet rationem concludere hoc modo: „ Si sine oculis non potest exstare officium & munus oculorum; possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere: qui vel semel ita est usus oculis, ut vera cerneret, is habet sensum oculorum vera cernentium. Item igitur, si sine divinatione non potest officium & munus divinationis exstare; potest autem quis, cum divinationem habeat, errare aliquando, nec vera cernere: satis est ad confirmandam divinationem, semel aliquid esse ita divinatum, ut nihil fortuito cecidisse videatur. Sunt autem ejus generis innumerabilia: esse igitur divinationem confitendum est.

XXXIII. Quæ vero aut conjectura explicantur, aut eventis animadversa & notata sunt, ea genera divinandi, ut supra dixi, non naturalia, sed artificiosa dicuntur: in quo haruspices, augures, conjectoresque numerantur. Hæc improbantur a Peripateticis; a Stoicis defenduntur. Quorum alia sunt posita in monumentis & disciplina: quod Etruscorum declarant & harus-

harufpicini, & fulgurales, & rituales [78] libri, noftri [79] etiam augurales: alia autem fubito ex tempore conjectura explicantur, ut apud Homerum Calchas, qui ex pafferum numero belli Trojani annos auguratus eft: & ut in Syllæ fcriptum hiftoria videmus, quod te infpectante factum eft, ut, cum ille in agro Nolano immolaret ante prætorium, ab infima ara fubito anguis emergeret; cum quidem C. Poftumius harufpex oraret illum, ut in expeditionem exercitum educeret; id cum Sylla feciffet, tum ante oppidum Nolam florentiffima Samnitium caftra cepit.

Facta conjectura etiam in Dionyfio eft paulo ante quam regnare cœpit: qui cum per agrum Leontinum iter faciens, equum ipfe demififfet in flumen, fummerfus equus [80] voraginibus non exftitit: quem cum maxima contentione non potuiffet extrahere, difceffit, ut ait Philiftus, ægre ferens: cum autem aliquantulum progreffus effet, fubito exaudivit hinnitum, refpexitque, & equum alacrem lætus adfpexit, cujus in juba examen apum confederat. Quod oftentum habuit hanc vim, ut Dionyfius paucis poft diebus regnare cœperit.

XXXIV. Quid? Lacedæmoniis paulo ante Leuctricam calamitatem quæ fignificatio facta eft, cum in Herculis fano arma fonuerunt, Herculifque fimulacrum multo fudore manavit? At eodem tempore Thebis, ut ait Callifthenes, in templo Herculis valvæ claufæ repagulis fubito fe ipfæ aperuerunt: armaque, quæ fixa in parietibus fuerant, ea funt humi inventa. Cumque eodem tempore apud Lebadiam Trophonio res divina fieret, gallos gallinaceos in eo loco fic affidue canere cœpiffe, ut nihil intermitterent: tum augures dixiffe Bœotios, Thebanorum effe victoriam, propterea quod avis illa victa filere folet; canere, fi viciffet. Eademque tempeftate multis fignis Lacedæmoniis Leuctricæ pugnæ calamitas denuntiabatur. Namque & Lyfandri, qui Lacedæmoniorum claris-

78 *Rituales libri*] Aut omnia me fallunt, aut reftituendum eft fide Pal. fec. *tonitruales*. Gruter.

79 *Noftri etiam augurales*] *Veftri* eft in Mff. & ita fcribendum eft, ut ad *Ciceronis* auguratum referatur. *Urfinus*.

80 *Submerfus equus voraginibus non exftitit*] Hiftoriam narrat Plinius lib. VIII. §. 64. Eandem refert & *Ælianus* Var. Hift. lib. XII. cap. 46. ut olim monuit *Pet. Victorius* Var. Lect. XII. 1. *Davifius*.

clariſſimus fuerat, ſtatuæ, quæ Delphis ſtabat, in capite corona ſubito exſtitit ex aſperis herbis & agreſtibus: ſtellæque aureæ, quæ Delphis erant a Lacedæmoniis poſitæ poſt navalem illam victoriam Lyſandri, qua Athenienſes conciderunt, (qua in pugna quia Caſtor & Pollux cum Lacedæmoniorum claſſe viſi eſſe dicebantur, eorum inſignia deorum, ſtellæ aureæ, quas dixi, Delphis poſitæ [81]) paulo ante Leuctricam pugnam deciderunt, neque repertæ ſunt. Maximum vero illud portentum iiſdem Spartiatis fuit, quod, cum oraculum ab Jove Dodonæo petiviſſent, de victoria ſciſcitantes, legatique illud, in quo inerant ſortes, collocaviſſent: ſimia, quam rex Moloſſorum in deliciis habebat, & ſortes ipſas, & cætera, quæ erant ad ſortem parata, diſturbavit, & aliud alio diſſipavit. Tum ea, quæ præpoſita erat oraculo, ſacerdos dixiſſe dicitur, de ſalute Lacedæmoniis eſſe, non de victoria cogitandum.

XXXV. Quid? bello Punico ſecundo, nonne C. Flaminius conſul iterum, neglexit ſigna rerum futurarum magna cum clade reipublicæ? Qui exercitu luſtrato, cum Arretium verſus caſtra moviſſet, & contra Annibalem legiones duceret: & ipſe [82], & equus ejus ante ſignum Jovis Statoris ſine cauſa repente concidit, nec eam rem habuit religioni, objecto ſigno, ut peritis videbatur, ne committeret prælium. Idem cum tripudio auſpicaretur, pullarius diem prælii committendi differebat. Tum Flaminius ex eo quæſivit, ſi ne poſtea quidem pulli paſcerentur, quid faciendum cenſeret. Cum ille quieſcendum reſpondiſſet: Flaminius, Præclara vero auſpicia, ſi eſurientibus pullis res geri poterit, ſaturis nihil geretur. Itaque ſigna convelli, & ſe ſequi juſſit. Quo tempore, cum ſignifer primi haſtati [83] ſignum non poſſet movere loco, nec quid-

quam

81 *Qua in pugna ... Delphis poſitæ*] Parentheſi voces has incluſimus, ne ſint, qui, cum Grutero, eas a mala manu irrepſiſſe cenſeant; neve ſint, qui, cum Lambino, reponant *quas dixi Delphis a Lacedæmoniis poſitas fuiſſe*; nam receptam lectionem præſtant omnes Mſſ. neque raro fit, ut intelligatur *verbum ſubſtantivum*. Idem.

82 *Et ipſe, & equus ejus*] Quæ hic memorantur prodigia, narrat Valerius Maximus, I. vi. 6. Silius Italicus, V. 59. Plutarchus, in Fabio. Livius, xxii. 13. Florus, vi. 24. *Idem*.

83 *Signifer primi haſtati*] Aldus Manucius, eumque ſecutus Metaphraſtes Gallicanus, ſigniferum *primi centurionis* ridicule cen-

quam proficeretur, plures cum accederent; Flaminius re nuntiata, suo more neglexit. Itaque tribus horis concisus exercitus, atque ipse interfectus est. Magnum illud etiam, quod addidit Cælius, eo tempore ipso, cum hoc calamitosum fuerit prælium, tantos terræ motus in Liguribus, Gallia, compluribusque insulis, totaque in Italia factos esse, ut multa oppida corruerint, multis locis labes factæ sint, terræque desederint, fluminaque in contrarias partes fluxerint, atque in amnes mare influxerit.

XXXVI. Fiunt certe divinationum conjecturæ a peritis. Midæ illi Phrygio [84], cum puer esset, dormienti formicæ in os tritici grana congesserunt. Ditissimum fore, prædictum est: quod evenit. At, Platoni cum in cunis parvulo dormienti apes [85] in labellis consedissent; responsum est, singulari illum suavitate orationis fore: ita futura eloquentia provisa in infante est. Quid amores ac deliciæ tuæ, Roscius? num aut ipse, aut pro eo Lanuvium totum mentiebatur? qui cum esset in cunabulis, educareturque in Solonio, qui est campus agri Lanuvini; noctu lumine apposito experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu: quo adspectu exterrita, clamorem sustulit. Pater autem Roscii ad haruspices retulit: qui responderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. Atque hanc speciem Praxiteles [86] cælavit argento, & noster expressit Archias versibus. Quid igitur exspectamus? an dum in foro nobiscum dii immortales, dum in viis versentur, dum domi? Qui quidem ipsi se nobis non offerunt, vim autem suam longe lateque diffundunt; quam cum terræ cavernis includunt, tum hominum natu-

censent intelligendum. Denotatur enim primi manipuli seu ordinis hastati signifer. Vide Just. Lipsium Mil. Rom. lib. II. Dial. VIII. *Idem*.

84 *Midæ illi Phrygio*] Hanc historiolam referunt Valerius Maximus lib. I. cap. 6. 2. extern. Ælianus V. H. lib. XII. cap. 45. & Joannes Sarisberiensis, Polic. I. 13. *Id.*

85 *Apes in labellis consedissent*] Plinius H. N. lib. XI. cap. 17. Apes *sedere in ore infantis tum etiam Platonis, suavitatem illam prædulcis eloquii portendentes*. Eadem referunt Valerius Maximus lib. I. c. 6. 3. extern. Ælianus Var. Hist. X. 21. XII. 45. Olympiodorus in vita Platonis, ac Joannes Sarisberiensis Policr. *Idem*.

86 *Hanc speciem Praxiteles*] Non intelligitur celeberrimus ille statuarius, at cognominis cælator, qui Pompeji M. vixit ætate. Vide Fr. Junium in Catal. Artif. p. 175. *Idem*.

naturis implicant. Nam terræ vis Pythiam Delphis incitabat, naturæ Sibyllam. Quid enim? non videmus, quam sint varia terrarum genera? ex quibus & mortifera quædam pars est, ut & Ampsancti [87] in Hirpinis, & in Asia Plutonia, quæ videmus [88]: & sunt partes agrorum aliæ pestilentes; aliæ salubres; aliæ, quæ acuta ingenia gignant; aliæ, quæ retusa. Quæ omnia fiunt & ex cæli varietate, & ex disparili adspiratione terrarum.

Fit etiam sæpe specie quadam, sæpe vocum gravitate & cantibus, ut pellantur animi vehementius: sæpe etiam cura & timore: qualis est illa,

Flexanima [89] *tanquam lymphata, ut Bacchi sacris*
Commota, in tumulis Teucrum commemorans suum.

XXXVII. Atque etiam illa concitatio declarat vim in animis esse divinam. Negat enim, sine furore Democritus quemquam poetam magnum esse posse. Quod idem dicit Plato [90]. Quem, si placet, appellet furorem, dummodo is furor ita laudetur, ut in Phædro Platonis laudatus est. Quid vestra oratio in causis? quid ipsa actio? potest esse vehemens, & gravis, & copiosa, nisi est animus ipse commotior? Equidem etiam in te sæpe vidi, & (ut ad leviora veniamus) in Æsopo familiari tuo, tantum ardorem vultuum, atque motuum, ut eum vis quædam abstraxisse a sensu mentis videretur.

Objiciuntur etiam sæpe formæ, quæ reapse nullæ sunt: speciem autem offerunt. Quod contigisse Brenno dicitur, ejusque Gallicis copiis, cum fano Apollinis Delphici nefarium bellum intulisset. Tum enim ferunt, ex oraculo hæc fatam esse Pythiam:

[91] *Ego*

87 *Ampsancti in Hirpinis, & in Asia Plutonia*] Quæ & χαρώνεια dicuntur. Loca sunt pestilentes & lethiferos odores emittentia. Vide sis Is. Casaubonum ad Strabonis lib. v. pag. 374. Talis erat Apsancti, vel, ut alii scribunt, Ampsancti lacus, de quo Servius ad Virgilii Æn. VII. 563. & Chr. Cellarius Geogr. Ant. lib. II. cap. IX. Adi & Plinium, II. 95. *Idem*.

88 *Quæ videmus*] Forte *quæ vidimus*, scilicet quæ vidit Quintus cum Asiæ proconsul esset. *Pearcius*.

89 *Flexanima tanquam lymphata*] Pacuvii sunt versus, ut patet ex Varrone lib. VI. L. L. *Davisius*.

90 *Negat, sine furore, Democritus, quemquam poetam magnum esse posse; quod idem dicit Plato*] Platonis locus extat in Jone. Idem docet philosophus ille præstantissimus in Menone, in Phædro, in Apol. Socratis, & alibi. *Idem*.

[91] *Ego providebo rem iſtam, & albæ virgines.*

Ex quo [92] factum eſt, ut & viderentur virgines ferre arma contra, & nive Gallorum obrueretur exercitus.

XXXVIII. Ariſtoteles quidem eos etiam, qui valetudinis vitio furerent, & melancholici dicerentur, cenſebat habere aliquid in animis præſagiens atque divinum. Ego autem haud ſcio, an nec cardiacis hoc tribuendum ſit, nec phreneticis: animi enim integri, non vitioſi corporis, eſt divinatio. Quam quidem eſſe re vera, hac Stoicorum ratione concluditur: Si ſunt dii, neque ante declarant hominibus quæ futura ſunt; aut non diligunt homines: aut, quid eventurum ſit, ignorant; aut exiſtimant, nihil intereſſe hominum, ſcire quid futurum ſit; aut non cenſent eſſe ſuæ majeſtatis præſignificare hominibus quæ ſunt futura; aut ea ne ipſi quidem dii ſignificare poſſunt. At neque non diligunt nos; ſunt enim benefici, generique hominum amici: neque ignorant ea, quæ ab ipſis conſtituta & de-ſignata ſunt: neque noſtra nihil intereſt, ſcire ea, quæ eventura ſunt; erimus enim cautiores, ſi ſciemus: neque hoc alienum ducunt majeſtate ſua; nihil eſt enim beneficentia præſtantius: neque non poſſunt futura prænoſcere. Non igitur ſunt dii, nec ſignificant futura. Sunt autem dii: ſignificant ergo. Et non, ſi ſignificant, nullas vias dant nobis ad ſignificationis ſcientiam: fruſtra enim ſignificarent: nec, ſi dant vias, non eſt divinatio. Eſt igitur divinatio.

XXXIX. Hac ratione & Chryſippus, & Diogenes, & Antipater utitur. Quid eſt igitur, cur dubitandum ſit, quin ſint ea, quæ diſputavi veriſſima, ſi ratio mecum facit, ſi eventa, ſi populi, ſi nationes, ſi Græci, ſi barbari, ſi majores etiam noſtri, ſi denique hoc ſemper ita putatum eſt, ſi ſummi philoſophi, ſi poetæ, ſi ſapientiſſimi viri, qui reſpublicas conſtituerunt, qui urbes condiderunt? An, dum beſtiæ loquantur, exſpectamus? hominum conſentiente auctoritate contenti

non

91 *Ego providebo rem iſtam, & albæ virgines*] Græcum carmen vertit, Ἐμοὶ μελήσει ταῦτα, καὶ λευκαῖς κόραις. *Urſin.*

92 *Ex quo factum, ut viderentur*] De re ipſa vide Juſtinum lib. xxiv. cap. 8. Pauſaniam in Phocicis cap. 23. ac Joannem Sariſberienſem Polic. VI. 17. *Idem.*

non ſumus? Nec vero quidquam aliud affertur, cur ea, quæ dico, divinandi genera, nulla ſint: niſi quod difficile dictu videtur, quæ cujuſque divinationis ratio, quæ cauſa ſit. Quid enim habet haruſpex, cur pulmo inciſus etiam in bonis extis dirimat tempus, & proferat diem? quid augur, cur a dextra corvus, a ſiniſtra cornix faciat ratum? quid aſtrologus, cur ſtella Jovis, aut Veneris conjuncta cum luna ad ortus puerorum ſalutaris ſit: Saturni, Martiſve contraria? cur autem deus dormientes nos moneat, vigilantes negligat? quid deinde cauſæ ſit, cur Caſſandra furens futura proſpiciat, Priamus ſapiens hoc idem facere non queat?

Cur fiat quidque, quæris? Recte omnino: ſed non nunc id agitur. Fiat, necne fiat, id quæritur. Ut ſi magnetem lapidem eſſe dicam, qui ferrum ad ſe alliciat & trahat; rationem, cur id fiat, afferre nequeam: fieri omnino neges. Quod idem facis in divinatione: quam & cernimus ipſi, & audivimus, & legimus, & a patribus accepimus. Neque ante philoſophiam patefactam, quæ nuper inventa eſt, hac de re communis vita dubitavit, &, poſtea quam philoſophia proceſſit, nemo aliter philoſophus ſenſit, in quo modo eſſet auctoritas. Dixi de Pythagora, de Democrito, de Socrate: excepi de antiquis, præter Xenophanem, neminem: adjunxi veterem Academiam, Peripateticos, Stoicos: unus diſſentit Epicurus. Quid vero hoc turpius, quam quod idem nullam cenſet gratuitam eſſe virtutem?

XL. Quis eſt autem, quem non moveat clariſſimis monumentis teſtata conſignataque antiquitas? Calchantem augurem ſcribit Homerus longe optimum, eumque ducem claſſium fuiſſe. At illum [93] auſpiciorum credo ſcientia, non locorum. Amphilochus & Mopſus Argivorum reges fuerunt, ſed iidem augures: iique urbes in ora maritima Ciliciæ Græcas condiderunt. Atque etiam ante hos Amphiaraus & Tireſias, non humiles & obſcuri, neque eorum ſimiles, ut apud Ennium eſt,

Qui ſui quæſtus cauſa fictas ſuſcitant ſententias,

 ſed

93 *Ducem claſſium fuiſſe. At illum*] Corrupti hic omnes libri. Vix tamen cordato dubium, quin reſcribendum ſit cum Gulielmio: *ducem claſſium fuiſſe ad Ilium; auſpic.* Emendatio palmaria. *Gruterum.*

ſed clari & præſtantes viri, qui avibus & ſignis admoniti futura dicebant. Quorum de altero etiam apud inferos Homerus [94] ait, ſolum ſapere, cæteros umbrarum vagari modo. Amphiaraum autem ſic honoravit fama Græciæ, deus ut haberetur, atque ut ab ejus ſolo, in quo eſt humatus, oracula peterentur.

Quid Aſiæ rex Priamus, nonne & Helenum filium, & Caſſandram filiam divinantes habebat, alterum auguriis, alteram mentis incitatione & permotione divina? Quo in genere Martios [95] quoſdam fratres, nobili loco natos, apud majores noſtros fuiſſe ſcriptum videmus. Quid? Polyidum [96] Corinthium, nonne Homerus & aliis multa, & filio ad Trojam proficiſcenti, mortem prædixiſſe commemorat? Omnino apud veteres, qui rerum potiebantur, iidem auguria tenebant. Ut enim ſapere, ſic divinare regale ducebant, ut teſtis eſt noſtra civitas: in qua & reges, augures, & poſtea privati eodem ſacerdotio præditi rempublicam religionum auctoritate rexerunt.

XLI. Eaque divinationum ratio ne in barbaris quidem gentibus neglecta eſt. Siquidem & in Gallia Druidæ ſunt, e quibus ipſe Divitiacum Æduum, hoſpitem tuum laudatoremque cognovi; qui & naturæ rationem [97], quam phyſiologiam Græci appellant, notam eſſe ſibi profitebatur, & partim auguriis, partim conjectura, quæ eſſent futura dicebat. Et in Perſis augurantur & divinant Magi, qui congregantur in fano commentandi cauſa, atque inter ſe colloquendi: quod etiam idem vos quondam facere nonis ſolebatis. Nec quiſquam rex Perſarum [98] poteſt eſſe, qui non ante Magorum diſciplinam ſcientiamque perceperit.

Licet autem videre & genera quædam & nationes huic ſcientiæ

94 *Homerus*] Odyſſ. K. 494.

95 *Martios* (alias *Marcios*) *quoſdam fratres*] Martiorum fratrum meminit Servius ad Æn. VI. 70. 72. Plinius lib. VII. H. N. cap. 33. Quin etiam Marcium vatem illuſtrem fuiſſe tradit, & ex ejus carminibus duo recenſet Livius lib. XXV. cap. 12. *Dav.*

96 *Polyidum*] Iliad. N. 663.

97 *Naturæ rationem*] Sic ſolebant Druidæ. Pomp. Mela, lib. III. cap. 2. Cæſar B. G. lib. VI. cap. 14. Strabo lib. 4. pag. 302. Quin & *augurandi ſtudio Galli præter cæteros callent*, ut ait Juſtinus lib. XXIV. cap. 4. Vide Diodorum Siculum, Bibl. lib. V. *Idem*.

98 *Rex Perſarum poteſt eſſe*] Hinc Perſici regis filius natu maximus, quatuordecim natus annos, magica Zoroaſtris diſciplina fuit imbutus, ut tradit Plato, Alcib. I. & ex eo Apulejus, Apol. *Idem*.

tiæ deditas. Telmessus [99] in Caria est: qua in urbe excellit haruspicum disciplina. Itemque Elis in Peloponneso familias duas certas habet, Jamidarum [1] unam, alteram Cluditarum, haruspicinæ nobilitate præstantes. In Syria Chaldæi cognitione astrorum solertiaque ingeniorum antecellunt. Etruria autem de cælo tacta scientissime animadvertit: eademque interpretatur, quid quibusque ostendatur monstris atque portentis. Quocirca bene apud majores nostros senatus tum, cum florebat imperium, decrevit, ut de principum filiis [2] sex singulis Etruriæ populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quæstum. Phryges autem, & Pisidæ, & Cilices, & Arabum natio, avium significationibus plurimum obtemperant. Quod idem factitatum in Umbria accepimus.

XLII. Ac mihi quidem videntur e locis quoque ipsis, qui a quibusque incolebantur, divinationum opportunitates esse ductæ. Etenim Ægyptii, ut Babylonii, in camporum patentium æquoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi cæli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt. Etrusci autem, quod religione imbuti studiosius & crebrius hostias immolabant, extorum cognitioni se maxime dediderunt: quodque propter aeris crassitudinem de cælo apud eos multa fiebant, & quod ob eandem causam multa inusitata; partim e cælo, alia ex terra oriebantur, quædam etiam ex hominum pecudumve conceptu & satu, ostentorum exercitatissimi interpretes exstiterunt. Quorum quidem vim, ut tu soles dicere, verba ipsa prudenter a majoribus posita declarant: quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, prædicunt, ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur.

 Ara-

99 *Telmessus in Caria est*] *Telmessum* vel *Termessum* alii Cariæ, alii Pisidiæ, alii denique Pamphyliæ tribuunt, nisi forsan variæ sint urbes, eodem vel non longe diverso nomine insignitæ. Vide præstantissimum virum Ezech. Spanhemium Diss. IX. de usu & præst. Numism. pag. 563, 564. *Idem.*

1 *Jamidarum unam; alteram Clutidarum*] De Clytidis vide Pausaniam lib. VI. cap. 18. Jamidas autem ex variis scriptoribus notos fecit Pet. Vict. Var. Lect. lib. XIII. cap. 15. Addatur Philostratus vit. Apoll. lib. V. cap. 25. qui κλυτιαδῶν simul ac ἰαμιδῶν meminit. *Idem.*

2 *De principum filiis* sex *singulis Etruriæ populis*] Valerius Maximus lib. I. cap. 1. non *sex*, sed *decem* fuisse tradit, qui singulis Etruriæ populis in discipliam traderentur. *P. Manutius.*

Arabes autem, & Phryges, & Cilices, quod paſtu pecudum maxime utuntur, campos & montes hieme & æſtate peragrantes, propterea facilius cantus avium & volatus notaverunt. Eademque & Piſidiæ cauſa fuit, & huic noſtræ Umbriæ. Tum Caria tota, præcipueque Telmeſſes, quos ante dixi, quod agros uberrimos maximeque fertiles incolunt, in quibus multa propter fœcunditatem fingi gignique poſſunt, in oſtentis animadvertendis diligentes fuerunt.

XLIII. Quis vero non videt, in optima quaque republica plurimum auſpicia & reliqua divinandi genera valuiſſe? Quis rex unquam fuit, quis populus, qui non uteretur prædictione divina? neque ſolum in pace, ſed in bello multo etiam magis: quo majus erat certamen & diſcrimen ſalutis. Omitto noſtros, qui nihil in bello ſine extis agunt, nihil ſine auſpiciis domi habent. Auſpicia externa videamus. Nam & Athenienſes omnibus ſemper publicis conſiliis divinos quoſdam ſacerdotes quos μάντεις vocant, adhibuerunt: & Lacedæmonii regibus ſuis augurem aſſeſſorem dederunt: itemque ſenibus (ſic enim conſilium publicum appellant) augurem intereſſe voluerunt: iidemque de rebus majoribus ſemper aut Delphis oraculum, aut ab Hammone, aut a Dodona petebant. Lycurgus quidem, qui Lacedæmoniorum rempublicam temperavit, leges ſuas auctoritate Apollinis Delphici confirmavit. Quas cum vellet Lyſander [3] commutare, eadem eſt prohibitus religione. Atque etiam qui præerant Lacedæmoniis, non contenti vigilantibus curis, in * Paſiphaæ [4] fano, quod eſt in agro propter urbem, ſomniandi cauſa, incubabant [5], quia vera quietis oracula ducebant.

Ad

3 *Cum vellet Lyſander commutare*] Ad id, niſi fallor, reſpicit, quod tradit Corn. Nepos in Lyſandro c. 3. Vide ſis Diodorum Siculum lib. XIV. & Plutarchum in Lyſandr. *Daviſius*.

* Man. Lamb. *Paſithea*

4 *In Paſiphaæ fano, quod eſt* &c.] Sic prorſus legendum, non, ut vulgo, *in Paſitheæ fano*. Hanc enim vulgatam lectionem hiſtoria refellit. Plutarchus in Agide & Cleombr. Tertullianus de Anima cap. 46. *Lambin.* Vide Joan. Meurſii Miſcell. Lacon. lib. 1. cap. 4.

5 *Incubabant*] Solebant veteres in templis deorum dormire, quorum ope atque conſilio indigebant, reſponſa ab iis, oraculave accepturi. Quos proprie *incubare* dicebant: & qui id faciebant, *Incubatores*. Plautus Curcul. I. 1. 61. *Leno ægrotus incubat in Æſculapi fano*. Vide Baſilii Fabri Theſaurum, verbo *Cuba*.

Ad noſtra jam redeo. Quoties ſenatus decemviros ad libros ire juſſit? Nam & cum duo viſi ſoles eſſent, & cum tres lunæ, & cum faces, & cum ſol nocte viſus eſſet, & cum e cælo fremitus auditus, & cum cælum diſceſſiſſe viſum eſt, atque in eo animadverſi globi. Delata etiam ad ſenatum labes agri Privernatis, cum ad infinitam altitudinem terra deſediſſet, Apuliaque maximis terræ motibus conquaſſata eſſet. Quibus portentis magna populo Romano bella, pernicioſæque ſeditiones denuntiabantur: inque his omnibus reſponſa haruſpicum cum Sibyllæ verſibus congruebant.

Quid, cum Cumis Apollo ſudavit? Capuæ Victoria? Quid ortus androgyni? nonne fatale quoddam monſtrum fuit? Quid, quod fluvius atratus ſanguine fluxit? Quid, cum ſæpe lapidum, ſanguinis nonnunquam, terræ interdum, quondam etiam lactis imber defluxit? Quid, cum in Capitolio ictus centaurus e cælo eſt? In Aventino portæ, & homines? Tuſculi [6] ædes Caſtoris & Pollucis, Romæque Pietatis? nonne & haruſpices ea reſponderunt quæ evenerunt, & in Sibyllæ libris eædem repertæ prædictiones ſunt?

XLIV. Quoties [7] ſenatus decemviros ad libros ire juſſit? quantis in rebus, quamque ſæpe reſponſis haruſpicum paruit? Cæciliæ, Q. filiæ, ſomnio, modo, Marſico [8] bello, templum eſt a ſenatu Junoni Soſpitæ reſtitutum. Quod quidem ſomnium Siſenna cum diſputaviſſet mirifice ad verbum cum re conveniſſe; tum inſolenter, credo [9]: ab Epicureo aliquo inductus, diſputat, ſomniis credi non oportere. Idem contra oſtenta nihil diſputat, exponitque initio belli Marſici & deorum ſimulacra ſudaviſſe, & ſanguinem fluxiſſe, & diſceſſiſſe cælum; & ex occulto auditas eſſe voces, quæ pericula belli nuntiarent;

6 *Tuſculi ædes Caſtoris & Pollucis*] Quia Tuſculani Caſtorem & Pollucem in primis colebant, L. Servius Sulpicius Rufus ad celebrandum gentis ſuæ, quæ obſidione Tuſculum exemerat, factum præclarum, in una parte aurei nummi Tuſculum ipſum, in altera ſigna Caſtoris & Pollucis pileata impreſſit. *Urſinus.*

7 *Quoties ſenatus decemviros*] Hæc iterata (nam & hic & paulo ante poſita ſunt) mihi mendi ſuſpicionem commovent. *Lambinus.*

8 *Marſico bello*] Quod etiam *ſociale*, vel *Italicum* dicitur. Vide ſupra cap. 2. *Daviſius.*

9 *Credo ob Epicuro*] Poſt *credo*, interpungendum: ne quis ita conjungat; *credo inductus.*

rent; & Lanuvii clypeos, quod haruspicibus tristissimum visum esset, a muribus esse derosos.

Quid, quod in annalibus habemus, Vejenti bello, cum lacus Albanus præter modum crevisset, Vejentem quemdam ad nos hominem nobilem perfugisse, eumque dixisse, ex fatis, quæ Vejentes scripta haberent, Vejos capi non posse, dum lacus is redundaret: &, si lacus emissus, lapsu & cursu suo ad mare profluxisset, perniciosum populo Romano; sin autem ita esset eductus, ut ad mare pervenire non posset, tum salutare nostris fore. Ex quo illa admirabilis a majoribus Albanæ aquæ facta deductio est. Cum autem Vejentes bello fessi legatos ad senatum misissent, tum ex his quidam dixisse dicitur, non omnia illum transfugam ausum esse senatui dicere: in iisdem enim fatis scriptum Vejentes habere, *Fore ut brevi a Gallis Roma caperetur*. Quod quidem sexennio post Vejos captos factum esse vidimus.

XLV. Sæpe etiam & in præliis Fauni auditi; & in rebus turbidis veridicæ voces ex occulto missæ esse dicuntur. Cujus generis duo sunt ex multis exempla, sed maxima. Nam non multo ante urbem captam exaudita vox est a luco Vestæ, qui a Palatii radice in novam viam devexus est: *Ut muri & portæ reficerentur; futurum esse, nisi provisum esset; ut Roma caperetur*. Quod neglectum, cum caveri poterat, post acceptam illam maximam cladem explicatum est [10]: ara enim [11] Ajo Loquenti, quam septam videmus, adversus eum locum consecrata est. Atque etiam scriptum a multis est, cum terræ motus factus esset, *Ut sue plena procuratio fieret*, vocem ab æde Junonis ex arce exstitisse: quocirca Junonem illam appellatam Monetam [12]. Hæc igitur & a diis significata, & a nostris majoribus judicata contemnimus?

Ne-

10 *Explicatum est*] Hanc vocem repræsentant omnes MSS. & patienter ferunt editores: attamen ad rem nihil omnino facit. Certissima conjectura rescribo *expiatum est*, nam expiandæ *voci nocturnæ templum Ajo Locutio fuisse* videmus ex Livii lib. v. cap. 50. *Davisius*.

11 *Ara enim Ajo Loquenti*] Sive, *Aio Locutio*, ut habet Livius. lib. v. cap. 50. Quanquam ibi *Locuto* legendum suspicor. De quo Romanorum deo vide Varr. apud Gell. XVI. 17. *Passerat*.

12 *Junonem illam appellatam* Monetam] A monendo. Ἥραν Μονήτην similiter σύμβουλον interpretatur Suidas in Μονήτη: sed nominis causam atque fontem modo longe diverso tradit. *Davisius*.

Neque ſolum deorum voces Pythagorei obſervitaverunt, ſed etiam hominum, quæ vocant omina. Quæ majores noſtri, quia valere cenſebant, idcirco omnibus rebus agendis, *Quod bonum* [13], *fauſtum*, *felix*, *fortunatumque eſſet*, præfabantur; rebuſque divinis, quæ publice fierent, ut *faverent linguis*, imperabatur; inque feriis imperandis, *ut litibus & jurgiis ſe abſtinerent*. Itemque in luſtranda colonia, ab eo, qui eam deduceret; & cum imperator exercitum, cenſor populum luſtraret, bonis [14] nominibus qui hoſtias ducerent, eligebantur. Quod idem in delectu conſules obſervant; ut primus miles fiat bono nomine. Quæ quidem a te ſcis & conſule & imperatore ſumma religione eſſe ſervata. Prærogativam etiam majores omen juſtorum comitiorum eſſe voluerunt.

XLVI. Atque ego exempla ominum nota proferam. L. Paulus [15] conſul iterum, cum ei, bellum ut cum rege Perſe gereret, obtigiſſet: ut ea ipſa die domum ad veſperam rediit, filiolam ſuam Tertiam, quæ tum erat admodum parva, oſculans animadvertit triſticulam. Quid eſt, inquit, mea Tertia? quid triſtis es? Mi pater, inquit, Perſa periit. Tum ille arctius puellam complexus, Accipio, inquit, mea filia, omen. Erat autem mortuus catellus eo nomine.

L. Flaccum, flaminem Martialem, ego audivi, cum diceret, Cæciliam Metelli, cum vellet ſororis ſuæ filiam in matrimonium collocare, exiſſe in quoddam ſacellum ominis capiendi cauſa: quod fieri more veterum ſolebat. Cum virgo ſtaret, & Cæcilia in ſella ſederet, neque diu ulla vox extitiſſet, puellam defatigatam petiiſſe a matertera, ut ſibi concederet pauliſper, ut in ejus ſella requieſceret: illam autem dixiſ-

13 *Quod bonum, fauſtum, felix* &c.] De hiſce formulis diligenter egit vir eximius Barn. Briſſonius Form. lib. 1. pag. 8. 66. 118. *Idem*.

14 *Bonis nominibus .... bono nomine ..... eſſe voluerunt*] Ratio eſt, quod, ut Ovidius Faſt. I. 178.

Omnia principiis, inquit, ineſſe ſolent.

Sic cum ſub Veſpaſiano reſtituendum fuit Capitolium, *Ingreſſi milites, queis fauſta nomina felicibus ramis*. Rem narrat Tacitus Hiſt. IV. 53. ubi nonnulla Lipſius hanc in rem notavit. Vide ſis & B. Briſſonium Form. lib. 1. pag. 92. ac Interpretes ad Ciceronem pro Murena cap. 18. *Idem*.

15 *L. Paulus, conſul iterum*] Hoc narrat Valerius Maximus lib. 1. c. 5. 3. Plutarchus in Paulo Æmilio, pag. 260. Nicephorus Gregoras in Syneſium de Inſomn. pag. 359. Joannes Sariſberienſis Policr. I. 13. ubi Perſen de rege Perſarum, qui ſæpe Perſes dicitur, perperam intelligit. *Idem*.

dixisse, Vero, mea puella, tibi concedo meas sedes. Quod omen res consecuta est: ipsa enim brevi mortua est: virgo autem nupsit cui Cæcilia nupta fuerat. Hæc posse contemni, vel etiam rideri, præclare intelligo: sed id ipsum est [16] deos non putare, quæ ab iis significantur, contemnere.

XLVII. Quid de auguribus loquar? Tuæ partes sunt: tuum, inquam, auspiciorum patrocinium debet esse. Tibi App. Claudius augur consuli nuntiavit, addubitato [17] Salutis augurio, bellum domesticum triste ac turbulentum fore: quod paucis post mensibus exortum [18], paucioribus a te est diebus oppressum. Cui quidem auguri vehementer assentior: solus enim multorum annorum memoria, non decantandi augurii, sed divinandi tenuit disciplinam: quem irridebant collegæ tui, eumque tum Pisidam, tum Soranum augurem esse dicebant. Quibus nulla videbatur in auguriis aut auspiciis præsensio, aut scientia veritatis futuræ; sapienter ajebant ad opinionem imperitorum esse fictas religiones. Quod longe secus est; neque enim in pastoribus illis, quibus Romulus præfuit, nec in ipso Romulo hæc calliditas esse potuit, ut, ad errorem multitudinis, religionis simulacra fingerent: sed difficultas laborque discendi disertam negligentiam reddidit. Malunt enim differere, nihil esse in auspiciis, quam, quid sit, ediscere.

Quid est illo auspicio divinius, quod apud te in Mario est, ut utar potissimum te auctore?

Hic Jovis altisoni subito pinnata satelles,
Arboris e trunco, serpentis saucia morsu,
Subigit ipsa feris [19] *transfigens unguibus anguem*
Semianimum, & varia graviter cervice micantem.
Quem se intorquentem lanians, rostroque cruentans,

Jam

16 *Sed id ipsum est, deos non putare*] Rectius, *sed id ipsum est*, esse *deos non putare*. Ut in I. 6. *mihi vero satis est argumenti &* esse *deos* &c. *Pearcius*.

17 *Addubitato salutis auguria*] Tacitus Annal. XII. 23. *Salutis augurium quinque & viginti annis omissum repeti ac deinde continuari placitum*. Quale vero fuerit *salutis augurium*, docet Dion, lib. XXXVIII. pag. 40. Vide sis & J. C. Bulengerum de Aug. & Ausp. lib. III. cap. 17. *Davisius*.

18. *Quod paucis post mensibus exortum*] De bello Catilinario loquitur. *Idem*.

19 *Subigit ipsa feris*] Metri causa literam tertiam duplicabat *Lambinus*. Verum Turnebus & Aldus nepos, inverso verborum ordine, legunt *Ipsa feris subigit*. Gulielmio denique placebat *Subjicit ipsa feris*. Balliol. *subigat*, unde forsan non male rescribi possit, *Subjugat ipsa feris* &c. *Davisius*.

Jam satiata animos, jam duros ulta dolores,
Abjicit efflantem, & laceratum affligit in unda,
Seque obitu a solis nitidos convertit ad ortus.
Hanc ubi præpetibus pennis, lapsuque volantem
Conspexit Marius, divini numinis augur;
Faustaque signa suæ laudis, reditusque notavit;
Partibus intonuit cæli pater ipse sinistris.
Sic aquilæ clarum firmavit Juppiter omen.

XLVIII. Atque ille Romuli auguratus, pastoralis, non urbanus [20] fuit: nec fictus ad opinionem imperitorum, sed a certis acceptus, & posteris traditus. Itaque Romulus augur, ut apud Ennium est, cum fratre item augure,

Curantes magna cum cura, concupientes
Regni, dant operam simul auspicio, augurioque.
Hinc Remus auspicio se devovet, atque secundam [21]
Solus avem servat. At Romulu' pulcher in alto
Quærit Aventino, servans genus altivolantum:
Certabant, urbem Romam, Remoramne [22] *vocarent.*
Omnibu' cura viris, uter esset induperator.
Exspectant, veluti consul cum mittere signum
Volt: omnes avidi spectant ad carceris oras,
Qua mox emittat pictis ex faucibu' currus:
Sic exspectabat populus, * *atque ore* [23] *timebat*

20 *Non urbanus fuit*] Idest, non erat res iis, qui in urbe degebant, inventa, quique ritus sacros ob politicas causas instituere poterant: sed fuit *pastoralis*; erat ritus a pastoribus, aratoribus, rusticis observatus, qui non satis callidi erant, ut res, ad opiniones imperitorum fictas, invenirent. *Miscel. Observ. Vol.* III.

21 *Atque secundam*] Tullium dedisse suspicamur:

arte secundam
Solus avem servans. Wopkens.

22 *Romam* Remoramne *vocarent*] Alii *Remonamne*; alii *Romoamne Remamne*; sed recepta præstat lectio, quam firmant MSS. *Festus: Remurinus ager dictus, quia possessus est a Remo. Et habitatio Remi, Remora. Sed & locus in summo Aventino Remoria dicitur, ubi Remus de urbe condenda fuerat auspicatus.* Hinc apud Plutarchum in Romulo non Ῥεμώνιον, sed Ῥεμωρίαν legendum, licet hunc locum Ῥεμορίαν rectius vocet Dionysius Halicarnassensis lib. 1. cap. 85. si modo codicem Vatic. sequamur. Paulus in Compendio: *Romam Romulus de suo nomine appellavit; sed ideo Romam, non Romulam, ut ampliore vocabuli significatu prosperiora patriæ suæ ominaretur.* Et Romam quidem ἐπώνυμον Romuli fuisse quam plurimis traditur: dissentiunt tamen aliqui. Vide sis interpretes ad *Festum* voce *Roma*; Servium in Æn. I. 277. & Panc. Maasvicium ad Polyæni Stratag. lib. VIII. cap. 25. 2. *Davisius*.

* Lamb. *atque ora tenebat*

23 *Atque ore timebat*] Lambinus admisit Turnebi conjecturam, *atque ora tenebat*, nolentibus MSS. & ratione ipsa: belle enim tribuit poeta spectatoribus eam sollicitudinem, quæ & ipso se vultu proderet, ut fere solet. *Gruterus*.

Rebus, utri magni victoria sit data regni.
Interea sol albu' recessit in infera noctis.
Exin candida se radiis dedit icta foras lux:
Et simul ex alto longe pulcherrima præpes
Læva volavit avis: simul aureus exoritur sol.
Cedunt de cælo ter quatuor [24] *corpora sancta*
Avium, præpetibus sese pulchrisque locis dant.
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora,
Auspicio regni stabilita scamna, solumque.

XLIX. Sed unde huc digressa est, eodem redeat oratio. Si nihil queam disputare, quamobrem quidque fiat, & tantummodo fieri ea quæ commemoravi, doceam; parumne Epicuro, Carneadive respondeam? Quid, si etiam ratio exstat artificiosæ præsensionis, facilis; divinæ autem, paulo obscurior? Quæ enim extis, quæ fulguribus, quæ portentis, quæ astris præsentiuntur, hæc notata sunt observatione diuturna. Affert autem vetustas omnibus in rebus longinqua observatione incredibilem scientiam: quæ potest esse sine motu atque impulsu deorum, cum, quid ex quoque eveniat, & quid quamque rem significet, crebra animadversione perspectum est.

Altera divinatio est naturalis, ut ante dixi: quæ physica disputandi subtilitate referenda est ad naturam deorum, a qua, ut doctissimis sapientissimisque placuit, haustos animos & libatos habemus: cumque omnia completa & referta sint æterno sensu & mente divina, necesse est cognatione [25] divinorum animorum animos humanos commoveri. Sed vigilantes [26] animi vitæ necessitatibus serviunt, disjunguntque se a societate divina, vinclis corporis impediti. Rarum est quoddam genus eorum,

24 *Ter* quatuor *corpora sancta*] Sic scripsi, non *quattuor*, cum vox illa pro disyllaba sit habenda. Vide Chr. Wasium de Senar. cap. 9. pag. 103. *Davisius*. Sed & Manutius, & Lambinus:

Cedunt ter quatuor de cælo &c.

25 *Cognatione divinorum animorum*] Omnino legendum crediderim *contagione*, quæ vox *contactum* passim denotat. Cum enim *omnia completa & referta sint æterno sensu & mente divina*; non tam *cognatione*, quam *contactu* divinorum animorum commoventur animi humani. Est autem hoc dogma Stoæ de Pythagoricis & Platonicis haustum fontibus. Præter alios bene multos, vide Ciceronem N. D. lib. 1. cap. 11. & Origenem contra Celsum lib. VI. *Davisius*.

26 *Sed* vigilantes *animi*] At pro Quinti sententia vel *in somnis vigent*, & adeo vigilant animi. Vide cap. 51. Legendum puto, *sed* vigilantium *animi*: ut *castus animus purusque vigilantis* dicitur infra cap. 53. *Idem*.

eorum, qui se a corpore avocent, & ad divinarum rerum cognitionem cura omni studioque rapiantur. Horum sunt auguria non divini impetus, sed rationis humanæ: nam & natura futura præsentiunt, ut aquarum fluxiones & deflagrationem futuram aliquando cæli atque terrarum. Alii autem in republica exercitati, ut de Atheniensi [27] Solone accepimus, orientem tyrannidem multo ante prospiciunt: quos prudentes possumus dicere, id est, providentes: divinos nullo modo possumus; non plus, quam Milesium [28] Thalem, qui ut objurgatores suos convinceret, ostenderetque etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam, antequam florere cœpisset, in agro Milesio coemisse dicitur. Animadverterat fortasse quadam scientia, olearum ubertatem fore. Et quidem idem primus defectionem solis, quæ Astyage [29] regnante facta est, prædixisse fertur.

L. Multa medici, multa gubernatores, agricolæ etiam multa præsentiunt: sed nullam eorum divinationem voco: ne illam quidem, qua ab Anaximandro physico moniti Lacedæmonii sunt, ut urbem & tecta linquerent, armatique in agro excubarent, quod terræ motus instaret, tum, cum & urbs tota corruit, & ex monte Taygeto extrema montis quasi puppis avulsa est. Ne Pherecydes quidem ille Pythagoræ magister, potius divinus habebitur, quam physicus: qui cum vidisset haustam aquam de jugi puteo, terræ motus dixit instare.

Nec vero unquam animus hominis naturaliter divinat, nisi cum ita solutus est & vacuus, ut ei plane nihil sit cum corpore. Quod aut vatibus contingit, aut dormientibus. Itaque ea duo genera a Dicæarcho probantur, &, ut dixi, a Cratippo nostro. Si propterea quod ea proficiscuntur a natura; sint summa sane, modo ne sola. Sin autem nihil esse in observatio-

27 *Ut de Atheniensi Solone accepimus*] Valerius Maximus lib. v. cap. 3. extern. Diogenes Laertius lib. 1. §. 49. & §. 65. Similia tradunt Plutarchus in Solone pag. 95. & Ælianus V. H. lib. VIII. cap. 16. *Idem*.

28 *Non plus, quam Milesium Thalem*] Sumpsit hoc ab Aristotele ex lib. 1. cap. 11. Polit. *Ursinus*.

29 *Quæ Astyage regnante facta est*] Astyage quidem regnante, factum est solis deliquium, quod prædicere potuit Thales. Sed prior est eclipsis illa, quam ab hoc philosopho prænuntiatam sub Cyaxare Astyagis patre contigisse referunt scriptores. De qua diligenter egit D. Petavius Doct. Temp. lib. x. cap. 1. *Idem*.

tione putant: multa tollunt, quibus vitæ ratio continetur. Sed quoniam dant aliquid, idque non parvum, vaticinationes cum somniis; nihil est, quod cum his magnopere pugnemus, præsertim cum sint, qui omnino nullam divinationem probent.

Ergo & ii, quorum animi, spretis corporibus, evolant atque excurrunt foras ardore aliquo inflammati atque incitati, cernunt illa profecto, quæ vaticinantes prænuntiant: multisque rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhærent; ut ii, qui sono quodam vocum & Phrygiis cantibus incitantur. Multos nemora silvæque, multos amnes aut maria commovent: quorum furibunda mens videt ante multo, quæ futura sunt. Quo de genere illa sunt,

Eheu, videte: judicavit inclytum judicium
Inter deas tres aliquis: quo judicio Lacedæmonia
Mulier, furiarum una, adveniet.

Eodem enim modo multa a vaticinantibus sæpe prædicta sunt, neque solum verbis, sed etiam

Versibu', quos olim Fauni, vatesque canebant.

Similiter Marcius, & Publicius vates cecinisse dicuntur. Quo de genere, Apollinis operta prolata sunt. Credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum, quibus inflatæ mentes oracula funderent.

LI. Atque hæc quidem vatum ratio est: nec dissimilis sane somniorum. Nam quæ vigilantibus accidunt vatibus, eadem nobis dormientibus. Viget enim animus in somnis, liberque sensibus, ac omni impeditione curarum, jacente & mortuo pæne corpore. Qui quia vixit ab omni æternitate, versatusque est cum innumerabilibus animis, omnia, quæ in natura rerum sunt, videt, si modo temperatis escis modicisque potionibus ita est affectus, ut sopito corpore ipse vigilet. Hæc somniantis est divinatio.

Hic magna quædam exoritur, neque ea naturalis, sed artificiosa somniorum Antiphonis [30] interpretatio: eodemque modo & oraculorum & vaticinationum. Sunt enim explanatores [31]

30 *Antiphonis interpretatio*] De hoc homine videas licet Æg. Menagium ad Diogenis Laertii lib. II. §. 46. *Idem*.

res [31], ut grammatici poetarum. Nam ut aurum & argentum, æs, ferrum, frustra natura divina genuisset, nisi eadem docuisset quemadmodum ad eorum venas perveniretur: nec fruges terræ, baccasve arborum cum utilitate ulla generi humano dedisset, nisi earum cultus & conditiones tradidisset: materia deinde quid juvaret, nisi confectionis ejus fabricam haberemus? sic cum omni utilitate, quam dii hominibus dederunt, ars aliqua conjuncta est, per quam illa utilitas percipi possit. Item igitur somniis, vaticinationibus, oraculis, quod erant multa obscura, multa ambigua, explanationes adhibitæ sunt interpretum.

Quo modo autem aut vates, aut somniantes ea videant, quæ nusquam etiam tunc sint, magna quæstio est. Sed explorata si sint ea, quæ ante quæri debeant: sint hæc, quæ quærimus, faciliora. Continet enim totam hanc quæstionem ea ratio, quæ est de natura deorum, quæ a te secundo libro est explicata dilucide. Quam si obtinemus, stabit illud quidem, quod locum hunc continet, de quo agimus, Esse deos, & eorum providentia mundum administrari, eosdemque consulere rebus humanis, nec solum universis, verum etiam singulis. Hæc si tenemus, quæ mihi quidem non videntur posse convelli: profecto hominibus a diis futura significari necesse est. Sed distinguendum videtur, quonam modo.

LII. Non placet Stoicis, singulis jecorum fissis, aut avium cantibus interesse deum: neque enim decorum est, nec diis dignum, nec fieri ullo pacto potest: sed ita a principio inchoatum esse mundum, ut certis rebus certa signa præcurrerent, alia in extis, alia in avibus, alia in fulguribus, alia in ostentis, alia in stellis, alia in somniantium visis, alia in furentium vocibus. Ea quibus bene percepta sunt, ii non sæpe falluntur. Male conjecta, maleque interpretata, falsa sunt, non rerum vitio, sed interpretum inscientia. Hoc autem posito atque concesso, esse quandam vim divinam, hominum vitam

31 *Sunt enim explanatores*] Aliquid deesse vidit acutissimus Lambinus: quapropter rescribendum conjecit, *sunt enim harum rerum explanatores*. At cum Reg. & Cantab. habeant, *sunt enim explanatores somniorum*: forsan optime rescripseris, *sunt enim explanatores omnium horum*; somniorum videlicet, oraculorum, & vaticinationum. *Idem*.

vitam continentem : non difficile eſt, quæ fieri certe videmus, ea qua ratione fiant, ſuſpicari. Nam & ad hoſtiam deligendam poteſt dux eſſe vis quædam ſentiens, quæ eſt toto confuſa mundo : & tum, ipſam cum immolare velis., extorum fieri mutatio poteſt, ut aut abſit aliquid, aut ſuperſit. Parvis enim momentis multa natura aut affingit, aut mutat, aut detrahit.

Quod ne dubitare poſſimus, maximo eſt argumento, quod paulo ante interitum Cæſaris contigit : qui cum immolaret illo die, quo primum in ſella aurea ſedit, & cum purpurea veſte proceſſit, in extis bovis opimi cor non fuit. Num igitur cenſes ullum animal, quod ſanguinem habeat, ſine corde eſſe poſſe? Quia ille rei novitate perculſus, cum Spurinna diceret timendum eſſe, ne & conſilium, & vita deficeret : earum enim rerum utrumque a corde proficiſci : poſtero die caput in jecore non fuit. Quæ quidem illi portendebantur a diis immortalibus, ut videret interitum, non ut caveret. Cum igitur eæ partes in extis non reperiuntur, ſine quibus victima illa vivere nequiſſet, intelligendum eſt, in ipſo immolationis tempore eas partes, quæ abſint, interiſſe.

LIII. Eademque efficit in avibus divina mens, ut tum huc, tum illuc volent alites : tum in hac, tum in illa parte ſe occultent : tum a dextra, tum a ſiniſtra parte canant oſcines. Nam ſi animal omne, ut vult, ita utitur motu ſui corporis, prono, obliquo, ſupino; membraque quocumque vult, flectit, contorquet, porrigit, contrahit; eaque ante efficit pæne, quam cogitat : quanto id deo eſt facilius, cujus numini parent omnia?

Idemque mittit & ſigna nobis ejus generis, qualia permulta hiſtora tradidit; quale ſcriptum illud videmus : Si luna paulo ante ſolis ortum defeciſſet in ſigno leonis, fore, ut armis Darius, & Perſæ ab Alexandro & Macedonibus prælio vincerentur, Dariuſque moreretur : &, ſi puella nata biceps eſſet, ſeditionem in populo fore, corruptelam & adulterium domi : &, ſi mulier leonem peperiſſe viſa eſſet, fore, ut ab exteris gentibus vinceretur ea reſpublica, in qua id contigiſſet. Ejuſ-

jusdem generis etiam illud est, quod scribit Herodotus: Crœsi filium, cum esset infans [32], locutum: quo ostento regnum patris & domum funditus concidisse. Caput arsisse Servio Tullio [33] dormienti, quæ historia non prodidit? Ut igitur qui se tradet quieti, præparato animo tum bonis cogitationibus, tum rebus ad tranquillitatem accommodatis, certa & vera cernit in somnis; sic castus animus purusque vigilantis, & ad astrorum, & ad avium, reliquorumque signorum, & ad extorum veritatem est paratior.

LIV. Hoc nimirum est illud, quod de Socrate accepimus, quodque ab ipso in libris Socraticorum sæpe dicitur, Esse divinum quiddam, quod dæmonion appellat, cui semper ipse paruerit, nunquam impellenti [34], sæpe revocanti. Et Socrates quidem (quo quem auctorem meliorem quærimus?) Xenophonti consulenti, sequereturne Cyrum; postea quam exposuit, quæ sibi videbantur, *Et nostrum* [35] *quidem*, inquit, *humanum est consilium, sed de rebus & obscuris, & incertis ad Apollinem censeo referendum*: ad quem etiam Athenienses publice de majoribus rebus semper retulerunt. Scriptum est item, cum Critonis sui familiaris oculum alligatum vidisset, quæsivisse, quid esset: cum autem ille respondisset, in agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum suum recidisse: tum Socrates, *Non enim paruisti mihi revocanti, cum uterer, qua soleo, præsagitione divina*. Idem etiam Socrates, cum apud Delium male pugnatum esset, Lachete prætore, fugeretque cum ipso Lachete, ut ventum est in trivium, eadem, qua cæteri, fugere noluit. Quibus quærentibus, cur non eadem via pergeret, deterreri se a deo dixit. Tum quidem ii, qui alia via fugerant, in hostium equitatum

32 *Cum esset* infans] *Infans* hic est ἄφωνος, mutus, elinguis. Vide Herodotum lib. I. cap. 85. & Agellium lib. V. cap. *Idem*.

33 *Caput arsisse Servio Tullio dormienti*] Eum, licet humili loco natum, *clarum fore visa circa caput flamma promiserat*. Hoc prodigium memorant permulti scriptores, quorum locos indicabit Joan. Frehinshemius ad Flori lib. I. cap. 6. I. *Idem*.

34 *Nunquam impellenti, sæpe revocanti*] Vide Claudii Fraguerii Diatribam *de Dæmonio Socratis*, in libro cui titulus: *Poetarum ex Academia Gallica, qui Latine aut Græce scripserunt, Carmina*. Prodiit Parisiis, anno 1738.

35 *Et nostrum quidem*] Xenophon de Exped. Cyri, lib. III. cap. I. §. 5. Hunc locum cum narratione Ciceronis olim contulit Petr. Victorius Var. Lect. lib. VIII. cap. 22. *Davisius*.

tum inciderunt. Permulta collecta sunt ab Antipatro, quæ mirabiliter a Socrate divinata sunt, quæ prætermittam. Tibi enim nota sunt: mihi ad commemorandum non necessaria. Illud tamen ejus philosophi magnificum ac pæne divinum, quod, cum impiis sententiis damnatus esset, æquissimo animo se dixit mori: neque enim domo [36] egredienti, neque illud suggestum, in quo causam dixerat, adscendenti, signum sibi ullum, quod consuesset, a deo, quasi mali alicujus impendentis, datum.

LV. Equidem sic arbitror, etiam si multa fallant eos, qui aut arte, aut conjectura divinare videantur, esse tamen divinationem: homines autem, ut in cæteris artibus, sic in hac posse falli. Potest accidere, ut aliquod signum dubie datum pro certo sit acceptum: potest aliquod latuisse, aut ipsum, aut quod esset illi contrarium. Mihi autem ad hoc, de quo disputo, probandum, satis est non modo plura, sed etiam pauciora, divine præsensa & prædicta reperiri.

Quin etiam hoc non dubitans dixerim: si unum aliquid ita sit prædictum præsensumque, ut cum evenerit, ita cadat ut prædictum sit, neque in eo quidquam casu & fortuito factum esse appareat, esse certe divinationem, idque esse omnibus confitendum. Quocirca primum mihi videtur, ut Posidonius facit, a deo, de quo satis dictum est, deinde a fato, deinde a natura, vis omnis divinandi, ratioque repetenda. Fieri igitur omnia fato, ratio cogit fateri. Fatum autem id appello, quod Græci εἱμαρμένην, id est, ordinem seriemque causarum, cum causa causæ nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni æternitate fluens veritas sempiterna. Quod cum ita sit, nihil est factum, quod non futurum fuerit: eodemque modo nihil est futurum, cujus non causas id ipsum efficientes natura contineat.

Ex quo intelligitur, ut fatum sit non id quod superstitiose, sed id quod physice dicitur, causa æterna rerum, cur & ea, quæ præterierunt, facta sint, &, quæ instant, fiant, &, quæ sequuntur, futura sint. Ita fit, ut & observatione notari possit, quæ res quamque causam plerumque consequatur, etiam si non

36 *Neque enim domo egredienti*] Socrates apud Platonem in Apolog. *Idem*.

non ſemper. Nam id quidem affirmare difficile eſt. Eaſdemque cauſas veriſimile eſt rerum futurarum cerni ab iis, qui aut per furorem eas, aut in quiete videant.

LVI. Præterea cum fato omnia fiant (id quod alio loco oſtendetur) ſi quis modo talis poſſit eſſe, qui colligationem cauſarum omnium perſpiciat animo, nihil eum profecto fallet. Qui enim teneat cauſas rerum futurarum: idem neceſſe eſt omnia teneat, quæ futura ſint. Quod cum nemo facere, niſi deus, poſſit, relinquendum eſt homini, ut ſignis quibuſdam conſequentia declarantibus, futura præſentiat. Non enim illa quæ futura ſunt, ſubito exſiſtunt; ſed eſt quaſi rudentis explicatio, ſic traductio temporis, nihil novi efficientis, & primum quidque replicantis. Quod & ii vident, quibus naturalis divinatio data eſt: & ii, quibus curſus rerum obſervando notatus eſt. Qui etſi cauſas ipſas non cernunt, ſigna tamen cauſarum & notas cernunt: ad quas, adhibita memoria & diligentia, ex monumentis ſuperiorum efficitur ea divinatio, quæ artificioſa dicitur, extorum, fulgurum, oſtentorum, ſignorumque cæleſtium.

Non eſt igitur, ut mirandum ſit, ea præſentiri a divinantibus, quæ nuſquam ſint. Sunt enim omnia, ſed tempore abſunt. Atque ut in ſeminibus vis ineſt earum rerum, quæ ex iis progignuntur, ſic in cauſis conditæ ſunt res futuræ: quas eſſe futuras aut concitata mens, aut ſoluta ſomno, cernit; aut ratio, aut conjectura præſentit. Atque ut ii, qui ſolis & lunæ reliquorumque ſiderum ortus, obitus, motuſque cognorunt, quo quidque tempore eorum futurum ſit, multo ante prædicunt: ſic qui curſum rerum, eventorumque conſequentiam diuturnitate [37] pertractata notaverunt, aut ſemper, aut, ſi id difficile eſt, plerumque; quod ſi ne id quidem conceditur, nonnunquam certe, quid futurum ſit, intelligunt. Atque hæc quidem, & quædam hujuſmodi argumenta, cur ſit divinatio, ducuntur a fato.

LVII. A natura autem alia quædam ratio eſt: quæ docet,

37 *Diuturnitate pertractata*] Quæ ſit huiuſce φράσεως mens, ego ſane non intelligo; niſi forſan velit *Cicero diuturnitatem* fuiſſe *pertractatam*, lectis commentariis, in quibus eventorum longam ſeriem tradiderint varii ſcriptores. Si mei tamen arbitrii res eſſet, potius legerem *diuturna pertractatione*; nam ſimili modo loqui ſolet noſter. *Idem*.

quanta ſit animi vis ſejuncta a corporis ſenſibus: quod maxime contingit aut dormientibus, aut mente permotis. Ut enim deorum animi ſine oculis, ſine auribus, ſine lingua ſentiunt inter ſe, quid quiſque ſentiat: ex quo fit, ut homines, etiam cum taciti optent quid, aut voveant, non dubitent quin dii illud exaudiant: ſic animi hominum, cum aut ſomno ſoluti vacant corpore, aut mente permoti [38] per ſe ipſi liberi incitati moventur, cernunt ea, quæ permiſti cum corpore animi videre non poſſunt.

Atque hanc quidem rationem naturæ difficile eſt fortaſſe traducere ad id genus divinationis, quod ex arte profectum dicimus: ſed tamen id quoque rimatur [39] quantum poteſt Poſidonius, cum eſſe cenſet in natura ſigna quædam rerum futurarum. Ut enim [40] Ceos accepimus ortum caniculæ diligenter quotannis ſolere ſervare, conjecturamque capere, ut ſcribit Ponticus Heraclides, ſalubriſne, an peſtilens annus futurus ſit. Nam ſi obſcurior & quaſi caliginoſa ſtella exſtiterit, pingue & concretum eſſe cælum, ut ejus adſpiratio gravis & peſtilens futura ſit: ſin illuſtris & perlucida ſtella apparuerit, ſignificari cælum eſſe tenue, purumque, & propterea ſalubre. Democritus autem cenſet ſapienter inſtituiſſe veteres, ut hoſtiarum immolatarum inſpicerentur exta, quorum ex habitu atque ex colore tum ſalubritatis, tum peſtilentiæ ſigna percipi; nonnunquam etiam quæ ſit vel ſterilitas agrorum, vel fertilitas futura. Quæ ſi a natura profecta obſervatio atque uſus agnovit; multa afferre potuit dies, quæ animadvertendo notarentur: ut ille Pacuvianus, qui in Chryſe phyſicus inducitur, minime naturam rerum cognoſſe videatur.

Nam

38 *Aut mente* permoti] Quid ſint *animi hominum mente permoti*, me quidem fugit: ſaltem loquendi ratio eſt incommoda. Reſcribendum videtur, *aut* in *mente* permotis *per ſe ipſi liberi incitati moventur*. Ita ſane ſenſus exſurgit rei congruus. *Idem*.

39 *Id quoque* rimatur, *quantum poteſt. Poſidonius eſſe cenſet*] Sic edidere Victorius & Gruterus, nec abeunt plerique codices; niſi quod eorum nonnulli, ordine verborum mutato, repræſentent, *id quoque*, *quantum poteſt*, *rimatur*. Mihi tamen perſuadere non poſſum, quin vitio laborent verba. Vett. editi dant, *id quoque rimatur*, *quantum poteſt*, *Poſidonius*, *cum eſſe cenſet*; quod longe melius. Pariſ. *id* quoque *rimatur*, *quantum poteſt*. Forſan *id* quiſque rimetur, *quantum poteſt*. Idem.

40 *Ut enim* (Lamb. *Etenim*) *Ceos accepimus ortum Caniculæ*] Hiſtoriam, quæ rei dedit originem, referunt Diodorus Siculus Bibl. lib. IV. pag. 281. Hyginus Poet. Aſtron. lib. II. cap. 4. aliique. Vide Cl. Salmaſium Exercit. Plin. edit. Pariſ. pag. 144. *Idem*.

Nam istis, qui linguam avium intelligunt,
Plusque ex alieno jecore sapiunt, quam ex suo,
Magis audiendum, quam auscultandum, censeo.

Cur, quæso? cum ipse, paucis interpositis versibus, dicas satis luculente:

Quidquid est hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat,
Sepelit, recipitque in sese omnia: omniumque idem est pater;
Indidemque [41] eadem, quæ oriuntur, de integro, atque eodem occidunt.

Quid est igitur, cur, cum domus sit omnium una, eaque communis, cumque animi hominum semper fuerint, futurique sint, cur ii, quid ex quoque eveniat, & quid quamque rem significet, perspicere non possint?

LVIII. Hæc habui, inquit, de divinatione quæ dicerem. Nunc illa testabor, non me sortilegos, neque eos, qui quæstus causa hariolentur, neque psychomantia quidem, quibus Appius amicus tuus uti solebat, agnoscere.

Non habeo denique nauci Marsum augurem,
Non vicanos haruspices, non de circo astrologos,
Non Isiacos conjectores, non interpretes somnium.
Non enim sunt ii scientia, aut arte divini,
Sed superstitiosi vates, impudentesque harioli,
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat:
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam:
Quibu' divitias pollicentur, ab iis drachmam ipsi petunt.
De his divitiis sibi deducant drachmam, reddant cætera.

Atque hæc quidem Ennius, qui paucis ante versibus esse deos censet, sed eos non curare opinatur, quid agat humanum genus. Ego autem, qui & curare arbitror, & monere etiam, ac multa prædicere, levitate, vanitate, malitia exclusa, divinationem probo. Quæ cum dixisset Quintus: Præclare tu quidem, inquam, paratus * * * *Desunt pauca quædam.*

H 2 DE

41 *Indidemque eadem, quæ oriuntur*] Gulielmus castigat, *Indidemque eademque oriuntur*. Gruterus.

DE
DIVINATIONE.
LIBER SECUNDUS.
ARGUMENTUM.

HOC libro continetur Ciceronis contra Stoicam rationem a fratre explanatam & defensam disputatio. Initium ejus est a Carneadeo argumento, quod nulla est divinationis tanquam materia (objectum). Nam nec est earum rerum, quæ sensibus subjectæ sunt, nec earum, quæ in philosophia differuntur, nec earum, quæ in republica versantur. Nam quod divinatio dicitur esse rerum fortuitarum; primum, venti, eventus morborum, multa alia, sunt fortuita, neque tamen e Stoicorum mente divinationi subjecta: deinde si fortuita hæc dicuntur, quæ nec ratione, nec arte provideri possunt, quod in fortuna posita sunt; nulla potest earum rerum esse præsensio, quæ nihil habent rationis, quare futuræ sint. Quod si omnia causas certas habent, nullæ sunt res fortuitæ, adeoque nec divinatio. Si fatum continet omnia, nil divinatio prodest. Neque vero utilis hominibus est futurarum rerum scientia; quod provisio malorum totam vitam acerbam esset redditura, neque tamen ullo modo, si fatum esset, levari mala re divina possent, cap. 3, 10. *Sed hac tanquam levis armaturæ prima excursione facta, cominus agere incipit, & ipsa cornua Stoicæ rationis commovere aggreditur. Itaque singula divinationum genera excutit, & quare rejicienda sint, demonstrat. Initium facit ab haruspicina, & toto genere artificioso, & primo* exta *inspicit; quibus quæ præsignificari dicuntur, non possunt cognita esse observatione diuturna, neque ipsa conformantur, aut ante, aut inter immolandum a numine Deorum, quibus nihil est cum extis commune; aut ab ipsa natura, cui, etsi est quædam omnium rerum cognatio, tamen nulla cum extis convenien-*

nientia esse potest. Neque intelligi potest, quomodo immolaturus convenientem rebus hostiam inveniat. Si duce divina vi, & si immutantur a Diis exta, unde post tristia exta statim læta, aut unde tam subita Deorum placatio? unde denique eodem tempore ab aliis litatur, ab aliis non item? cap. 12. *&c.* Fulgura *autem &* fulmina *ex prima hominum admiratione & timore credita sunt mitti a Jove. Quia autem sunt incerta, nil certi significare possunt. Neque si quid præsignificarent, ratio esset, quare tam multa frustra in sylvas, montes, maria mitterentur. Quod si quid interdum accidit, quod fulmine significatum videri possit, casu id ita apte cadit:* cap. 18. *&c.* Ostenta *pleraque falsa sunt; quæ autem vera: ut monstra, ea homines mirantur, quia non sæpe fiunt, quæ si fieri non potuissent, non facta essent; sin potuerunt, non debebant mirabilia videri. Causarum ignoratio admirationem facit in re nova, in rebus usitatis non item. Quare vero Dii ostenta mittunt, si sine interprete intelligi non possunt, & si, quæ portenduntur mala, caveri non possunt? Interpretationes præterea incertæ sunt & sæpe inter se repugnantes, ut plane frustra ostentum missum sit:* cap. 22. *&c. Jam* auspicia *etsi sunt a Romulo divinationis causa instituta, tamen postea ad opinionem tantum vulgi, & ad magnas reip. utilitates retenta & conservata sunt. Nam illud auspicium e pullis, cum tam coactum & expressum est, divini habere nihil potest. Ex cæteris vero avibus auguria diversa sunt apud Romanos & alios populos, nec apud illos nunc adhibentur, nisi in re bellica; neque tamen & hic semper, postquam bella a Procons. & Propræt. administrari cœperunt, qui auspicia non habent; ex acuminibus autem auspicia, quod genus totum militare est, jam M. Marcellus consul omisit. Ipsorum autem auspiciorum afferri potest neque idonea causa, neque idoneus auctor & inventor, neque ulla est eorum constantia:* cap. 33. *&c.* Omina *porro si valerent: nemo libero & quieto animo esse posset, nil agere ratione duce, sed omine & casu:* cap. 40. Sortes, *tanquam Prænestinæ, fabulosam inventionem habent, nec est in iis aliquid certi, cum fortunæ monitu, tanquam nutu capitis aut alio signo tollantur, a puero misceantur & ducantur; itaque cum cæteris*

etiam

etiam nunc contemnuntur : cap. 41. Chaldæorum *autem* ratio *cum ab ipsis celeberrimis Astrologis repudiatur , tum rationem habet fictam & absurdam . Neque enim potest intelligi , quomodo a stellis , ex infinito pæne intervallo contagio ad terram pertineat . Quod si affectio cæli , quare non potius venti tempestatesque , item locorum ingenia ad ortum nascentium pertinent , quæ in diversis orbis partibus diversa sunt ? Neque verum est , eodem tempore , hoc est , eodem cæli & siderum statu natis eadem fata instare , cum constet , eadem hora natis , tanquam geminis , diversa , diversis autem temporibus natis eadem accidisse . Quid? quod eodem tempore nati non propterea etiam eodem astro nati sunt , quod* ὁρίζοντες , *hoc est , orbes finientes , varietatem maximam habent , aliique in aliis locis sunt . Denique constituta ratione Chaldæorum tollitur seminis vis , quæ maxima esse solet :* cap. 42. *&c. Repudiato genere artificioso ad naturale progreditur , cujus prima pars est* futurorum per furorem prædictio . *In qua mirum illud est , quod , quæ sani non vident , ea insani videre putantur . Quod autem ex hoc genere libri Sibyllini sunt , facile intelligi potest , eos esse confictos , idque cum multis aliis ex rebus , tum vero imprimis ex eo , quod & versibus scripti sunt , &* ἀκροστιχὶς *adhibita est . Reliqua a vetustate celebrata vaticinia fabulosa sunt , ipsæque oraculorum sortes partim falsæ , partim casu veræ , partim flexiloquæ , ambiguæ & obscuræ ; denique jamdiu desierunt , quod fieri non potuit , si vis illa divina fuit :* cap. 54. *&c.* Somniorum *longa repetitur a Stoicis defensio , qui rationem eorum a mentis divinitate & conjunctione cum aliis mentibus ducunt . Sive autem mentes per se , sive externa visione moventur , permulta falsa somniantibus videri possunt pro veris , quod & vigilantibus accidit . Neque vero si unum ex innumerabilibus verum somnium fuit , propterea somniis fides habenda , quod id casu accidit . Quod si vero somniis verum videremus , aut divina vis quædam consulens nobis somniorum significationes faceret ; aut conjectores ex quadam convenientia naturæ , quid quamque rem sequeretur , intelligerent ; aut denique observatio quædam constans esset , & diuturna , cum quid secundum quietem visum est , quid evenire soleret ; quorum cum nullum sit , etiam somniorum divi-*

natio

natio explodenda est : cap. 58. *&c. Quod autem exemplis potius quam rationibus usus est Quintus, id non dignum Philosopho judicat* cap. 11. *Neque illam latebram probat, in quam se conjecit Quintus, cum rationem se causamque non quaerere diceret, ubi res videret:* cap. 20. *In Stoicorum autem ratione, qua divinationem esse concludant, sumi ait ea, quorum nihil iis concedatur;* cap. 49. *&c. Neque tandem, quod oculi quanquam aliquoties decepti, tamen sensum videndi haberent, propterea etiam divinationem esse, etsi saepe fallatur; quod oculi vera cernentes utantur natura & sensu, animi autem in somniis aut vaticiniis vera cernentes, fortuna & casu,* cap. 52: *& seq.* ERNESTUS.

I. UÆRENTI mihi, multumque & diu cogitanti, quanam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermitterem consulere reipublicæ, nulla major occurrebat, quam si optimarum artium vias traderem meis civibus: quod compluribus jam libris me arbitror consecutum. Nam & cohortati sumus, ut maxime potuimus, ad philosophiæ studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius; & quod genus philosophandi minime arrogans, maximeque & constans, & elegans arbitraremur, quatuor Academicis libris ostendimus. Cumque fundamentum esset philosophiæ positum in finibus bonorum & malorum, perpurgatus est is locus a nobis quinque libris, ut, quid a quoque, & quid contra quemque philosophum diceretur, intelligi posset. Totidem subsecuti libri Tusculanarum disputationum, res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt. Primus enim est de contemnenda morte: secundus de tolerando dolore: de ægritudine lenienda tertius: quartus de reliquis animi perturbationibus: quintus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime illustrat; docet enim ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam. Quibus rebus editis, tres libri perfecti sunt de Natura Deorum: in quibus omnis ejus loci quæstio continetur. Quæ ut plene esset cumulateque perfecta, de Divinatione ingressi sumus his libris scribere. Quibus

bus (ut eſt in animo) de Fato ſi adjunxerimus, erit abunde ſatisfactum toti huic quæſtioni. Atque his libris annumerandi ſunt ſex de Republica, quos tunc ſcripſimus, cum gubernacula reipublicæ tenebamus. Magnus locus, philoſophiæque proprius, a Platone, Ariſtotele, Theophraſto, totaque Peripateticorum familia tractatus uberrime. Nam quid ego de Conſolatione dicam? quæ mihi quidem ipſi ſane aliquantum medetur: cæteris item multum illam profuturam puto. Interjectus eſt etiam nuper liber is, quem ad noſtrum Atticum de Senectute miſimus. In primiſque, quoniam philoſophia vir bonus efficitur, & fortis, Cato noſter in horum librorum numero ponendus eſt. Cumque Ariſtoteles, itemque Theophraſtus, excellentes viri cum ſubtilitate, tum copia, cum philoſophia dicendi etiam præcepta conjunxerint, noſtri quoque Oratorii libri in eundem numerum referendi videntur. Ita tres erunt de Oratore: quartus, Brutus: quintus, Orator.

II. Adhuc hæc erant. Ad reliqua alacri tendebamus animo, ſic parati, ut, niſi quæ cauſa gravior obſtitiſſet, nullum philoſophiæ locum eſſe pateremur, qui non Latinis literis illuſtratus pateret. Quod enim munus reipublicæ afferre majus meliuſve poſſumus, quam ſi docemus atque erudimus juventutem? his præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrenanda ac coercenda ſit. Nec vero id effici poſſe confido, quod ne poſtulandum quidem eſt, ut omnes adoleſcentes ſe ad hæc ſtudia convertant. Pauci utinam! quorum tamen in republica late patere poterit induſtria. Equidem ex his etiam fructum capio laboris mei, qui jam ætate provecti in noſtris libris acquieſcunt: quorum ſtudio legendi, meum ſcribendi ſtudium vehementius in dies incitatur: quos quidem plures, quam rebar, eſſe cognovi. Magnificum illud etiam, Romaniſque hominibus glorioſum, ut Græcis de philoſophia literis [1] non egeant. Quod aſſequar profecto, ſi inſtituta perfecero.

Ac mihi quidem explicandæ philoſophiæ cauſam attulit gravis

1 *Græcis de Philoſophia* litteris] *Literæ* libros denotant. Noſter de Fin. lib. 1. cap. 4. *Nos autem hanc omnem quæſtionem* ..... *fere a nobis explicatam eſſe his* literis *arbitramur*. Vide J. F. Gronovium ad Livii lib. VI. cap. 1. *Daviſius*.

vis casus civitatis, cum in armis civilibus nec tueri meo more rempublicam, nec nihil agere poteram; nec, quid potius, quod quidem me dignum esset, agerem, reperiebam. Dabunt igitur mihi veniam mei cives, vel gratiam potius habebunt, quod, cum esset in unius [2] potestate respublica, neque ego me abdidi, neque deserui, neque afflixi, neque ita gessi, quasi homini aut temporibus iratus: neque ita porro aut adulatus, aut admiratus fortunam sum alterius, ut me meæ pœniteret. Id enim ipsum a Platone [3], philosophiaque didiceram, naturales esse quasdam conversiones rerum publicarum, ut eæ tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis. Quod cum accidisset nostræ reipublicæ, tum pristinis orbati muneribus hæc studia renovare cœpimus, ut & animus molestiis hac potissimum re levaretur, & prodessemus civibus nostris qua re cumque possemus. In libris enim sententiam dicebamus, concionabamur, philosophiam nobis pro reipublicæ procuratione substitutam putabamus. Nunc, quoniam de republica consuli cœpti sumus, tribuenda est opera reipublicæ, vel omnis potius in ea cogitatio & cura ponenda: tantum huic studio relinquendum, quantum vacabit a publico officio & munere. Sed hæc alias pluribus: nunc ad institutam disputationem revertamur.

III. Nam cum de divinatione Quintus frater ea disseruisset, quæ superiore libro scripta sunt, satisque ambulatum videretur; tum in bibliotheca, quæ in Lyceo est, assedimus. Atque ego, Accurate tu quidem, inquam, Quinte, & Stoice Stoicorum sententiam defendisti: quodque me maxime delectat, plurimis nostris exemplis usus es, & iis quidem claris & illustribus. Dicendum est mihi igitur ad ea, quæ sunt a te dicta, sed ita, nihil ut affirmem, quæram omnia, dubitans plerumque, & mihi ipse diffidens. Si enim aliquid certi haberem, quod dicerem; ego ipse divinarem, qui esse divinationem nego. Etenim me movet illud, quod in primis Carneades quærere solebat, quarumnam rerum divinatio esset:

2 *In unius potestate*] Julium Cæsarem dicit. *Idem*.
3 *A Platone*] Lib. 7. de Rep.

earumne, quæ ſenſibus perciperentur? At eas quidem cernimus, audimus, guſtamus, olfacimus, tangimus. Numquid ergo in iis rebus eſt, quod proviſione, aut permotione mentis magis, quam natura ipſa ſentiamus? aut num neſcio qui ille divinus, ſi oculis captus ſit, ut Tireſias fuit, poſſit, quæ alba ſint, quæ nigra, dicere? aut, ſi ſurdus ſit, varietates vocum, aut modos noſcere? Ad nullam igitur earum rerum, quæ ſenſu accipiuntur, divinatio adhibetur. Atqui ne in iis quidem rebus, quæ arte tractantur, divinatione opus eſt. Etenim ad ægros non vates, aut hariolos, ſed medicos ſolemus adducere. Nec vero, qui fidibus, aut tibiis uti volunt, ab haruſpicibus accipiunt earum tractationem, ſed a muſicis. Eadem in literis ratio eſt, reliquiſque rebus, quarum eſt diſciplina. Num cenſes eos, qui divinare dicuntur, poſſe reſpondere, ſol majorne, quam terra ſit? an tantus, quantus videatur? lunaque ſuo lumine, an ſolis, utatur? ſol, luna, quem motum habeant? quem quinque ſtellæ, quæ errare dicuntur? Nec hæc, qui divini habentur, profitentur ſe eſſe dicturos; nec eorum, quæ in geometria deſcribuntur, quæ vera, quæ falſa ſint. Sunt enim ea mathematicorum, non hariolorum.

IV. De illis vero rebus, quæ in philoſophia verſantur, numquid eſt, quod quiſquam divinorum aut reſpondere ſoleat, aut conſuli, quid bonum ſit, quid malum, quid neutrum? Sunt enim hæc propria philoſophorum. Quid de officio? num quis haruſpicem conſuluit, quemadmodum ſit cum parentibus, cum fratribus, cum amicis vivendum? quemadmodum utendum pecunia? quemadmodum honore? quemadmodum imperio? Ad ſapientes hæc, non ad divinos referri ſolent. Quid? quæ a dialecticis aut phyſicis tractantur, num quis eorum divinare poteſt, unuſne mundus ſit, an plures? quæ ſint initia rerum, ex quibus naſcuntur omnia? Phyſicorum eſt iſta prudentia. Quo modo, aut mentientem, quem ψευδόμενον vocant, diſſolvas? aut quemadmodum ſoriti reſiſtas? quem, ſi neceſſe ſit, Latino verbo liceat *acervalem* appellare: ſed nihil opus eſt: ut enim ipſa philoſophia, & multa

ta

ta verba Græcorum, sic sorites satis Latino sermone tritus est. Ergo hæc quoque dialectici dicent, non divini. Quid? cum quæritur, qui sit optimus reipublicæ status, quæ leges, qui mores aut utiles aut inutiles, haruspicesne ex Etruria arcessentur, an principes statuent & delecti viri, periti rerum civilium?

Quod si nec earum rerum, quæ subjectæ sensibus sunt, ulla divinatio est: nec earum, quæ artibus continentur: nec earum, quæ in philosophia differuntur: nec earum, quæ in republica versantur: quarum rerum sit, nihil prorsus intelligo. Nam aut omnium debet esse, aut aliqua ei materia danda est, in qua versari possit. Sed nec omnium divinatio est, ut ratio docuit: nec locus, nec materia invenitur, cui divinationem præficere possimus. Vide igitur, ne nulla sit divinatio.

V. Est quidam Græcus vulgaris in hanc sententiam versus:

Bene qui conjiciet, vatem hunc perhibebo [4] *optimum.*

Num igitur, aut quæ tempestas impendeat, vates melius conjiciet, quam gubernator; aut morbi naturam acutius, quam medicus; aut belli administrationem prudentius, quam imperator, conjectura assequetur?

Sed animadverti, Quinte, te caute, & ab iis conjecturis, quæ haberent artem atque prudentiam, & ab iis rebus, quæ sensibus aut artificiis perciperentur, abducere divinationem: eamque ita definire, Divinationem esse earum rerum prædictionem & præsensionem, quæ essent fortuitæ. Primum eodem revolveris. Nam & medici, & gubernatoris, & imperatoris præsensio est rerum fortuitarum. Num igitur aut haruspex, aut augur, aut vates quis, aut somnians melius conjecerit, aut e morbo evasurum ægrotum, aut e periculo navem, aut ex insidiis exercitum, quam medicus, quam gubernator, quam imperator?

Atqui ne illa quidem divinantis esse dicebas: ventos, aut imbres impendentes quibusdam præsentire signis. In quo no-

4 *Bene qui conjiciet, vatem hunc perhibebo optimum*] Alii *perhibeto*, eodem sensu. Græcus autem est versus Euripidis apud Plutarchum de Oraculorum defectu. *Camerarius*.

ſtra quædam Aratea memoriter a te pronuntiata ſunt. Etſi hæc ipſa fortuita ſunt: plerumque enim, non ſemper eveniunt. Quæ eſt igitur, aut ubi verſatur fortuitarum rerum præſenſio, quam divinationem vocas? Quæ enim præſentiri aut arte, aut ratione, aut uſu, aut conjectura poſſunt, ea non divinis tribuenda putas, ſed peritis. Ita relinquitur, ut ea fortuita divinari poſſint, quæ nulla nec arte, nec ſapientia provideri poſſunt. Ut, ſi quis M. Marcellum [5] illum, qui ter conſul fuit, multis annis ante dixiſſet naufragio eſſe periturum; divinaſſet profecto: nulla enim arte alia id, nec ſapientia ſcire potuiſſet. Talium ergo rerum, quæ in fortuna poſitæ ſunt, præſenſio, divinatio eſt.

VI. Poteſtne igitur earum rerum, quæ nihil habent rationis, quare futuræ ſint, ulla eſſe præſenſio? Quid eſt enim aliud ſors [6], quid fortuna, quid caſus, quid eventus, niſi cum ſic aliquid cecidit, ſic evenit, ut vel non cadere atque evenire, vel aliter cadere atque evenire potuerit? Quo modo ergo id, quod temere fit cæco caſu, & volubilitate fortunæ, præſentiri & prædici poteſt? Medicus morbum ingraveſcentem ratione providet, inſidias imperator, tempeſtates gubernator: & tamen hi ipſi ſæpe falluntur, qui nihil ſine certa ratione opinantur. Ut agricola cum florem oleæ videt, baccam quoque ſe viſurum putat: non ſine ratione ille quidem; ſed nonnunquam tamen fallitur. Quod ſi falluntur ii, qui nihil ſine aliqua probabili conjectura ac ratione dicunt: quid exiſtimandum eſt de conjectura eorum, qui extis, aut avibus, aut oſtentis, aut oraculis, aut ſomniis futura præſentiunt? Nondum dico, quam hæc ſigna nulla ſint, fiſſum jecoris, corvi cantus, volatus aquilæ, ſtellæ trajectio, voces furentium, ſortes, ſomnia: de quibus ſingulis dicam ſuo loco: nunc de univerſis.

Qui

5 *M. Marcellum*] De quo Aſconius in Piſonem, cap. 19. *Forteſſe quæratis, quem dicat Marcellum. Fuit autem nepos M. Marcelli ejus; qui bello Punico ſecundo Syracuſas vicit, & quinque conſulatus adeptus eſt. Hic autem Marcellus, de quo Cicero dicit, naufragio ad ipſam Africam periit, paulo ante captum bellum Punicum tertium*, id eſt anno U. C. DCIV. *Daviſius*.

6 *Sors*] Ita Victorius, ſed male. Alii, *fors*. Fecit non ſemel, & jam pridem, vulgarium linguarum uſus, & harum vocum ſimilitudo, ut prior poſteriorem excluderet. *Olivetus*.

Qui potest provideri, quidquam futurum esse, quod neque causam habet ullam, neque notam, cur futurum sit? Solis defectiones, itemque lunæ, prædicuntur in multos annos ab iis, qui siderum cursus & motus numeris persequuntur. Ea enim prædicunt, quæ naturæ necessitas perfectura est. Vident ex constantissimo motu lunæ, quando illa e regione solis facta incurrat in umbram terræ, quæ est meta noctis, ut eam obscurari necesse sit: quandoque eadem luna subjecta atque opposita soli, nostris oculis ejus lumen obscuret: quo in signo quæque errantium stellarum, quoque tempore futura sit: qui exortus, quoque die signi alicujus, aut qui occasus futurus sit. Hæc qui ante dicunt, quam rationem sequantur, vides.

VII. Qui thesaurum [a] inventurum, aut hereditatem venturam dicunt, quid sequuntur? aut in qua rerum natura inest, id futurum? Quod si hæc, eaque quæ sunt ejusdem generis, habent aliquam talem necessitatem; quid est tandem, quod casu fieri, aut forte fortuna putemus? Nihil enim est tam contrarium rationi & constantiæ, quam fortuna: ut mihi ne in deum quidem cadere videatur, ut sciat, quid casu & fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet: sin certe eveniet, nulla fortuna est: est autem fortuna: rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio. Aut si negas esse fortunam, & omnia, quæ fiunt, quæque futura sunt, ex omni æternitate definita dicis esse fataliter: muta definitionem divinationis, quam dicebas præsensionem esse rerum fortuitarum. Si enim nihil fieri potest, nihil accidere, nihil evenire, nisi quod ab omni æternitate certum fuerit esse futurum rato tempore: quæ potest esse fortuna? qua sublata, qui locus est divinationi, quæ a te fortuitarum rerum est dicta præsensio? Quanquam dicebas, omnia quæ fierent, futurave essent, fato contineri. Anile sane & plenum superstitionis fati nomen ipsum; sed tamen apud Stoicos de isto fato multa dicuntur, de quo alias: nunc quod necesse est. Si omnia fato: quid mihi divinatio prodest?

VIII. Quod

a Lamb. *inventum iri*.

VIII. Quod enim is qui divinat, prædicit, id vero futurum est: ut ne illud quidem sciam quale sit, quod Dejotarum, necessarium nostrum, ex itinere aquila revocavit: qui nisi revertisset, in eo conclavi ei cubandum fuisset, quod proxima nocte corruit. Ruina igitur oppressus esset. At id neque, si fatum fuerat, effugisset: nec, si non fuerat, in eum casum incidisset. Quid ergo adjuvat divinatio? aut quid est,[b] quod me moveant aut sortes, aut exta, aut ulla prædictio? Si enim fatum fuit, classes populi Romani bello Punico primo, alteram naufragio, alteram a Pœnis depressam interire; etiamsi tripudium solistimum pulli fecissent L. Junio, & P. Clodio consulibus, classes tamen interissent. Sin, cum auspiciis obtemperatum esset, interituræ classes non fuerunt, non interierunt fato. Vultis autem omnia fato: nulla igitur est divinatio.

Quod si fatum fuit, bello Punico secundo exercitum populi Romani ad lacum Thrasimenum interire; num id vitari potuit, si Flaminius consul iis signis, iisque auspiciis, quibus pugnare prohibebatur, paruisset? Certe potuit [7]. Aut igitur non fato interiit exercitus; mutari enim fata non possunt: aut si fato, (quod certe vobis ita dicendum est) etiamsi obtemperasset auspiciis, idem eventurum fuisset. Ubi est igitur divinatio ista Stoicorum, quæ, si fato omnia fiunt, nihil nos admonere potest, ut cautiores simus? Quoquo enim modo nos gesserimus, fiet tamen illud, quod futurum est. Sin autem id potest flecti, nullum est fatum. Ita ne divinatio quidem, quoniam ea rerum futurarum est. Nihil autem est pro certo futurum, quod potest aliqua procuratione accidere ne fiat.

IX. Atque ego ne utilem quidem arbitror esse nobis futurarum rerum scientiam. Quæ enim vita fuisset Priamo, si ab adolescentia scisset, quos eventus senectutis esset habiturus? Abea-

b Man. *quod me moneant*.

7 *Certe potuit*] Lego, *certe non potuit*: scilicet, non potuit vitari interitus exercitus, si Flaminius paruisset iis auspiciis, quibus pugnare prohibebatur. His enim præmittuntur verba, *si fatum fuit*; & paulo post sequitur; *si fato, etiam si obtemperasset auspiciis, idem eventurum fuisset*: rursusque, *quoquo modo nos gesserimus, fiet tamen illud quod futurum est*. Pearcius.

Abeamus a fabulis: propiora videamus. Clarissimorum hominum nostræ civitatis gravissimos exitus in Consolatione collegimus. Quid igitur? ut omittamus superiores, Marcone Crasso putas utile fuisse, tum cum maximis opibus fortunisque florebat, scire, sibi, interfecto Publio filio, exercituque deleto, trans Euphratem cum ignominia & dedecore esse pereundum? An Cn. Pompejum [8] censes, tribus suis consulatibus, tribus

8 *Pompejum censes ..... si scisset, se in solitudine Ægyptiorum trucidatum iri amisso exercitu?*] Hic mendum primus vidit Tanaquillus Faber (*epist. I. 4.*) Qua enim ratione *solitudinem* vocet Cicero littus Pelusiacum, in quo stabat rex Ptolemæus cum ingenti comitatu, quod Ægyptiorum classis prætexebat? (*Tuscul. III. 27.*) Eam ob rem rescribebat is, quem dixi, criticus: *Se a satellite Ægyptio contrucidatum iri?* Nimium audacter. Davisius (*in Cæsar. de Bell. Civil. III. 104.*) malebat: *se in celone Ægyptiorum trucidatum iri?* Arguta, sed non probabilis conjectura; plus enim justo recedit a vestigiis receptæ vulgo lectionis. Recederetque longius, si Davisius scripsisset, *celoce*; quod scribi oportuerat. *Celocem* constat scapham esse, uti probant Hieronymus Columna, in hunc Ennii versum:

Labitur uncta carina per æquora cana celocis.

Salmasius, *Observat. ad Jus Attic. & Rom. pag. 699.* Schefferus, *de Milit. Naval.* II. 2. *Celox* quam sit diversæ significationis ostendit Salmasius, *in Solin. p. 589. edit. 1.* Has igitur emendationes merito rejecit Wopkensius, *Lect. Tull. III. 7.* Cogitanti semel atque iterum mihi, ecquid præstare hic possem, venit in mentem denique, nihil superfuturum vitii, si legatur: *se in servitudine Ægyptiorum trucidatum iri? Servitudo*, quæ vox jam obsolevit, vigebat ætate Ciceronis. Eam norat T. Livius, *lib. XXIV. c. 22. Servitudinis, indignitatisque homines expertes.* Festus: *ervitudo, servitudo*. Glossæ veteres, *servitudo*, δουλεία. Allubescebat Romanis auribus ea nominum forma; atque in usu erant, *sævitudo, severitudo, sorditudo, sanctitudo*, &c. quæ deinceps antiquata librarii scriptores mutavere. Huic loco maxime convenit *servitudo*; significat enim, Pompejum, quando ad regem venit Ægyptium, ei se servum dedidisse. Sic poterat sentire & loqui Cicero, quod Pompejus ipse, cum in Ægyptiam navem descenderet, professus erat, (*Plutarch. in Pompejo, pag. 661. Dio Cassius lib. XLII. pag. 187.*) pronuntiatis duobus Sophoclis versibus, quorum est sententia, interpretante Grotio:

Quicunque regis in domum gressus tulit,
Jam servus illi est, liber etsi advenerat.

Non aliud Ovidius, *IV. Pont. III. 41.*

Quid fuerat Magno majus? Tamen ipse rogavit
Submissa fugiens voce clientis opem.

Seneca, *Consol. ad Marc. c. 20. Quid erat turpius, quam Pompejum vivere beneficio regis?* Lucanus deliberanti Pompejo, an se post cladem ad Parthorum regem conferret, Lentulum facit dicentem, velitne fieri *Parthorum famulus.* (*Pharf. VIII. 339.* Et,

Miserum quid decipis orbem,
Si servire potes?

Addere alia poteram, nisi satis hæc essent comprobandæ huic loci difficilis emendationi. *Buberius.* Forte præstat vulgatam lectionem retinere, quam sic de meliore hariolari. Si enim reputemus, Pompejum in navicula quidem interfectum esse, sed tamen ad littus illud, quod ad hanc Ægyptiorum solitudinem pertineret; magna jam difficultatis pars sublata erit, reliquamque haud ægre tollet ἀκυρολογία (proprie loquendi negligentia) auctoribus quibusque probatissimis haud plane inusitata. *Wopkensius.* Si conjecturis certandum est, quidni legatur: *si scisset, se a sorditudine Ægyptiorum trucidatum iri?* Quid enim aptius designandis vilissimis capitibus & mancipiis, quorum consilio & manu periit Pompejus? At nihil emendatione opus est, sed hac tantummodo animadversione. Homini solitudo est, ubicumque frequentiam non habet, quam desiderat. Ita Pompejo fuit in ora illa Ægyptiaca solitudo. Aderant naves; rex cum ingenti comitatu stabat in litore; at erat nemo, cujus auxilio posset opibusque defendi. *Anonymus.*

tribus triumphis, maximarum rerum gloria, lætaturum fuisse, si scisset se in solitudine Ægyptiorum trucidatum iri, amisso exercitu: post mortem vero ea consecutura, quæ sine lacrymis non possumus dicere?

Quid vero Cæsarem [9] putamus? si divinasset fore, ut in eo senatu, quem majore ex parte ipse cooptasset, in curia Pompejana, ante ipsius Pompeji simulacrum, tot centurionibus suis inspectantibus, a nobilissimis civibus, partim etiam a se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita jaceret, ut ad ejus corpus non modo amicorum, sed ne servorum quidem quisquam accederet; quo cruciatu animi vitam acturum fuisse? Certe igitur ignoratio futurorum malorum utilior est, quam scientia.

Nam illud quidem dici, præsertim a Stoicis, nullo modo potest: Non isset ad arma Pompejus: non transisset Crassus Euphratem: non suscepisset bellum civile Cæsar. Non igitur fatales exitus habuerunt. Vultis autem evenire omnia fato: nihil ergo illis profuisset divinare; atque etiam omnem fructum vitæ superioris perdidissent. Quid enim posset iis esse lætum, exitus suos cogitantibus? Ita, quoquo se verterint Stoici, jaceat necesse est omnis eorum solertia. Si enim id quod eventurum est, vel hoc vel illo modo potest evenire, fortuna valet plurimum: quæ autem fortuita sunt, certa esse non possunt. Sin autem certum est, quid quaque de re, quoque tempore futurum sit, quid est quod me adjuvent haruspices, cum res tristissimas portendi dixerint?

X. Addunt [10] ad extremum, omnia levius casura, rebus divinis procuratis. [a] Si enim [11] nihil fit extra fatum, nihil [b] leva-

9 *Quid vero Cæsarem putamus*] Si fert animus, historiam videas licet apud Dionem lib. XLIV. pag. 249. Plutarchum in Cæs. pag. 739. & Suetonium in Julio cap. 82. Adi iis & Senecam de Ira lib. III. cap. 30. *Davisius*.

10 *Addunt ad extremum, omnia levius casura*] Forte *Addunt ad extremum* male, *omnia* &c. Vix enim aliter se recte habebunt sequentia, *si enim nihil fit extra fatum, nihil levari re divina potest*: hæc enim non de iis dicuntur qui addunt solum, sed qui *male* addunt. *Pearc.*

a Lamb. *Si vero nihil*

11 Si enim *nihil fit extra fatum*] Vel delenda est vocula secunda, vel legendum, *si* autem *nihil fit extra fatum*. Certa vulgata lectio ferri non potest: siquidem Tullius argumenti Stoici non *confirmationem*, sed *confutationem* jam nunc aggreditur. *Davisius*.

b Idem *levare divinatio potest*

levari [12] re divina potest. Hoc sentit Homerus [13], cum querentem Jovem inducit, quod Sarpedonem filium a morte contra fatum eripere non posset. Hoc idem significat Græcus ille in eam sententiam versus:

Quod fore paratum est, id summum exsuperat Jovem.

Totum omnino fatum etiam Atellanio versu jure mihi esse irrisum videtur. Sed in rebus tam severis non est jocandi locus. Concludatur igitur ratio. Si enim provideri nihil potest futurum esse eorum, quæ casu fiunt, quia esse certa non possunt: divinatio nulla est. Sin autem idcirco possunt provideri, quia certa sunt & fatalia: rursus divinatio nulla est. Eam enim tu fortuitarum rerum esse dicebas. Sed hæc fuerit nobis tanquam levis armaturæ prima orationis excursio: nunc comminus agamus, experiamurque, si possimus cornua commovere disputationis tuæ.

XI. Duo enim genera divinandi esse dicebas, unum artificiosum, alterum naturale. Artificiosum constare partim ex conjectura, partim ex observatione diuturna: naturale, quod animus arriperet, aut exciperet extrinsecus ex divinitate, unde omnes animos haustos, aut acceptos, aut libatos haberemus. Artificiosæ divinationis illa fere genera ponebas, extispicum, eorumque, qui ex fulguribus ostentisque prædicerent, tum augurum, eorumque, qui signis, aut ominibus uterentur; omneque genus conjecturale in hoc fere genere ponebas. Illud autem naturale, aut concitatione mentis edi, & quasi fundi videbatur, aut animo per somnum sensibus & curis vacuo provideri. Duxisti autem divinationem omnem a tribus rebus, a deo, a fato, a natura. Sed tamen cum explicare

12 *Nihil levari* re divina *potest*] Hoc est, tum reliquo deorum cultu, tum sacrificiis, quæ *rei divinæ* vel *rerum divinarum* nomen præcipue complectitur. *Idem*.

13 *Hoc sentit Homerus, cum querentem &c.*] Pet. Victorius lib. xxxiv. Var. Lect. cap. 24. scribit, M. Tullium hoc loco memoria vacillasse; non enim Jovem induci ab Homero cum dolore dicentem, inquit, se non posse iureritu filium liberare, eum cuperet; sed dubitantem, an hoc ipsum facere oporteat contra fatum. Ego vero puto Victorium, cum hæc scriberet, dormitasse, aut etiam somniasse, aut certe operam lusisse: nam Jupiter duo facit apud Homerum. Primum queritur, fatale esse Sarpedonem filium a Patroclo interfici. Deinde dubitat & consultat apud se, utrum Sarpedonem e periculo eripiat, an a Patroclo interimi finat. Queritur his verbis Iliad. XV. 433, *Ὤ μοι ἐγὼν* &c. Dubitat & consultat his, vers. 435. *Διχθὰ δέ μοι κραδίη* &c. *Lambinus*.

nihil posses, pugnasti commentitiorum exemplorum mirifica copia. De quo primum hoc libet dicere. Hoc ego philosophi non esse arbitror, testibus uti: qui aut casu veri, aut malitia falsi fictique esse possunt. Argumentis & rationibus oportet, quare quidque ita sit, docere; non eventis, iis præsertim, quibus mihi liceat non credere.

Ut ordiar ab haruspicina, (quam ego reipublicæ causa, communisque religionis, colendam censeo: sed soli sumus: licet verum exquirere sine invidia, mihi præsertim de plerisque dubitanti) inspiciamus [14], si placet, exta primum. Persuaderi igitur cuiquam potest, ea, quæ significari dicuntur extis, cognita esse ab haruspicibus observatione diuturna? Quam diuturna ista fuit? aut quam longinquo tempore observari potuit? aut quo modo est [a] collata inter ipsos, quæ pars [15] inimici, quæ pars familiaris esset; quod fissum, periculum; quod, commodum aliquod ostenderet? An hæc inter se haruspices Etrusci, Elii, Ægyptii, Pœni contulerunt? At id, præterquam quod fieri non potuit, ne fingi quidem potest. Alios enim alio more videmus exta interpretari, nec esse unam omnium disciplinam. Et certe, si est in extis aliqua vis, quæ declaret futura, necesse est eam aut cum rerum natura esse conjunctam, aut conformari [16] quodam modo numini deorum. Atqui [b] divina [17] cum rerum natura tanta, tamque præclara

in

14 *Inspiciamus, si placet, exta primum. Persuaderi* igitur *cuiquam potest* &c.] Cum unus Davisii MS. habeat *Inspiciamus ergo*, locum verbi *igitur* sic muto, & lego, *Inspiciamus* igitur, *si placet, exta primum. Persuaderi cuiquam potest* &c.? Istud *igitur* post verbum *persuaderi* inutile & otiosum videtur. *Pearcius*.

a Lamb. *collatum*

15 *Quæ pars* inimici, *quæ pars familiaris esset*] Videtur adjectivum *familiaris* hic esse casus nominativi; ut in Liv. Hist. VIII. 9. dicitur *caput jecinoris a familiari parte cæsum fuisse*. Unde conjicio Ciceronem scripsisse *quæ pars* inimica. *Idem*.

16 *Conformari quodam modo* numini *deorum*] Paris. Med. Balliol. Reg. Cantab. & Ven. 1471. habent *nomine deorum*. Omnino legerim *numine deorum* (nec aliter *Aldum* nepotem edidisse video) vult enim noster, exta nutu & voluntate deorum in hanc vel illam formam, aut speciem, fuisse redacta. *Davisius*.

b Idem. *divinatio, cum rerum*

17 *Atqui divina cum rerum natura*] Legendum videtur vel libris omnibus reclamantibus, *atqui* divinatio *cum rerum natura*: nam vulgata lectio, *atqui divina cum rerum natura*, inexplicabilis est; nisi forte dicamus sic explicari posse, *atqui divina natura cum rerum natura*; vel sic, *atqui vis divina cum rerum natura*, ut repetatur vocula *vis* e superioribus illis: *& certe si est in extis aliqua vis* &c. *Lambinus*. Hujusce loci nec emendatio, nec explicatio Lambino cessit feliciter. Aldus nepos edidit, *numine deorum*, vique *divina*. *Cum rerum natura* &c. Ei favet Med. qui dat *neque divina*. Reg. & Cantab.

in omnes partes motusque diffusa, quid habere potest commune? non dicam gallinaceum fel, (sunt enim qui vel argutissima hæc exta esse dicant) sed tauri opimi jecur, aut cor, aut pulmo, quid habet naturale, quo declarari possit, quid futurum sit?

XIII. Democritus tamen non inscite nugatur ut physicus: quo genere nihil arrogantius.

Quod est ante pedes, nemo spectat: cæli scrutantur plagas. Verum is tamen habitu extorum & colore declarari censet, hoc duntaxat, pabuli genus, & earum rerum, quas terra procreet, vel ubertatem, vel tenuitatem: salubritatem etiam, aut pestilentiam extis significari putat. O mortalem beatum! cui certo scio ludum nunquam defuisse. Hunccine hominem tantis delectatum esse nugis, ut non videret, tum futurum id verisimile, si omnium pecudum exta eodem tempore in eundem habitum se coloremque converterent? Sed si eadem hora aliæ pecudis [18] jecur nitidum atque plenum est, aliæ horridum & exile, quid est quod declarari possit habitu extorum & colore? An hoc ejusdem modi est, quale Pherecydeum illud, quod est a te dictum? qui cum aquam vidisset ex puteo haustam, terræ motum dixit futurum. Parum, credo, impudenter, quod cum factus esset motus, dicere audent quæ vis id effecerit. Etiamne futurum esse, aquæ jugis colore præsentiunt? Multa istiusmodi dicuntur in scholis: sed credere omnia vide ne non sit necesse.

Verum sint sane ista Democritea vera. Quando ea nos extis exquirimus? aut quando aliquid ejusmodi ab haruspice, inspectis extis, audivimus? Ab aqua, aut ab igni pericula monent: tum hæreditates, tum damna denuntiant: fissum familiare & vitale tractant: caput jecoris ex omni parte dili-

 gen-

tab. repræsentant, *usique* mente divina *cum rerum natura*; unde non difficulter intelligi potest, quid de *mente divina* sit statuendum. Nimirum sunt glossema, quo librarii declarandum putarunt *deorum numen*. Itaque, nisi fallor, deleta voce *divina*, rescribendum: *Atqui cum rerum natura tanta tamque præclara, in omnes partes motusque* (forsan *locosque*) *diffusa, quid habere potest commune, non dicam gallinaceum fel: sunt enim qui vel argutissima hæc exta esse dicant: sed tauri opimi jecur, aut cor, aut pulmo* &c. In libris vulgaris perperam distinguitur oratio. *Davisius*.

18 Aliæ *pecudis*] Genitivus est ἀρχαϊκὸς, si modo debet id ἀρχαϊκὸν dici, quod adhibent optimi scriptores. Vide G. J. Vossium Annal. lib. IV. cap. 6. *Davisius*.

gentissime considerant : si vero id non est inventum, nihil putant accidere potuisse tristius.

XIV. Hæc observari certe non potuerunt, ut supra docui. Sunt igitur artis inventa, non vetustatis, si est ars ulla rerum incognitarum. Cum rerum autem natura quam cognationem habent? quæ ut uno consensu juncta sit & continens, quod video placuisse physicis, eisque maxime, qui omne [19], quod esset, unum esse dixerunt: quid habere mundus potest cum thesauri inventione conjunctum? Si enim extis pecuniæ mihi amplificatio ostenditur, idque fit natura; primum exta sunt conjuncta mundo, deinde meum lucrum natura rerum continetur. Nonne pudet physicos hæc dicere? Ut enim jam sit aliqua in natura rerum cognatio, quam esse concedo: multa enim Stoici colligunt: nam & musculorum [20] jecuscula bruma dicuntur augeri, & pulejum [21] aridum florescere brumali ipso die, & inflatas rumpi vesiculas, & semina malorum, quæ in iis mediis inclusa sint, in contrarias partes se vertere: jam nervos in fidibus aliis pulsis resonare alios: ostreisque & conchyliis omnibus contingere, ut cum luna crescant pariter, pariterque decrescant: arboresque ut hiemali tempore, cum luna simul senescentes, quia tum exsiccatæ sint, tempestive cædi putentur. Quid de fretis, aut de marinis æstibus plura dicam? quorum accessus & recessus lunæ motu gubernantur. Sexcenta licet ejusmodi proferri, ut distantium rerum cognatio naturalis appareat.

XV. Demus hoc: nihil enim huic disputationi adversatur. Num etiam, si fissum cujusdam modi fuerit in jecore, lucrum ostenditur? Qua ex cognatione naturæ, & quasi concentu atque consensu, quam συμπάθειαν Græci appellant, convenire potest,

19 *Qui omne, quod esset, unum esse dixerunt*] Horum princeps fuit Xenophanes. Cicero Acad. II. 37. *Xenophanes dixit unum esse omnia, neque id esse mutabile, & id esse deum*. De hac sententia vide quæ disputat Rad. Cudvvorthus System. Intell. cap. IV. §. 31. *Idem*.

20 *Musculorum jecuscula bruma* dicuntur *augeri*] Lege *dicunt*, nempe Stoici. *Murium jecuscula bruma increscere* docent etiam Plinius H. N. lib. XI. §. 76. Ælianus, H. A. lib. XI. §. 76. *Idem*.

21 *Pulejum aridum ... rumpi vesiculas*] Pulegium (ita Lamb.) ὑπὸ τὰς τροπὰς ἀνθεῖν docet Aristoteles Probl. Sect. XXI. Plinius H. N. II. 41. *Floret ipso brumali die suspensum in tectis arentis herba pulegii; rumpuntur intenta spiritu membranæ*. Vid. & lib. XVIII. §. 60. *Idem*.

poteſt, aut fiſſum jecoris cum lucello meo, aut meus quæſticulus cum cælo, terra, rerumque natura? Concedam hoc ipſum, ſi vis; etſi magnam jacturam cauſæ fecero, ſi ullam eſſe convenientiam naturæ cum extis conceſſero. Sed tamen eo conceſſo, qui evenit, ut is qui impetrire velit, convenientem hoſtiam rebus ſuis immolet? Hoc erat, quod ego non rebar poſſe diſſolvi. At quam feſtive diſſolvitur! Pudet me non tui quidem, cujus etiam memoriam admiror, ſed Chryſippi, Antipatri, Poſidonii, qui idem iſtuc quidem dicunt, quod eſt dictum a te, ad hoſtiam deligendam ducem eſſe vim quandam ſentientem, atque divinam, quæ toto confuſa mundo ſit.

Illud vero multo etiam melius, quod & a te uſurpatum eſt, & dicitur ab illis: cum immolare quiſpiam velit, tum fieri extorum mutationem, ut aut abſit aliquid, aut ſuperſit: deorum enim numini parere omnia. Hæc jam, mihi crede, ne aniculæ quidem exiſtimant. An cenſes, eundem vitulum ſi alius delegerit, ſine capite jecur inventurum: ſi alius, cum capite? Hæc deceſſio capitis, aut acceſſio, ſubitone fieri poteſt, ut ſe exta ad immolatoris fortunam accommodent? Non perſpicitis, aleam quandam ineſſe hoſtiis deligendis, præſertim cum res ipſa doceat? Cum enim triſtiſſima exta ſine capite fuerunt, quibus nihil videtur eſſe dirius, proxima hoſtia litatur ſæpe pulcherrime. Ubi igitur illæ minæ ſuperiorum extorum? aut quæ tam ſubito facta eſt deorum tanta placatio?

XVI. Sed affers, in tauri opimi [22] extis, immolante Cæſare, cor non fuiſſe: id quia non potuerit accidere, ut ſine corde victima illa viveret, judicandum eſſe tum interiſſe cor, cum immolaretur. Qui fit, ut alterum intelligas, ſine corde non potuiſſe bovem vivere: alterum non videas, cor ſubito non potuiſſe neſcio quo avolare? Ego enim poſſum vel neſcire, quæ vis ſit cordis ad vivendum, vel ſuſpicari, * contactum aliquo morbo, bovis exile, & exiguum, & vietum cor, & diſſimile cordis fuiſſe. Tu vero quid habes, quare putes,

22 *In tauri opimi*] Vide ſupra, lib. 1. cap. 52.
* Vict. *contractum*

putes, si paulo ante cor fuerit in tauro opimo, subito id in ipsa immolatione interisse? an, quod adspexit [23] vestitu purpureo excordem Cæsarem, ipse corde privatus est? Urbem philosophiæ, mihi crede, proditis, dum castella defenditis. Nam, dum haruspicinam veram esse vultis, physiologiam totam pervertitis. Caput est in jecore, cor in extis: jam abscedet, simul ac molam & vinum insperseris. Deus id eripiet; vis aliqua conficiet, aut exedet. Non ergo [24] omnium interitus atque obitus natura conficiet: & erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito occidat. Quis hoc physicus dixit unquam? Haruspices dicunt. His igitur, quam physicis, potius credendum existimas?

XVII. Quid, cum pluribus diis immolatur, qui tandem evenit, ut litetur aliis, aliis non litetur? Quæ autem inconstantia deorum est, ut primis minentur extis, bene promittant secundis? aut tanta inter eos dissensio, sæpe etiam inter proximos, ut Apollinis exta bona sint, Dianæ non bona? Quid est tam perspicuum, quam, cum fortuito hostiæ adducantur, talia cuique exta esse, qualis cuique obtigerit hostia? At enim id ipsum habet aliquid divini, quæ cuique hostia obtingat; tanquam in sortibus, quæ cui ducatur. Mox de sortibus: quanquam tu quidem non hostiarum casum confirmas sortium similitudine, sed infirmas sortes collatione hostiarum.

An, cum in Æquimelium [25] misimus qui afferat agnum, quem immolemus, is mihi agnus affertur, qui habet exta rebus accommodata, & ad eum agnum non casu, sed duce deo servus deducitur? Nam si casum in eo quoque dicis esse, quasi sortem quandam cum deorum voluntate conjunctam; doleo tantam Stoicos vestros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse.

23 *An, quod adspexit vestitu purpureo excordem Cæsarem, ipse corde privatus est?*] Metaphorice dicit *excordem Cæsarem*: quid hoc scilicet ad cor tauri physice sumptum? *Passerat.*

24 *Non ergo omnium interitus atque obitus.*] Omnino lege, *non ergo omnium interitus atque* ortus, vel *omnium* ortus, *atque obitus*. Vel hæc vel illa ratio plane necessaria videtur; quod ex sequentibus manifestum. *Davisius.*

25 *Æquimelium*] Forum erat Romæ rerum venalium. Scribit Livius in eo foro fuisse domum Sp. Mælii, damnati eo quod regnum affectasset. *Aldus Manut.*

diſſe. Non enim ignoras, quam iſta derideant. Et quidem illi facilius facere poſſunt. Deos enim ipſos jocandi cauſa induxit Epicurus perlucidos & perflabiles, & habitantes, tanquam inter duos lucos [26], ſic inter duos mundos, propter metum ruinarum: eoſque habere putat eadem membra, quæ nos, nec uſum ullum habere membrorum. Ergo is circuitione quadam deos tollens, recte non dubitat divinationem tollere. Sed non, ut hic ſibi conſtat, item Stoici. Illius enim deus nihil habens nec ſui, nec alieni negotii, non poteſt hominibus divinationem impertire. Veſter autem deus poteſt non impertire, ut nihilominus mundum regat, & hominibus conſulat. Cur igitur vos induitis in eas captiones, quas nunquam explicetis? Ita enim, cum magis properant, concludere ſolent, Si dii ſunt, eſt divinatio: ſunt autem dii: eſt ergo divinatio. Multo eſt probabilius, Non eſt autem divinatio: non ſunt ergo dii. Vide, quam temere committant, ut, ſi nulla ſit divinatio, nulli ſint dii. Divinatio enim perſpicue tollitur: deos eſſe, retinendum eſt.

XVIII. Atque hac extiſpicum divinatione ſublata, omnis haruſpicina ſublata eſt. Oſtenta enim ſequuntur & fulgura. Valet autem in fulguribus obſervatio diuturna; in oſtentis ratio, plerumque conjectura, adhibetur. Quid eſt igitur, quod obſervatum ſit in fulgure? Cælum in XVI partes diviſerunt Etruſci. Facile id quidem fuit quatuor, quas nos habemus, duplicare: poſt idem iterum facere, ut ex eo dicerent, fulmen qua ex parte veniſſet. Primum id quid intereſt? deinde quid ſignificat? Nonne perſpicuum eſt, ex prima admiratione hominum, quod tonitrua jactuſque fulminum extimuiſſent, crediſſe ea efficere rerum omnium præpotentem Jovem? Itaque in noſtris commentariis ſcriptum habemus: JOVE TONANTE [27], FULGURANTE, *comitia populi habere nefas*. Hoc fortaſſe reipublicæ cauſa conſtitutum eſt. Comitiorum [28] enim

non

26 *Tanquam inter duos lucos*] Vide de Nat. Deor. I. 8. *Daviſius*.

27 *Jove tonante, fulgurante*] Lego, *Jove tonante, fulgente*, ut & lib. de Nat. Deor. II. cap. 25. Nam Feſtus, *fulgere Priſci*, *pro ferire dicebant*. Fruſtra eſt Aldus Manutius, *Quæſt. per Epiſt.* I. 5. *Buber.*

28 *Comitiorum ſolum vitium eſt fulmen*] Hoc, ut videtur, apud Romanos obtinuit, quod cum *ad exercitum recenſendum concionem*

in

non habendorum caufas effe voluerunt . Itaque comitiorum folum vitium eft , fulmen : quod idem omnibus rebus optimum aufpicium habemus , fi finiftrum fuit . Sed de aufpiciis alio loco : nunc de fulguribus .

XIX. Quid igitur minus a Phyficis dici debet , quam quidquam certi fignificari rebus incertis ? Non enim te puto effe eum , qui Jovi fulmen fabricatos effe Cyclopas in Ætna putes . Nam effet mirabile , quomodo id Juppiter toties jaceret , cum unum [29] haberet . Nec vero fulminibus homines , quid aut faciendum effet , aut cavendum , moneret . Placet enim Stoicis , eos anhelitus terræ , qui frigidi fint , cum fluere cœperint , ventos effe : cum autem fe in nubem induerint , ejufque tenuiffimam quamque partem cœperint dividere atque difrumpere , idque crebrius facere & vehementius , tum & fulgores & tonitrua exfiftere : fi autem nubium conflictu ardor expreffus fe emiferit , id effe fulmen . Quod igitur vi naturæ , nulla conftantia , nullo rato tempore videmus effici , ex eo fignificationem rerum confequentium quærimus? Scilicet , fi ifta Juppiter fignificaret , tam multa fruftra fulmina emitteret . Quid enim proficit , cum in medium mare fulmen jecit ? quid , cum in altiffimos montes , quod plerumque fit ? quid , cum in defertas folitudines ? quid , cum in earum oras , in quibus hæc ne obfervantur quidem ? At inventum eft caput in Tiberi [30] . Quafi ego artem aliquam iftorum effe negem . Divinationem nego . Cæli enim diftributio , quam ante dixi , & certarum rerum notatio docet , unde fulmen venerit , quo conceſſerit : quid fignificet autem , nulla ratio docet .

XX. Sed urges me meis verfibus :

Nam pater altitonans ftellanti nixus Olympo ,
Ipfe fuos quondam tumulos , ac templa petivit ,
Et Capitolinis injecit fedibus ignes .

Tum ftatua Nattæ , tum fimulacra deorum , Romulufque & Remus

in campo ad capræ paludem Romulus *haberet , fubito coorta tempeftas cum magno fragore tonitrubufque , tam denfo regem operuit nimbo , ut confpectum ejus concioni abftulerit , nec deinde in terris Romulus fuit* . Verba funt Livii , lib. 1. cap. 16. *Davif.*

29 *Cum* unum *haberet*] Nifi vox *unum* idem hic fonet quod *unum folum* , legendum videtur *unicum* . Pearcius .

30 *At inventum eft caput in Tiberi*] Caput erat Summani dei . Vide lib. 1. cap. 10. *Davifius* .

Remus cum altrice belua [31], vi fulminis icti conciderunt, deque his rebus haruſpicum extiterunt reſponſa veriſſima. Mirabile autem illud, quod eo ipſo tempore, quo fieret indicium conjurationis in ſenatu, ſignum Jovis biennio poſt, quam erat locatum, in Capitolio collocabatur. Tu igitur animum induces, (ſic enim mecum agebas) cauſam iſtam & contra facta tua, & contra ſcripta defendere? Frater es. Eo vereor. Verum quid tibi hic tandem nocet? reſne, quæ talis eſt: an ego, qui verum explicari volo? Itaque nihil contra dico: a te rationem totius haruſpicinæ peto. Sed te mirificam in latebram conjeciſti. Quod enim intelligeres, fore ut premerem te, cum ex te cauſas uniuſcujuſque divinationis exquirerem, multa verba feciſti, te, cum res videres, rationem cauſamque non quærere: quid fieret, non cur fieret, ad rem pertinere. Quaſi ego aut fieri concederem, aut eſſet philoſophi, cauſam cur quidque fieret, non quærere. Et eo quidem loco & prognoſtica [32] noſtra pronuntiabas, & genera herbarum, ſcammoneam, ariſtolochiamque radicem, quarum cauſam ignorares, vim & effectum videres.

XXI. Diſſimile totum. Nam & prognoſticorum cauſas perſecuti ſunt & Boethus Stoicus, qui eſt a te nominatus, & noſter etiam Poſidonius. Etſi cauſæ non reperiantur iſtarum rerum, res tamen ipſæ obſervari animadvertique poſſunt. Nattæ vero ſtatua, aut æra legum [33] de cælo tacta, quid habent obſervatum ac vetuſtum? Pinarii Nattæ nobiles: a nobili-

31 *Cum altrica* belua] Vox *belua* unico L. ſcribi debet; quamvis reclamet *Feſtus*, qui bellum a belluis dictum eſſe ſcribit, *quia belluarum ſit*, inquit, *pernicioſa diſſenſio*. Sed errat & labitur *Feſtus*; nam *bellum* dictum eſt a *duello*, ut *bis* a *duis*. Quin hoc, quod dico, idem *Feſtus* alibi docet. Tanta eſt inconſtantia. Itaque qui *Feſti* auctoritatem hac in re ſecuti *belluam* cum duplici *ll* ſcribunt, una cum *Feſto* labuntur. Omnino noſtri veteres codices ſemper habent hoc nomen ſcriptum ſimplici *l*. *Lamb.*

32 *Prognoſtica noſtra . . . ariſtolochiamque radicem*] Res, ad quas hic reſpicit, extant ſupra, lib. 1. cap. 7, 8, 9, 10. *Daviſ.*

33 *Aut æra legum de cælo tacta, quid habent* obſervatum ac vetuſtum?] Cum merito diſplicuerit doctis illud *ac vetuſtum*, Daviſius legit *ac animadverſum*. Ego aliter ſententiam puto refingendam eſſe. Fortaſſe Cicero ſcripſit, *aut æra legum* vetuſtarum *de cælo tacta quid habent* obſervandum? Hic vocat *leges vetuſtas*, ut in l. 2. dixerat *elapſæque vetuſto numine leges*. Lego etiam *obſervandum*, non *obſervatum*, ſenſu (opinor) poſtulante: opus eſt enim verbo, quod tempus poſt legum lapſum futurum exprimat. Sic in cap. 40. *quæ ſi ſuſcipiamus . . . ſternutamenta erunt* obſervanda. *Pearcius.*

bilitate [34] igitur * periculum. Hoc tam callide [35] Juppiter cogitavit. Romulus lactens fulmine ictus: urbi igitur periculum ostenditur, ei, quam ille condidit. Quam scite per notas nos certiores facit Juppiter! At eodem tempore signum Jovis collocabatur, quo conjuratio indicabatur. Et tu scilicet mavis, numine deorum id factum, quam casu arbitrari? & redemptor, qui columnam illam de Cotta, & de Torquato conduxerat faciendam, non inertia, aut inopia tardior fuit, sed a diis immortalibus ad istam horam reservatus est?

Non equidem plane despero ista esse vera, sed nescio, & discere a te volo. Nam cum mihi quædam casu viderentur sic evenire, ut prædicta essent a divinantibus: dixisti multa de casu, ut, Venereum [36] jaci posse casu, quatuor talis jactis; quadringentis, centum Venereos non posse casu consistere. Primum nescio, cur non possint: sed non pugno. Abundas enim similibus. Habes & respersionem pigmentorum, & rostrum suis, & alia permulta. Idem Carneadem fingere dicis de capite Panisci. Quasi non potuerit id evenire casu; & non in omni marmore necesse sit inesse vel Praxitelia capita. Illa enim ipsa efficiuntur detractione: nec quidquam illuc affertur a Praxitele: sed cum multa sunt detracta, & ad lineamenta oris perventum est, tum intelligas, illud, quod jam expolitum sit, intus fuisse. Potest igitur tale aliquid etiam sua sponte in lapicidinis Chiorum exstitisse. Sed sit hoc fictum. Quid? in nubibus nunquam animadvertisti leonis formam, aut hippocentauri? Potest igitur, quod modo negabas, veritatem casus imitari.

XXII. Sed quoniam de extis & de fulguribus satis est disputatum, ostenta restant, ut tota haruspicina sit pertractata. Mulæ partus, [37] prolatus est a te: res mirabilis, propterea

quia

34 *Pinarii Nattæ nobiles: a nobilitate igitur periculum.*] Non video quid sibi velit istud *a nobilitate periculum:* juxta enim eorum opinionem, qui prognosticis fidebant, lapsus statuæ Nattæ, quia nobilis esset, nobilitati periculum minitabatur: non aliis periculum a nobilitate oriundum. Lego igitur, *At Pinarii Nattæ nobiles*, nobilitati *igitur periculum*. Idem.

35 *Hoc tam callide Juppiter cogitavit*] Malim, *hoc quam callide Juppiter indicavit!* Nam paulo post ait, quam *scite per notas nos certiores facit Juppiter!* Davisius.

36 *Venereum.... Panisci*] Quæ Marcus hic repetit, Quintus supra lib. 1. cap. 13. dixerat. *Idem*.

37 *Mulæ partus*] Vide lib. 1. cap. 18. *Idem*.

quia non ſæpe fit: ſed ſi fieri non potuiſſet, facta non eſſet. Atque hoc contra omnia oſtenta valeat; nunquam, quod fieri non potuerit, eſſe factum: ſin potuerit, non eſſe mirandum. Cauſarum enim ignoratio in re nova mirationem facit. Eadem ignoratio ſi in rebus uſitatis eſt, non miramur. Nam qui mulam peperiſſe miratur, is, quo modo equa pariat, aut omnino quæ natura partum animantis faciat, ignorat. Sed, quod crebro videt, non miratur, etiam ſi, cur fiat, neſcit. Quod ante non vidit; id ſi evenerit, oſtentum eſſe cenſet. Utrum igitur cum concepit mula, an cum peperit, oſtentum eſt? Conceptio contra naturam fortaſſe: ſed partus prope neceſſarius. Sed quid plura? Ortum videamus haruſpicinæ: ſic facillime quid habeat auctoritatis, judicabimus.

XXIII. Tages [38] quidam dicitur in agro Tarquinienſi, cum terra araretur, & ſulcus altius eſſet impreſſus, exſtitiſſe repente, & eum affatus eſſe, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris eſt Etruſcorum, puerili ſpecie dicitur viſus, ſed ſenili fuiſſe prudentia. Ejus adſpectu cum obſtupuiſſet bubulcus, clamoremque majorem cum admiratione edidiſſet; concurſum eſſe factum, totamque brevi tempore in eum locum Etruriam conveniſſe: tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperint, literiſque mandaverint: omnem autem orationem fuiſſe eam, qua haruſpicinæ diſciplina contineretur: eam poſtea creviſſe rebus novis cognoſcendis, & ad eadem illa principia referendis. Hæc accepimus ab ipſis: hæc ſcripta conſervant: hunc fontem habent diſciplinæ. Num ergo opus eſt ad hæc refellenda Carneade? num Epicuro? Eſtne quiſquam ita deſipiens, qui credat exaratum eſſe, deum dicam [39], an hominem? Si deum, cur ſe contra naturam in terram abdiderit, ut patefactus aratro lucem adſpiceret? Quid? idem nonne poterat deus hominibus diſciplinam ſuperiore e loco tradere? Si autem homo ille Tages fuit, quonam modo potuit terra oppreſſus vivere? Unde porro illa potuit, quæ

L 2 doce-

38 *Tages quidem dicitur*] Ovidius Metam. lib. xv. 553.
Haud aliter ſtupuit, quam cum Tyrrhenus arator
Fatalem glebam, &c. Idem.

39 *Deum dicam, an hominem*] Tages, *Genii* fuit *filius*, *nepos Jovis*, ſi *Feſto* credimus. *Idem*.

docebar alios, ipſe didiciſſe? Sed ego inſipientior, quam illi ipſi, qui iſta credunt, qui quidem contra eos tam diu diſputem.

XXIV. Vetus autem illud Catonis admodum ſcitum eſt, qui mirari ſe ajebat, quod non rideret haruſpex [40], haruſpicem cum vidiſſet. Quota enim quæque res evenit prædicta ab iſtis? aut ſi evenit quippiam, quid afferri poteſt, cur non caſu id evenerit? Rex Pruſias, cum Annibali apud eum exulanti depugnari placeret, negabat ſe audere, quod exta prohiberent. An tu, inquit, carunculæ vitulinæ mavis, quam imperatori veteri credere? Quid? ipſe Cæſar, cum a ſummo haruſpice [41] moneretur [42], ne in Africam ante brumam tranſmit-

40 *Quod non rideret haruſpex*] Nulla Catonis facta mentione, noſter idem dictum refert lib. 1. N. D. cap. 26. *Idem*.

Quod referatur hoc dictum nulla Catonis facta mentione, colligebat vir doctus, id abiiſſe jam in proverbium. Ajebant non nulli contumeliam hanc eſſe, & deſpectionem collegii auguralis, cujus pars erat Cato. Ita ſentientes inſcitiæ arguit idem Criticus, eoſque item omnes, quicunque augurem ab haruſpice non diſcernunt. Aperte quidem diſcriminat Cicero, de Nat. Deor. II. 4. *Noſtrorum augurum, & Etruſcorum haruſpicum diſciplinam*. Augures ſedem habebant Romæ; adhibebantur ad auſpicia, ſine quibus nihil publice, nec domi nec militiæ gerebatur. Haruſpices arceſſebantur ex Etruria, cum evenerat quidpiam, quo terrerentur plebis animi. Sic ſavebant haruſpicibus augures, ut medici circulatoribus, & paganis ludionibus actores urbani. Quid mirum, ſi augur Cato haruſpices facit ridiculos? *Olivetur*.

41 *Cum a ſummo haruſpice*] Quod *immolanti aufugiſſet hoſtia*. Vide Suetonium in Jul. cap. 59. Cæterum menda, niſi fallor, hunc Ciceronis locum obſidet: vix enim eſt, ut *ſummum haruſpicem*, hominis nomine non prolato, dixerit noſter. Legendum puto, *a Spurinna haruſpice*. Supra lib. 1. cap. 52. *Cum Spurinna diceret, timendum eſſe, ne & conſilium & vita deficeret*. Adi Valerium Maximum lib. 1. cap. 6, 13. lib. VIII. cap. 11, 2. & Suetonium in Jul. cap. 81. Similis quidem ductus eſt literarum, nominaque propria crebro temerarunt librarii. *Idem*.

Non ſatisfacit, quod ſcribit vir laudatus vix eſſe, ut haruſpicis ſummi meminiſſet Tullius, niſi nomine illius appoſito; nam haruſpicis illius nomen ſatis celebre erat, ideoque non opus erat cur coram Quinto exprimeret illud Tullius, præſertim cum ante jam ipſe Quintus haruſpicem nomine ſignificaſſet. Accedit porro, quod vox *ſumma* huic loco egregie conveniat; quippe quæ eo ſpectat, ut haruſpicinæ vanitatem eo ſignificantius exprimat; quod nimirum non de trivio tantum haruſpices, ſed eorum quidem ſummi falſa monerent, prædicenteſque ſic negligerentur, ut nihil incommodi, maximum etiam emolumentum conſequeretur. *Vvopkenſ.*

42 *Ne in Africam ante brumam tranſmitteret*] Non mirum, id fuiſſe monitum ab haruſpice: erat quippe *religio*, inquit Donatus in Terent. Phorm. IV. 4. 28. *aggredi negotium aliquod diebus decreſcentibus*. Decreſcunt autem dies uſque ad brumam, hoc eſt ſolſtitium hibernum. Videri mirum poteſt, quod affirmet Cicero, ante brumam profectum eſſe Cæſarem, qui teſte Hirtio, *De Bello Afr. cap.* 2. navem conſcendit VI. *Kal. Jan.* hoc eſt die 27. Decembris; ac proinde non ante brumam. Nodum facile ſolvet, qui didicerit, eo anno U. C. 707. ita fuiſſe turbatam rationem temporum, ut qui dies debebat octavus eſſe menſis Octobris, numeraretur Decembris ſeptimus & vigeſimus. Turbationis quæ fuerint cauſæ, quod remedium, explicat erudite ac perſpicue Dionyſius Petavius, *de Doctr. Temp.* IV. 1. *Anonymus*.

mitteret, nonne transmisit? quod ni fecisset, uno in loco omnes adversariorum copiæ convenissent. Quid ego haruspicum responsa commemorem, (possum equidem innumerabilia) quæ aut nullos habuerunt exitus, aut contrarios? Hoc civili bello, dii immortales! quam multa luserunt? quæ nobis in Græciam Roma responsa haruspicum missa sunt? quæ dicta Pompejo? etenim ille admodum extis & ostentis movebatur. Non lubet commemorare, nec vero necesse est, tibi præsertim, qui interfuisti. Vides tamen omnia fere contra, ac dicta sint, evenisse. Sed hæc hactenus. Nunc ad ostenta veniamus.

XXV. Multa me consule [43] a me ipso scripta recitasti: multa ante Marsicum bellum a Sisenna collecta attulisti: multa ante Lacedæmoniorum malam pugnam in Leuctris a Callisthene commemorata dixisti. De quibus dicam equidem singulis, quoad utile videbitur: sed dicendum etiam est de universis. Quæ est enim ista a diis profecta significatio, & quasi denuntiatio calamitatum? Quid autem ea volunt dii immortales primum significantes, quæ sine interpretibus non possumus [44] intelligere: deinde ea, quæ cavere nequeamus? At hoc ne homines quidem probi faciunt, ut amicis impendentes calamitates prædicant, quas illi effugere nullo modo possint: ut medici, quanquam intelligunt sæpe, tamen nunquam ægris dicunt illo morbo eos esse morituros. Omnis enim prædictio mali tum probatur, cum ad prædictionem cautio adjungitur. Quid igitur aut ostenta, aut eorum interpretes, vel Lacedæmonios olim, vel nuper nostros adjuverunt? Quæ si signa deorum putanda sunt, cur tam obscura fuerunt? Si enim ut intelligeremus quid esset eventurum, aperte declarari oportebat: aut ne occulte quidem, si ea sciri nolebant.

XXVI. Jam vero conjectura omnis, in qua nititur divinatio, ingeniis hominum in multas ac diversas, aut etiam contrarias partes sæpe deducitur. Ut enim in causis judicialibus alia est conjectura accusatoris, alia defensoris, & tamen utriusque

43 *Multa me consule .... commemorata dixisti*] Lib. 1. cap. 12. 34. 44. *Davisius*.

44 *Non possumus intelligere*] Simili vero ratione contra Genethliacos argumentatur Sextus Empiricus adv. Mathem. lib. v. §. 47. *Idem*.

usque credibilis; sic in omnibus iis rebus, quæ conjectura investigari videntur, anceps reperitur oratio. Quas autem res tum natura, tum casus affert, (nonnunquam [45] etiam errorem creat similitudo) magna [46] stultitia est earum rerum deos facere effectores, causas rerum non quærere.

Tu vates [47] Bœotios credis Lebadiæ vidisse ex gallorum gallinaceorum cantu, victoriam esse Thebanorum, quia galli victi silere solent, canere victores. Hoc igitur per gallinas Jupiter tantæ civitati signum dabat? An illæ aves, nisi cum vicerint, canere non solent? At tum canebant, nec vicerant. Id enim est, inquies, ostentum. Magnum vero: quasi pisces, non galli cecinerint. Quod autem est tempus, quo illi non cantent, vel nocturnum, vel diurnum? Quod si victores alacritate, & quasi lætitia, ad canendum excitantur: potuit accidisse alia quoque lætitia, qua ad cantum moverentur. Democritus quidem optimis verbis causam explicat, cur ante lucem galli canant. Depulso enim de pectore, & in omne corpus diviso & [a] mitificato [48] cibo, cantus edere, quiete satiatos: qui quidem silentio noctis, ut ait Ennius, favent [49] faucibus [b] russis cantu, plausuque premunt alas. Cum igitur hoc animal tam sit canorum sua sponte, quid in mentem venit Calli-

45 *Nonnunquam etiam errorem creat similitudo*] D. Lamb. tribus voculis additis, rescribendum putabat *& in quibus nonnunquam*; at J. M. Bruto placebat, *in his nonnunquam etiam errorem creat similitudo*. Verum, nota parentheseos apposita, quod nos primi fecimus, nec hoc nec illud additamentum esse necessarium patet. *Idem*.

46 *Magna stultitia est earum rerum*] Qui vocem *similitudo* volunt esse sententiæ clausulam, & a voce *magna* novæ sententiæ initium duci; næ illi valde delirant, & simul plane declarant se Latini sermonis esse ignaros atque imperitos. Hic enim ordo, atque hæc sententia verborum est; Magna stultitia est, deos facere effectores earum rerum, neque causas quærere: quas res tum natura, tum casus affert, & in quibus rebus nonnunquam etiam errorem creat similitudo. *Lambinus*.

47 *Tu vates Bœotios*] Vide supra, I. 34. & Plin. H. N. lib. x. §. 24.

a Man. Lamb. *mollificato*

48 *Mitificato cibo*] Concocto, digesto. Sic enim dicitur, *ad mitigandum cibum*, de Nat. Deor. I. 60.

49 *Favent faucibus russis: cantu plausuque premunt alas*] Sic recte distinguit Mſ. Balliol. Vulgo *favent faucibus russis cantu*; ut *favere cantu* sit *canere*, quemadmodum volunt Adr. Turnebus Adverſ. v. 19. & Janus Gulielmius. Sed hoc, quod cum bona doctissimorum virorum venia sit dictum, prorsus experientiæ repugnat: nam gallos intempesta nocte per omnes tantum non anni partes *tacere* norunt omnes, & vult Ennius. Vide Plinium H. N. lib. x. §. 24. *Favere faucibus*, ut *favere linguis* aut *vocibus*, silere denotat. Vide Senecam de Vita Beat. cap. 26. & Servium ad Æn. lib. V. 71. *Davisius*.

b Lamb. *russis: cantu, plausuque*

Callistheni dicere, deos gallis signum dedisse cantandi, cum id vel natura, vel casus efficere potuisset?

XXVII. Sanguinem pluisse senatui nuntiatum est; Atratum [50] etiam fluvium fluxisse sanguine; deorum sudasse simulacra: num censes his nuntiis Thalem, aut Anaxagoram, aut quemquam physicum crediturum fuisse? Nec enim sanguis, nec sudor, nisi e corpore est. Sed & decoloratio quædam ex aliqua contagione terrena maxime potest sanguinis similis esse, & humor allapsus extrinsecus, ut in tectoriis videmus austro, sudorem imitari. Atque hæc in bello plura & majora videntur timentibus: eadem non tam animadvertuntur in pace. Accedit illud etiam, quod in metu & periculo cum creduntur facilius, tum finguntur impunius.

Nos autem ita leves atque inconsiderati sumus, ut si mures corroserint aliquid, quorum est opus hoc unum, monstrum putemus. Ante vero Marsicum bellum, quod clypeos Lanuvii, ut a te est dictum, mures rosissent, maximum id portentum haruspices esse dixerunt. Quasi vero quidquam intersit, mures, diem noctem aliquid rodentes, scuta an cribra corroserint. Nam si ista sequimur, quod Platonis Politiam nuper apud me mures corroserint, de republica debui pertimescere: aut, si Epicuri de voluptate liber corrosus esset, putarem annonam in macello cariorem fore.

XXVIII. An vero illa nos terrent, si quando aliqua portentosa aut ex pecude aut ex homine nata dicuntur? Quorum omnium, ne sim longior, una ratio est. Quidquid enim oritur, qualecumque est, causam habeat a natura necesse est: ut etiam si præter consuetudinem exstiterit, præter naturam tamen non possit exsistere. Causam igitur investigato in re nova atque admirabili, si poteris. Si nullam reperies: illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuisse sine causa: eumque [a] erro-

50 *Atratum etiam fluvium fluxisse sanguine*] Nihil agit Phil. Cluverius, qui Ital. Ant. lib. II. cap. 12. p. 752. legit *Aternum etiam fluvium*: nam noster lib. I. cap. 43. ait, *quid quod fluvius* Atratus *sanguine fluxit?* Ii certe, quos sententiæ suæ fidejussiores laudat vir doctissimus, negotium haud conficiunt: nam Livius lib. XXIV. cap. 44. tradit *flumen Aniterni* (non *Aternum*) *cruentum fluxisse*. Non igitur recepta moveatur lectio; sed *Atratus* habeatur ignobilis fluvius, qui vel exaruit, vel cujus hodie situm nescimus. *Davisius*.

a Lamb. *terrorem*

errorem, quem tibi rei novitas attulerit, naturæ ratione [51] depellito. Ita te nec terræ fremitus, nec cæli discessus, nec lapideus, aut sanguineus imber, nec trajectio stellæ, nec faces visæ terrebunt.

Quorum [52] omnium causas si a Chrysippo quæram, ipse ille divinationis auctor nunquam illa dicet facta fortuito, naturalemque rationem omnium reddet. Nihil enim fieri sine causa potest: nec quicquam fit, quod fieri non potest: nec si id factum est quod potuit fieri, portentum debet videri. Nulla igitur portenta sunt. Nam si, quod raro fit, id portentum putandum est; sapientem esse, portentum est. Sæpius enim mulam peperisse arbitror, quam sapientem fuisse. Illa igitur ratio concluditur, nec id, quod non potuerit fieri, factum unquam esse: nec quod potuerit, id portentum esse: ita omnino nullum esse portentum.

Quod etiam conjector quidam & interpres portentorum non inscite respondisse dicitur ei, qui cum ad eum retulisset, quasi ostentum, quod anguis domi vectem circumjectus fuisset, Tum esset, inquit, ostentum, si anguem vectis circumplicavisset. Hoc ille responso satis aperte declaravit, nihil habendum esse portentum, quod fieri posset.

XXIX. C. Gracchus ad M. Pomponium scripsit, duobus anguibus [53] domi comprehensis, haruspices a patre convocatos. Qui magis anguibus, quam lacertis, quam muribus? quia sunt hæc quotidiana, angues non item. Quasi vero referat, quod fieri potest, quam id sæpe fiat. Ego tamen miror, si emissio fœminæ anguis mortem afferebat Tib. Graccho; emissio autem maris anguis erat mortifera Corneliæ; cur alterutram emiserit. Nihil enim scribit respondisse haruspices, si neuter anguis emissus esset, quid esset futurum. At mors insecuta [54] Gracchum est. Causa quidem, credo, aliqua morbi gravioris, non emissione serpen-

51 *Naturæ ratione depellito*] Physiologia, quam *naturæ rationem* vocavit lib. 1. c. 41. *Idem*.

52 Quorum *omnium causas*] Vulgo *quorum omnium*, quod tam Latinitate, quam MSS. Balliol. flagitante, mutavimus. *Idem*.

53 *Duobus anguibus*] Vide lib. 1. cap. 18. *Id.*

54 *Mors insecuta* Gracchum *est*] Hanc lectionem constanter tenent omnes MS. Legendum tamen censeo, *mors insecuta* Gracchi *est*; nam inepta videtur mortis προσωποποιΐα, ut ea, tanquam telis armata, fugientem Gracchum a tergo sequeretur. *Idem*.

ſerpentis: neque enim tanta eſt infelicitas haruſpicum, ut ne caſu quidem [b] unquam fiat, quod futurum illi eſſe dixerint.

Nam illud mirarer, ſi crederem, quod apud Homerum Calchantem dixiſti ex paſſerum numero belli Trojani [55] annos auguratum: de cujus conjectura ſic apud Homerum, ut nos otioſi convertimus, loquitur Agamemnon [56].

XXX. *Ferte viri, & duros animo tolerate labores,*
Auguris ut noſtri Calchantis fata queamus
Scire, ratoſne habeant, an vanos pectoris orſus.
Namque omnes memori portentum mente retentant,
Qui non funeſtis liquerunt lumina fatis.
Argolicis primum ut veſtita eſt claſſibus Aulis,
Quæ Priamo cladem, & Trojæ, peſtemque ferebant:
Nos circum latices gelidos fumantibus aris,
Aurigeris [57] *divum placantes numina tauris,*
Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai,
Vidimus immani ſpecie tortuque draconem
Terribilem, Jovis ut pulſu penetrabat ab ara:
Qui platani in ramo foliorum tegmine ſeptos
Corripuit pullos: quos cum conſumeret octo,
Nona ſuper tremulo genitrix clangore volabat:
Cui ferus immani laniavit viſcera morſu.
Hunc, ubi tam teneros volucres matremque peremit,
Qui luci ediderat, genitor Saturnius idem
Abdidit, & duro formavit tegmine ſaxi.
Nos autem timidi ſtantes mirabile monſtrum
Vidimus in mediis divum verſarier aris.
Tum Calchas hæc eſt fidenti voce locutus.
Quidnam torpentes ſubito obſtupuiſtis Achivi?
Nobis hæc portenta deum dedit ipſe creator,
Tarda & ſera nimis: ſed fama ac laude perenni.
Nam quot aves tetro mactatas dente videtis,

 Tot

b Vict. *nunquam*

55 *Ex paſſerum numero belli Trojani annos auguratum*] Iliad. B. 299.

56 *Loquitur Agamemnon*] Immo Ulyſſes. Ciceronis μνημονικὸν ἁμάρτημα. Vide Politianum Miſcell. c. 53.

57 *Aurigeris ..... tauris*] Ita loquitur, quod victimarum cornua deaurare ſoliti ſint veteres. *Daviſius.*

Tot nos ad Trojam belli exanclabimus annos:
Quæ decimo cadet, & pœna ſatiabit Achivos.
Edidit hæc Calchas: quæ jam matura[58] *videtis.*

Quæ tandem iſta auguratio eſt ex paſſeribus, annorum potius, quam aut menſium, aut dierum? Cur autem de paſſerculis conjecturam facit; in quibus nullum erat monſtrum: de dracone ſilet, qui, id quod fieri non potuit, lapideus dicitur factus? Poſtremo quid ſimile habet paſſer annis? Nam de angue illo, qui Syllæ apparuit immolanti[59], utrumque memini, & Syllam, cum in expeditionem educturus eſſet, immolaviſſe, & anguem ab ara exſtitiſſe, eoque die rem præclare eſſe geſtam, non haruſpicis conſilio, ſed imperatoris.

XXXI. Atque hæc oſtentorum genera mirabile nihil habent: quæ cum facta ſunt, tum ad conjecturam aliqua interpretatione revocantur: ut illa tritici grana in os pueri Midæ[60] congeſta, aut apes, quas dixiſti in labris Platonis conſediſſe pueri, non tam mirabilia ſint, quam conjecta belle: quæ tamen vel ipſa falſa eſſe, vel ea quæ prædicta ſunt, fortuito cecidiſſe potuerunt. De ipſo Roſcio poteſt illud quidem eſſe falſum, ut circumligatus fuerit angui: ſed ut in cunis fuerit anguis, non tam eſt mirum, in Solonio præſertim, ubi ad ſocum angues[61] nundinari ſolent. Nam quod haruſpices reſponderint, nihil illo clarius, nihil nobilius fore: miror, deos immortales hiſtrioni futuro claritatem oſtendiſſe, nullam oſtendiſſe Africano.

At-

58 *Quæ jam matura videtis*] Quæ videtis inſtare & propinqua eſſe, prout recte Turnebus Adverſ. lib. v. cap. 19. *Idem*.

59 *Syllæ apparuit immolanti*] Vide lib. 1. cap. 33. *Idem*.

60 *Midæ .... Platonis .... Roſcio*] Supra lib. 1. cap. 36. *Idem*.

61 *Ubi ad ſocum angues* nundinari *ſolent*] Ita ſane Pariſ. Med. Reg. Cantab. aliique plures Mſſ. Sed qui vim poteſtatemque *nundinandi* probe novit, ille quidem id *verbum* huic loco non convenire ſtatim perſpiciet. Ea propter D. Lambinus & amicus Urſini reponunt *nidulari*. Siquidem vero Pall. tert. quart. & Balliol. exhibeant *mudari*; haud, opinor, incommode reſcribas, *videri ſolent*. Certe non abſimilis eſt literarum ductus. Ad receptam autem lectionem, quæ multis Codd. nititur; quam proxime legi queat, *ubi ad ſocum angues* meridiari *ſolent*. Nec forſan hæc diſplicebit conjectura. *Daviſius*. Sed mihi quoque meam ſuſpicionem proferre liceat. Lambini quidem conjecturam vero propinquiorem, quam reliquas lectiones exiſtimo: non tamen ſic placet animo meo, quin mutatione leviſſima ſic potius reſcripſerim, *ubi ad* forum *angues nundinari ſolent*. Vult nempe Tullius angues in Solonio *res* eſſe *quotidianas*, ut loquitur ſupra cap. 29. quoniam quotidie publice in foro, ubi venales extarent, viderentur. *Vvopkenſ.*

Atque etiam a te Flaminiana [62] ostenta collecta sunt, quod ipse & equus ejus repente conciderit. Non sane mirabile hoc quidem. Quod evelli primi hastati signum non potuerit; timide fortasse signifer evellebat, quod fidenter infixerat. Nam Dionysii [63] equus quid attulit admirationis, quod emersit ex flumine, quodque habuit apes in juba? Sed quia brevi tempore regnare cœpit; quod acciderat casu, vim habuit ostenti.

At Lacedæmoniis in Herculis fano arma sonuerunt; ejusdemque dei Thebis valvæ clausæ, subito se aperuerunt, eaque scuta quæ fuerant sublime fixa, sunt humi inventa. Horum cum fieri nihil potuerit sine aliquo motu, quid est cur divinitus ea potius, quam casu facta esse dicamus?

XXXII. At in Lysandri [64] statuæ capite Delphis exstitit corona ex asperis herbis, & quidem subita. Itane censes, ante coronam herbæ exstitisse, quam conceptum esse semen? Herbam autem asperam, credo, avium congestu, non humano satu. Jam quicquid in capite est, id coronæ simile videri potest. Nam quod eodem tempore stellas aureas Castoris & Pollucis, Delphis positas decidisse, neque eas usquam repertas esse dixisti: furum id magis factum, quam deorum videtur. Simiæ vero Dodoneæ improbitatem historiis Græcis mandatam esse demiror. Quid minus mirum, quam illam monstruosissimam bestiam urnam evertisse, sortes dissipavisse? Et negant historici Lacedæmoniis ullum ostentum hoc tristius accidisse! Nam illa prædicta Vejentium, si lacus Albanus redundasset, isque in mare fluxisset, Romam perituram; si repressus esset, Vejos: ita aqua Albana [65] deducta ad utilitatem agri suburbani, non ad arcem urbemque retinendam. At paulo post

62 *Flaminiana ostenta*] Vide supra, lib. 1. cap. 35.

63 *Dionysii equus ... Lacedæmoniis in Herculis fano*] Lib. 1. cap. 33. 34.

64 *At in Lysandri*] Vide lib. 1. cap. 34.

65 *Ita aqua Albana deducta ad utilitatem agri &c.*] Lambinus asterisco notavit, aliquid ante hæc verba deesse. Credo, quia verba præcedentia *illa prædicta* ipsi viderentur carere verbo, quocum cohærerent. Davisius, cum sententiam se non satis tueri videret, sic illam refinxit, *ita aqua Albana deducta:* Aqua Albana deducta *ad utilitatem* &c. Mihi vero locum contemplanti, in mentem venit Ciceronem sic scripsisse. *Nam* illo prædicto *Vejentium, si lacus Albanus redundasset, isque in mare fluxisset, Romam perituram; si repressus esset, Vejos*, aqua Albana deducta. *Ita aqua Albana deducta* non *ad utilitatem agri suburbani*, sed *ad arcem urbemque retinendam*. Ironice hæc dici videntur, cum Cotta censuerit illam aquæ deductionem factam esse potius ad utilitatem agri suburbani, quam urbis Romæ servandæ causa. *Pearcius*.

audita vox est monentis, ut providerent ne a Gallis Roma caperetur: ex eo Ajo Loquenti Aram in nova via consecratam. Quid ergo? Ajus [66] iste Loquens, quando eum nemo norat, ajebat, & loquebatur, & ex eo nomen invenit: posteaquam & sedem, & aram, & nomen invenit, obmutuit? Quod idem dici de Moneta potest: a qua, præterquam de sue plena, quid unquam moniti sumus?

XXXIII. Satis multa de ostentis. Auspicia restant, & sortes eæ quæ ducuntur, non illæ quæ vaticinatione funduntur, quæ oracula verius dicimus: de quibus tum dicemus, cum ad naturalem divinationem venerimus. Restat etiam de Chaldæis. Sed primum auspicia videamus. Difficilis auguri locus ad contra dicendum; Marso fortasse, sed Romano facillimus. Non enim sumus ii nos augures, qui avium reliquorumve signorum observatione futura dicamus: & tamen credo Romulum, qui urbem auspicato condidit, habuisse opinionem, esse in providendis rebus augurandi scientiam [67]. Errabat enim multis in rebus antiquitas: quam vel usu [68] jam, vel doctrina, vel vetustate immutatam videmus. Retinetur autem & ad opinionem vulgi, & ad magnas utilitates reipublicæ, mos, religio, disciplina, jus augurum, collegii auctoritas.

Nec vero non omni supplicio digni P. Claudius, L. Junius, consules, qui contra auspicia navigarunt. Parendum enim fuit religioni, nec patrius mos tam contumaciter repudiandus. Jure igitur alter populi judicio damnatus est; alter mortem sibi ipse conscivit. Flaminius non paruit auspiciis: itaque periit cum exercitu. At anno post Paulus paruit: num minus cecidit in Cannensi pugna cum exercitu? Etenim, ut sint auspicia,

66 *Ajus ... Moneta*] Vide supra, lib. 1. cap. 15.

67 *Augurandi scientiam. Errabat enim multis in rebus antiquitas, quam vel* &c. Ita Davisius, (cujus annotatio proxime sequitur) locum interpunxit, ut credas vocem *quam* referri debere voci *antiquitas*. Aliter tamen interpungenda est sententia ad hunc modum *augurandi scientiam* (*errabat enim multis in rebus antiquitas*) *quam vel usu jam, vel doctrina, vel vetustate immutatam videmus*. Sensus est, *quam augurandi scientiam immutatam videmus*. Id.

68 *Quam vel usu jam, vel doctrina, vel vetustate* immutatam *videmus*] Sic vulgo dant, ac ita codices. Pronomen tamen ad *antiquitatem* referri nequit; sed ad *res* spectet necesse est. Quapropter cum Cl. Clerico reponendum, *quas vel usu jam, vel doctrina, vel vetustate immutatas* &c. idque recepi. Vide doctissimi viri Bibliotech. Ant. & Hodiern. Tom. XV. *Davisius*.

cia, quæ nulla ſunt: hæc certe, quibus utimur, ſive tripudio, ſive de cælo, ſimulacra ſunt auſpiciorum, auſpicia nullo modo.

XXXIV. Q. FABI, TE MIHI IN AUSPICIO ESSE VOLO: reſpondet, AUDIVI. Hic apud majores noſtros adhibebatur peritus, nunc quilibet. Peritum autem eſſe neceſſe eſt eum, qui, ſilentium quid ſit, intelligat. Id enim [69] *ſilentium* dicimus in auſpiciis, quod omni vitio caret. Hoc intelligere, perfecti auguris eſt. Illi autem, qui in auſpicium adhibetur, cum ita imperavit is, qui auſpicatur, DICITO, SI SILENTIUM ESSE VIDEBITUR; nec ſuſpicit, nec circumſpicit: ſtatim reſpondet, SILENTIUM ESSE VIDERI. Tum ille, DICITO, SI PASCUNTUR AVES. PASCUNTUR. Quæ? aut, ubi? Attulit, inquit, in cavea pullos is, qui ex eo ipſo nominatur pullarius. Hæ ſunt igitur aves internuntiæ Jovis: quæ paſcantur, necne, quid refert? Nihil ad auſpicia: ſed quia, cum paſcuntur, neceſſe eſt aliquid ex ore cadere; & terram pavire [70]; *terripavium* primo, poſt *terripudium* dictum eſt, hoc quidem jam *tripudium* dicitur. Cum igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auſpicanti tripudium [71] ſoliſtimum nuntiatur.

XXXV. Ergo hoc auſpicium divini quidquam habere poteſt, quod tam ſit coactum & expreſſum? quo antiquiſſimos augures non eſſe uſos, argumento eſt, quod decretum collegii vetus habemus, omnem avem tripudium facere poſſe. Tum igitur eſſet auſpicium, ſi modo eſſet ei liberum ſe oſtendiſſe: tum avis illa videri poſſet interpres & ſatelles Jovis. Nunc vero

69 *Id enim ſilentium dicimus*] Feſtus in *ſilentio ſurgere*: *Eſt propre* ſilentium *omnis vitii in auſpiciis vacuitas*. Idem in *ſiniſtrum*: *Siniſtrum in auſpicando ſignificare ait Atejus Capito lætum & proſperum auſpicium; at ſilentium, ubi duntaxat vacat vitio*. De hoc vero, aliiſque, quorum Tullius hic meminit, verbis ſolennibus, vide B. Briſſonium de Form. lib. 1. p. 124. 125. *Idem*.

70 *Terram* pavire] *Pavire* ferire denotat, ut obſervavit *Feſtus* in *puls*. Idem.

71 *Tripudium ſoliſtimum* nuntiatur] Vulgo *nuntiant*, & ſic omnes noſtri codices. At auſpicanti unus tantum aderat, quapropter legendum *nuntiatur*, prout editio Victoriana repræſentat. *Tripudium* vero *ſoliſtimum*, feliciſſimum videbatur auſpicium. Feſtus in *puls*: *Puls potiſſimum dabatur pullis in auſpiciis, quia ex ea neceſſe erat aliquid decidere, quod tripudium faceret, id eſt, terripavium ... Bonum enim augurium eſſe putabant, ſi pulli, per quos auſpicabantur, comediſſent; præſertim ſi iis edentibus aliquid ab ore decidiſſet*. Quin & *tripudium ſoliſtimum*, *auſpicium ad rem ordiendam optimum eſſe* docet Servius ad Virgilii Eclog. VIII. 30. *Idem*.

vero inclusa in cavea, & fame enecta, si in offam pultis invadit, & si aliquid ex ore cecidit, hoc tu auspicium, aut hoc modo Romulum auspicari solitum putas? Jam de cælo servare non ipsos censes solitos, qui auspicabantur? Nunc imperant pullario: ille renuntiat.

Fulmen sinistrum, auspicium optimum habemus ad omnes res, præterquam ad comitia: quod quidem institutum reipublicæ causa est, ut comitiorum vel in judiciis populi, vel in jure legum, vel in creandis magistratibus principes civitatis essent interpretes.

At Tib. Gracchi [72] literis Scipio & Figulus, quod tum augures judicassent eos vitio creatos esse, magistratu se abdicaverunt. Quis negat augurum disciplinam esse? divinationem nego.

At haruspices divini: quos cum Tib. Gracchus propter mortem repentinam ejus, qui in prærogativa referenda subito concidisset, in senatum introduxisset, non justum rogatorem comitiorum fuisse dixerunt. Primum vide, ne in eum dixerint, qui rogator centuriæ fuisset: is enim erat mortuus. Id autem sine divinatione, conjectura poterant dicere: deinde fortasse casu, qui nullo modo est ex hoc genere tollendus. Quid enim scire Etrusci haruspices aut de tabernaculo recte capto, aut de pomœrii jure potuerunt? Equidem assentior C. Marcello potius, quam App. Claudio: qui ambo mei collegæ fuerunt: existimoque jus augurum, etsi divinationis opinione principio constitutum sit, tamen postea reipublicæ causa conservatum ac retentum.

XXXVI. Sed de hoc loco plura in aliis: nunc hactenus. Externa enim auguria, quæ sunt non tam artificiosa, quam superstitiosa, videamus. Omnibus fere avibus utuntur: nos admodum paucis. Alia illis sinistra sunt, alia nostris. Solebat ex me Dejotarus percontari nostri augurii disciplinam, ego ex illo sui. Dii immortales! quantum differebat! ut quædam essent etiam contraria. Atque ille iis semper utebatur: nos, nisi

72 *Tib. Gracchi litteris*] Hanc rem tetigit noster lib. 1. de Divin. cap. 17. & fuse narravit lib. II. N. D. cap. 4. Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. 3. Adi sis & Plutarchum in Marcello p. 300. quem locum tentat B. Brissonius Form. lib. 1. p. 120. *Idem*.

nisi dum a populo auspicia accepta habemus, quam multum iis utimur?

Bellicam rem administrari majores nostri nisi auspicato noluerunt. Quam multi anni sunt, cum bella a proconsulibus & proprætoribus administrantur, qui auspicia non habent? Itaque nec amnes [73] transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur. Nam ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est, jam M. Marcellus ille quinquies consul totum omisit, idem imperator, idem augur optimus. Ubi ergo avium divinatio? quæ, quoniam ab iis, qui auspicia nulla habent, bella administrantur; ab urbanis retenta videtur, a bellicis esse sublata. Et quidem ille dicebat, si quando rem agere vellet, ne impediretur [74] auspiciis, lectica operta facere iter se solere. Huic simile est, quod nos augures præcipimus, ne juge auspicium [75] obveniat, ut jumenta jubeant disjungere. Quid est aliud nolle moneri a Jove, nisi efficere, ut aut ne fieri possit auspicium, aut, si fiat, videri?

XXXVII. Nam illud admodum ridiculum, quod negas Dejotarum [76], auspiciorum, quæ sibi ad Pompejum proficiscenti facta sunt, pœnitere, quod, fidem secutus amicitiamque populi Romani, functus sit officio: antiquiorem enim sibi fuisse laudem & gloriam, quam regnum & possessiones suas. Credo id quidem: sed hoc nihil ad auspicia. Nec enim ei cornix canere potuit, recte eum facere, quod populi Romani libertatem defendere pararet. Ipse hoc sentiebat, sicuti sensit. Aves eventus significant, aut adversos, aut secundos.

Virtutis auspiciis video esse usum Dejotarum: quæ vetat spectare fortunam, dum præstetur fides. Aves vero, si prosperos

73. *Nec amnes transeunt auspicata... ex acuminibus*] Cicero N. D. lib. II. cap. 3. *Nulla peremnia servantur, nulla ex acuminibus*. De auspiciis vero peremnibus, iisque, quæ ex pilorum militarium capra sunt acuminibus, adi Jos. Scaligerum ad *Festum* in *peremne*, & J. C. Bulengerum de Sortibus lib. II. cap. 6. *Idem*.

74 *Ne impediretur auspiciis, lectica operta facere iter se solere*] Nam, pro augurum sententia, *nulla ista signa sunt, nisi consensus observantis accedit*. Vide Augustinum de Doct. Christ. lib. II. cap. 24. *In augurum certe disciplina constat, neque diras, neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes, observare se ea negaverint*, ut tradit Plinius H. N. lib. XXVIII. §. 4. *Idem*.

75 *Juge auspicium*] Hoc fit, *cum junctum jumentum stercus fecit*, quemadmodum testatur Festus. Vide sis & Servium ad Æn. III. 537. *Idem*.

76 *Quod negas Dejotarum*] Vide lib. I. cap. 15.

peros eventus ostenderunt, certe fefellerunt. Fugit e prælio cum Pompejo: grave tempus. Discessit ab eo: luctuosa res. Cæsarem eodem tempore hostem & hospitem vidit: quid hoc tristius? Is cum ei Troginorum [77] tetrarchiam eripuisset, & affeclæ suo Pergameno [78] nescio cui dedisset, eidemque detraxisset Armeniam a senatu datam: cumque ab eo magnificentissimo hospitio acceptus esset, spoliatum reliquit & hospitem, & regem. Sed labor longius: ad propositum revertar. Si eventa quærimus, quæ exquiruntur avibus: nullo modo prospera Dejotaro. Sin officia: a virtute ipsius, non ab auspiciis petita sunt.

XXXVIII. Omitte igitur lituum Romuli [79], quem in maximo incendio negas potuisse comburi: contemne cotem Atii Navii. Nihil debet esse in philosophia commentitiis fabellis loci. Illud erat philosophi, totius augurii primum naturam ipsam videre, deinde inventionem, deinde constantiam. Quæ est igitur natura, quæ volucres huc & illuc passim vagantes efficiat, ut significent aliquid, & tum vetent agere, tum jubeant, aut cantu, aut volatu? Cur autem aliis a læva, aliis a dextra datum est avibus, ut ratum auspicium facere possint? Quo modo autem hæc, aut quando, aut a quibus inventa dicemus? Etrusci tamen habent exaratum puerum [80] auctorem disciplinæ suæ. Nos quem? Attiumne Navium? At aliquot annis antiquior Romulus & Remus, ambo augures, ut accepimus. An Pisidarum, aut Cilicum, aut Phrygum ista inventa dicemus? Placet igitur humanitatis expertes habere divinitatis [81] auctores?

At

77 *Trogmorum*] Vulgo *Troginorum*. Sed cum talis populus nullus sit, id reposui quod ductus literarum suadebat, quodque sub isto vocabulo latere suspicati sunt viri docti. Vide Chr. Cellarium Geogr. Ant. III. 4. *idem*.

78 *Affeclæ suo Pergameno nescio cui*] Mithridati Pergameno, quem *regio genere ortum, disciplinis etiam regiis educatum* scribit Hirtius Bell. Alex. cap. 78. *Idem*.

79 *Romuli .... Navii*] Vide lib. 1. cap. 17.

80 *Exaratum puerum*] Tagem, de quo supra, I. 13.

81 Divinitatis *auctores*] Vir eruditissimus Joan. Clericus Bibl. Ant. & Hodiern. Tom. XV. p. 366. legit *divinæ artis*, vel *divinationis, auctores*; & *divinitatis auctoribus* nullam prorsus mentem subesse statuit. Merito quidem, si *divinitas* hic *deitatem* seu Θειότητα denotaret. Sed reapse *divinitas* divinationem significat; ut tentari non debuerit locus. Servius ad Georg. II. 486. *Non quod nulla gloria medicinæ est, sed quod minor quam divinitatis & augurandi, quæ ei Apollo obtulerat munera*. Idem ad Æn. XII. 394. Cithara

XXXIX. At omnes reges, populi, nationes utuntur auſpiciis. Quaſi vero quidquam ſit tam valde, quam nihil ſapere, vulgare: aut quaſi tibi ipſi in judicando placeat multitudo. Quotus quiſque eſt, qui voluptatem neget eſſe bonum? Plerique etiam ſummum bonum dicunt. Num igitur eorum frequentia Stoici de ſententia deterrentur? aut num pleriſque in rebus ſequitur eorum auctoritatem multitudo? Quid mirum igitur, ſi in auſpiciis, & in omni divinatione imbecilli animi ſuperſtitioſa iſta concipiant; verum diſpicere non poſſint?

Quæ autem eſt inter augures conveniens & conjuncta conſtantia? Ad noſtri augurii conſuetudinem dixit Ennius,

Cum tonuit lævum bene tempeſtate ſerena.

At Homericus Ajax [82] apud Achillem querens de ferocitate Trojanorum, neſcio quid hoc modo nuntiat:

Proſpera Juppiter his dextris fulgoribus edit.

Ita nobis ſiniſtra [83] videntur, Grajis [84] & barbaris dextra, meliora. Quanquam haud ignoro, quæ bona ſint [85], ſiniſtra nos dicere: etiamſi dextra ſint. Sed certe noſtri ſiniſtrum nominaverunt, externique dextrum, quia plerumque melius id videbatur. Hæc quanta diſſenſio eſt? Quid, quod aliis avibus utuntur, aliis ſignis? aliter obſervant, alia reſpondent? Non neceſſe eſt fateri, partim horum errore ſuſceptum eſſe, partim ſuperſtitione, multa fallendo?

XL. Atque his ſuperſtitionibus non dubitaſti etiam omina adjun-

ra & ſagittæ *artis ſunt*: augurium *vero munus: non enim ſola arte, verum etiam indulta* divinitate *colligitur*. Vide Lactantium Div. Inſt. lib. I. cap. II. 10. & cap. 13. 1. *Idem*.

82 *At Homericus* Ajax] Immo Ulyſſes, ut jam animadverterunt aliquot viri docti. Sunt enim Ulyſſis verba Iliad. I. 236. *Lambinus*.

83 *Ita nobis ſiniſtra*] Res eſt ſat nota. Vide Varronem apud Feſtum in *ſiniſtræ aves*, Plinium H. N. lib. II. cap. 54. Statium Theb. III. 493. & Servium in Virgilii Æn. II. 693. Rationem reddit Dionyſius Halicarnaſſeus lib. II. c. 5. Vide ſis & Plutarchum in Quæſt. Rom. Plura ſuppeditabit J. C. Bulengerus de Auſp. & Aug. lib. III. cap. 2. *Daviſius*.

84 *Graiis & barbaris dextra meliora*] Pluribus id exponit Everh. Feithius Antiq. Homer. lib. I. cap. 16. *Idem*.

85 *Quæ bona ſint, ſiniſtra nos dicere*] Non equidem ſperno Lambini conjecturam, qui repoſuit *quæ* mala *ſunt, ſiniſtra nos dicere*: nam rem ſe ſic habere docent permulta veterum loca. Ovidius Heroid. II. 115.

Cui mea virginitas avibus libata ſiniſtris.

Puto tamen Ciceronem ſcripſiſſe, *quæ bona ſunt*, dextra *nos dicere*, *etiam ſi* ſiniſtra *ſint*: hac enim ratione melius connectuntur ſententiæ. *Idem*.

adjungere. Æmilia Paulo [86], Persam perisse; quod pater omen accepit. Cæcilia sororis filiæ sedes suas tradere. Jam illa, *Favete linguis*, & prærogativam, omen comitiorum. Hoc est, ipsum esse contra se copiosum & disertum. Quando enim illa observans, quieto & libero animo esse poteris, ut ad rem gerendam non superstitionem habeas, sed rationem ducem? Itane? Si quis aliquid ex sua re, atque ex suo sermone dixerit, & ejus verbum aliquod apte ceciderit ad id, quod ages, aut cogitabis, ea res tibi aut timorem afferet, aut alacritatem?

Cum M. Crassus exercitum Brundisii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, *Cauneas* [87], clamitabat. Dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum, caveret, ne iret: non fuisse periturum, si omini paruisset. Quæ si suscipiamus, pedis offensio nobis, & abruptio corrigiæ, & sternutamenta erunt observanda. Sortes restant, & Chaldæi: ut ad vates veniamus, & ad somnia. Dicendum igitur putas de sortibus?

XLI. Quid enim sors est? idem propemodum, quod micare [88], quod talos jacere, quod tesseras: quibus in rebus temeritas & casus, non ratio, nec consilium valet. Tota res est inventa fallaciis, aut ad quæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. Atque ut in haruspicina fecimus, sic videamus, clarissimarum sortium quæ tradatur inventio. Numerium Suffucium Prænestinorum monumenta declarant, honestum hominem & nobilem, somniis crebris, ad extremum etiam minacibus, cum juberetur certo in loco silicem cædere, perterritum visis, irridentibus suis civibus, id agere cœpisse: itaque perfracto saxo sortes erupisse, in robore insculptas priscarum literarum notis. Is est hodie locus septus religiose propter

86 *Æmilia Paulo .... omen comitiorum*] Horum omnium meminit Quintus supra lib. 1. cap. 45. 46.

87 *Cauneas*] Scribendum *Cavneas*, quod exauditum est, *Cave ne eas*. Caunæ, Æolidis oppidi nomen: Caunius, alius oppiduli in Caria. Fit a Καῦνος, Καύνιος; at Καυναῖος a Καῦνοι. *Casaubonus*, in Athen. III. 3. Super hanc vocem in Mss. Regio scribitur, *quasi cave ne eas*. Hoc omen memorat etiam Plinius H. N. lib. xv. §. 21. *Davisius*.

88 *Quod micare*] *Sortiri*, & *micare*, non aliter differunt, quam ut genus & species. Sortitionis varii erant modi: & *micare* de ea dicitur, quæ fit per digitos subito expansos certo numero, &c. *Casaub.* ad Suet. Aug. cap. 13.

pter Jovis pueri, qui lactens cum Junone Fortunæ in gremio ſedens, mammam appetens, caſtiſſime colitur a matribus. Eodemque tempore, in eo loco, ubi Fortunæ nunc ſita eſt ædes, mel ex olea fluxiſſe dicunt: haruſpiceſque dixiſſe, ſumma nobilitate illas ſortes futuras, eorumque juſſu ex illa olea arcam eſſe factam; eaque conditas ſortes, quæ hodie Fortunæ monitu [89] tolluntur. Quid igitur in his poteſt eſſe certi, quæ, Fortunæ monitu, pueri manu miſcentur, atque ducuntur? Quo modo autem iſtæ poſitæ in illo loco? Quis robur illud cecidit, dolavit, inſcripſit? Nihil eſt, inquiunt, quod deus efficere non poſſit. Utinam ſapientes Stoicos effeciſſet, ne omnia ſuperſtitioſa ſollicitudine & miſeria crederent! Sed hoc quidem genus divinationis vita jam communis exploſit. Fani pulchritudo & vetuſtas, Præneſtinarum etiam nunc retinet ſortium nomen, atque id in vulgus. Quis enim magiſtratus, aut quis vir illuſtrior utitur ſortibus? Cæteris vero in locis ſortes plane refrixerunt. Quod Carneadem [90] Clitomachus ſcribit dicere ſolitum, nuſquam ſe fortunatiorem, quam Præneſte, vidiſſe Fortunam. Ergo hoc divinationis genus omittamus.

XLII. Ad Chaldæorum monſtra veniamus: de quibus Eudoxus, Platonis auditor, in aſtrologia, judicio doctiſſimorum hominum facile princeps, ſic opinatur, id quod ſcriptum re-

 liquit,

89 *Fortunæ monitu tolluntur*] Capitis nutu vel alio quodam ſigno miſcendas atque tollendas eſſe ſortes monuit Fortunæ ſimulacrum. De Præneſtinis aliiſque ſortibus adiri poterit Ant. Daleus de Divin. Idol. ſub V. T. cap. 4. *Daviſius*.

90 Quod *Carneadem*] Legendum videtur *quo Carneadem*, hoc eſt, quare, quam ob cauſam. Vide Donatum ad Terentii Andr. Act. II. Sc. V. 18. Rationem continet ea vocula, cur fortunam Præneſtinam Carneades fortunatiſſimam dixerit. *Idem*. Legebat vir cl. *quo Carneadem* &c. idque *quo* explicabat ut eſſet *quare*, *quamobrem*. Dubito ſane, an ſic Ciceronis ſeculo loquerentur Romani; & quidquid illud ſit, non potuit hoc ex Donato probari. Simili in loco occurrit relativum *quod*, de Nat. Deor. lib. II. c. 9. *refrigerato .... calore ... extinguimur*. *Quod quidem Cleanthes ... docet, quanta vis inſit caloris in omni corpore*. Ubi Lambinus volebat *Et quidem*, Daviſius *Quid quod Cleanthes docet* &c. Sed paſſim fit, ut pronomen, quod ſit ad antecedentia aliquo modo referendum, ſic per pleonaſmum quendam explicetur in ſequentibus. Supra lib. I. c. 25. *Quod idem in delectu conſules obſervant, ut primus miles fiat bono nomine*. Acad. lib. II. cap. 17. *Quod idem contingit inſanis, ut & incipientes furere, ſentiant* &c. de Nat. Deor. lib. II. 9. *Quod etiam quibuſdam regionibus atque urbibus contingere videmus, ut ſint hominum ingenia* &c. de Finibus lib. III. cap. 2. *Quod cum accidiſſet, ut alter alterum nec opinato videremus, ſurrexit ſtatim*. Ubi Lambinum vide, quem tamen falli vereor, dum ſcribit *quod* hic poni pro *ſed* ſeu *autem*, itaque ſtatuere videatur *quod* non pronomen eſſe in his formis, quod tamen revera eſt, ſed conjunctionem. *VVopkens*.

liquit, Chaldæis in prædictione, & in notatione cujusque vitæ ex natali die, minime esse credendum. Nominat etiam Panætius, qui unus e Stoicis astrologorum prædicta rejecit, Archelaum [91] & Cassandrum, summos astrologos illius ætatis, qua erat ipse, cum in cæteris astrologiæ partibus excellerent, hoc prædictionis genere non usos. Scylax Halicarnasseus, familiaris Panætii, excellens in astrologia, idemque in regenda sua civitate princeps, totum hoc Chaldaicum prædicendi genus repudiavit.

Sed, ut ratione utamur, omissis testibus; sic isti disputant, qui hæc Chaldæorum natalitia prædicta defendunt. Vim quandam esse ajunt signifero in orbe, qui Græc ζωδιακὸς dicitur, talem, ut ejus orbis unaquæque pars, alia alio modo, moveat immutetque cælum, perinde ut quæque stellæ in iis finitimisque partibus sint quoque tempore: eamque vim varie moveri ab iis sideribus, quæ vocantur errantia. Cum autem in eam ipsam partem orbis venerint, in qua sit ortus ejus qui nascatur; aut in eam, quæ conjunctum aliquid habeat, aut consentiens: ea triangula illi [92] & quadrata nominant. Etenim cum tempore anni [93] tempestatumque, cæli conversiones commutationesque tantæ fiant accessu stellarum, & recessu; cumque ea vi solis efficiantur, quæ videmus: non verisimile solum, sed etiam verum esse censent, perinde, utcumque temperatus sit aer, ita pueros orientes animari atque formari, ex eoque ingenia, mores, animum, corpus, actionem vitæ, casus cujusque, eventusque fingi.

XLIII. O delirationem incredibilem! non enim omnis error stultitia est dicenda. Quibus etiam Diogenes Stoicus concedit

91 *Archelaum & Cassandrum*] Victorius edidit *Anchialum*, quam quidem lectionem servant etiam Paris. Med. & Reg. *Davisius*.

92 *Ea illi triangula & quadrata nominant*] Hæc elucidabit Sextus Empiricus adv. Mathem. lib v. §. 39. Vide Manilium lib. II. & Censorinum de die Nat. cap. 8. *Idem*.

93 *Etenim cum* tempore anni *tempestatumque cæli conversiones commutationesque tantæ fiant*] Hæc natatore quidem Delio egent: sed, ut opinor, in librarios a Cicerone culpa est transferenda. Mss. Reg. & Cantab. exhibent, *cum* tempore anni *cæli conversiones tempestatumque commutationes tantæ fiant accessu stellarum & recessu*. Unde, nisi fallor, legendum, *cum cæli conversiones, tempestatumque commutationes tantæ fiant accessu stellarum & recessu*; deleto prorsus *tempore anni*, quod sensum turbat, & margini primitus adscriptum videtur; ne *tempestatum* nobis lateret potestas. Auctoris sane mens hoc modo plana fit & aperta. *Idem*.

cedit aliquid, ut prædicere possint duntaxat qualis quisque [94] natura, & ad quam quisque maxime rem aptus futurus sit. Cætera, quæ profiteantur, negat ullo modo posse sciri: etenim geminorum formas esse similes, vitam atque fortunam plerumque disparem. Procles [95] & Eurysthenes, Lacedæmoniorum reges, gemini fratres fuerunt. At hi nec totidem annos vixerunt: anno enim Procli vita brevior fuit, multumque is fratri rerum gestarum gloria præstitit. At ego id ipsum, quod vir optimus Diogenes Chaldæis, quasi quadam prævaricatione, concedit, nego posse intelligi. Etenim cum, ut ipsi dicunt, ortus nascentium luna moderetur, eaque animadvertant & notent sidera natalitia Chaldæi, quæcumque lunæ juncta videantur: oculorum fallacissimo sensu judicant ea, quæ ratione atque animo videre debebant. Docet enim ratio mathematicorum, quam istis notam esse oportebat, quanta humilitate luna feratur terram pæne contingens; quantum absit a proxima Mercurii stella, multo autem longius a Veneris; deinde alio intervallo distet a sole, cujus lumine collustrari putatur. Reliqua vero tria intervalla infinita & immensa, a sole ad Martis, inde ad Jovis, ab eo ad Saturni stellam, inde ad cælum ipsum, quod extremum atque ultimum mundi est. Quæ potest igitur contagio ex infinito pæne intervallo pertinere ad lunam, vel potius ad terram?

XLIV. Quid? cum dicunt id, quod iis dicere necesse est, omnes omnium ortus, quicumque gignantur in omni terra, quæ incolatur, eosdem esse, eademque omnibus, qui eodem statu cæli & stellarum nati sint, accidere necesse esse: nonne ejusmodi sunt, ut ne cæli quidem naturam interpretes istos cæli nosse appareat? Cum enim illi orbes, qui cælum quasi

medium

94 Qualis *quisque naturæ*] Vulgo *qualis quisque natura*; nec aliter fere nostri. Editi veteres *qualis quisque natura*. Multo quidem commodius: sed cum Med. exhibeat *qualis quisque naturæ*, sic scripsisse Cicero videtur. *Idem*.

95 Procles *&* *Eurysthenes*] Cum primus horum, Straboni (cui Plutarchus in Lycurgo pag. 40. addi potest) Πατροκλῆς nuncupetur; conjicit Ursinus, ex compendiaria scribendi ratione natum esse *Proclem*. Sed inanis est ea suspicio: hunc enim *Proclem* appellant non modo noster & Herodotus, sed Pausanias etiam in Lacon. cap. 1. Apollodorus Bibl. lib. II. §. 2., 4. Porphyrius de Abstin. lib. I. §. 25. aliique: ut ex iis emendandos esse Strabonem & Plutarchum multo sit verisimilius. De Procle & Eurysthene videas licet Joan. Meursium Regn. Lacon. c. 10. 15. *Idem*.

medium dividunt, & adſpectum noſtrum definiunt, (a Græcis ὁρίζοντες nominantur, a nobis finientes rectiſſime nominari poſſunt) varietatem maximam habeant, aliique in aliis locis ſint, neceſſe eſt ortus occaſuſque ſiderum non fieri eodem tempore apud omnes. Quod ſi eorum vi cælum modo hoc, modo illo modo temperatur: qui poteſt eadem vis eſſe naſcentium, cum cæli tanta ſit diſſimilitudo? In his locis, quæ nos incolimus, poſt ſolſtitium Canicula exoritur, & quidem aliquot diebus: apud Troglodytas, ut ſcribitur, ante ſolſtitium: ut, ſi jam concedamus aliquid vim cæleſtem ad eos, qui in terra gignuntur, pertinere, confitendum ſit illis, eos, qui naſcuntur eodem tempore, poſſe in diſſimiles incidere naturas propter cæli diſſimilitudinem. Quod minime illis placet. Volunt enim illi, omnes eodem tempore ortos, qui ubique ſint nati, eadem conditione naſci.

XLV. Sed quæ tanta dementia eſt, ut in maximis motibus, mutationibuſque cæli, nihil interſit, qui ventus, qui imber, quæ tempeſtas ubique ſit? Quarum rerum in proximis locis tantæ diſſimilitudines ſæpe ſunt, ut alia Tuſculi, alia Romæ eveniat ſæpe tempeſtas. Quod, qui navigant, maxime animadvertunt, cum in flectendis promontoriis, ventorum mutationes maximas ſæpe ſentiant. Hæc igitur cum ſit tum ſerenitas, tum perturbatio cæli; eſtne ſanorum hominum, hoc ad naſcentium ortus pertinere non dicere: quod non certe pertinet: illud neſcio quid tenue, quod ſentiri nullo modo, intelligi autem vix poteſt, quæ a luna, cæteriſque ſideribus cæli temperatio fiat, dicere ad puerorum ortus pertinere?

Quid? quod non intelligunt, ſeminum vim, quæ ad gignendum, procreandumque plurimum valeat, funditus tolli; mediocris erroris eſt? Quis enim non videt, & formas, & mores, & pleroſque ſtatus ac motus effingere a parentibus liberos? quod non contingeret, ſi hoc non vis & natura gignentium efficeret, ſed temperatio lunæ cælique moderatio.

Quid? quod uno & eodem temporis puncto nati, diſſimiles & naturas, & vitas, & caſus habent: parumne declarant

rant [96] , nihil ad agendam vitam naſcendi tempus pertinere? niſi forte putamus neminem eodem tempore ipſo & conceptum , & natum , quo Africauum . Num quis igitur talis fuit?

XLVI. Quid? illudne dubium eſt , quin multi , cum ita nati eſſent , ut quædam contra naturam depravata haberent , reſtituerentur , & corrigerentur ab natura , cum ſe ipſa revocaſſet , aut arte , atque medicina? aut quorum [97] linguæ ſic inhærerent , ut loqui non poſſent , eæ ſcalpello reſectæ liberarentur? Multi etiam naturæ vitium meditatione atque exercitatione ſuſtulerunt ; ut Demoſthenem ſcribit Phalereus , cum RHO [98] dicere nequiret , exercitatione feciſſe , ut planiſſime diceret . Quod ſi hæc aſtro ingenerata & tradita eſſent , nulla res ea mutare poſſet . Quid? diſſimilitudo locorum nonne diſſimiles hominum procreationes habet? quas quidem percurrere oratione facile eſt : quid inter Indos & Perſas, Æthiopas & Syros differat corporibus , animis : ut incredibilis varietas diſſimilitudoque ſit . Ex quo intelligitur , plus terrarum ſitus , quam lunæ tractus , ad naſcendum valere . Nam quod ajunt , quadringenta & ſeptuaginta millia annorum in periclitandis , experiundiſque pueris , quicumque eſſent nati , Babylonios poſuiſſe , fallunt . Si enim eſſet factitatum , non eſſet deſitum . Neminem autem habemus auctorem , qui id aut fieri dicat , aut factum ſciat .

XXVII. Videſne , me non ea dicere , quæ Carneades , ſed ea , quæ princeps Stoicorum Panætius dixerit? Ego autem etiam

96 *Parumne* declarant] Legendum puto *declarat* , licet in tuenda vulgata conſentiant libri . *Idem* .

97 Aut *quorum linguæ ſic inhærerent* &c.] Ut ſe jam habet ſententia , id quod ſequitur de *linguis ſcalpello reſectis* dicitur quaſi quiddam *ab arte atque medicina* diverſum : at quis credat Ciceronem hoc voluiſſe? Libenter cum Daviſio lego in præcedentibus *aut natura* vice *a natura* , totamque ſententiam ſic reformandam eſſe cenſeo , *illudne dubium eſt , quin multi reſtituerentur & corrigerentur* aut *natura , cum ſe ipſa revocaſſet , aut arte atque medicina* , ut *quorum linguæ ſic inhærerent , ut loqui non poſſent , ea ſcalpello reſecta liberarentur?* Verba poſteriora mihi videntur afferri velut exemplum ejus quod reſtitui & corrigi poſſit arte atque medicina. *Peare.*

98 *Cum* rho *dicere nequiret*] Eleganter Cicero de Orat. lib. I. cap. 16. *Cum ita balbus eſſet Demoſthenes , ut ejus ipſius artis , cui ſtuderet , primam literam non poſſet dicere , perfecit meditando , ut nemo planius eo locutus putaretur* . Inter alios , idem memorant Valerius Maximus lib. VIII. cap. 7. I. Plutarchus in Demoſt. & ex eo Photius Cod. CCLXV. col. 1471. *Daviſius* .

iam hoc requiro, omnesne, qui Cannensi pugna ceciderunt, uno astro fuerint. Exitus quidem omnium unus & idem fuit. Quid? qui ingenio atque animo singulares, num astro quoque uno? Quod enim tempus, quo non innumerabiles nascantur? At certe similis nemo Homeri. Et, si ad rem pertinet, quo modo cælo affecto, compositisque sideribus, quodque animal oriatur: valeat id * necesse est etiam in rebus inanimis: quo quid dici potest absurdius? L. quidem Tarutius Firmanus, familiaris noster, in primis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam nostræ natalem diem [99] repetebat ab iis Parilibus, [1], quibus eam a Romulo conditam accepimus; Romamque, in jugo cum esset [2] luna, natam esse dicebat, nec ejus fata canere dubitabat.

O vim maximam erroris! Etiamne urbis natalis dies ad vim stellarum & lunæ pertinebat? Fac in puero referre ex qua affectione cæli primum spiritum duxerit: num hoc in latere, aut in cæmento, ex quibus urbs effecta est, potuit valere? Sed quid plura? quotidie refelluntur. Quam multa ego Pompejo, quam multa Crasso, quam multa huic ipsi Cæsari a Chaldæis dicta memini! neminem eorum nisi in senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum. Ut mihi permirum videatur, quemquam exstare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta quotidie videat re & eventis refelli.

XLVIII. Restant duo divinandi genera, quæ habere dicimur a natura, non ab arte; vaticinandi, & somniandi. De quibus, Quinte, inquam, si placet, disseramus. Mihi vero, inquit, placet. His enim, quæ adhuc disputasti, prorsus assentior: & vere ut loquar, quanquam tua me oratio confirmavit, tamen etiam mea sponte nimis superstitiosam de divinatione Stoicorum sententiam judicabam; ac me Peripateticorum

* Vict. *necesse est non in hominibus solum, verum in bestiis etiam: quo*

99 *Natalem diem repetebar*] Is dies erat undecimus ante Kalendas Majas, ut narrat Plutarchus in Romulo, eodemque loco hunc Tarutium commemorat. *Lambinus*.

1 *Parilibus*] A Pale pastorum dea, immutata litera L. dicta sunt Parilia, quæ sacra in honorem ipsius deæ celebrabantur XII. Kal. Maii, qui Romæ natalis dies fuit. A. *Manutius*.

2 *In jugo cum esset luna*] In signo Libræ, quæ duas fingitur habere lances transverso veluti jugo pendulas. Quod etiam instrumentum Justitiæ symbolum tradunt. *Idem*.

corum ratio magis movebat, & veteris Dicæarchi, & ejus, qui nunc floret, Cratippi, qui censent esse in mentibus hominum tanquam oraculum aliquod, ex quo futura præsentiant, si aut furore divino incitatus animus, aut somno relaxatus, solute moveatur ac libere. His de generibus quid sentias, & quibus ea rationibus infirmes, audire sane velim. Quæ cum ille dixisset, tum ego rursus quasi ab alio principio sum exorsus dicere.

Non ignoro, inquam, Quinte, te semper ita sensisse, ut de cæteris divinandi generibus dubitares: ista duo, furoris & somnii, quæ a libera mente fluere viderentur, probares.

XLIX. Dicam igitur de istis ipsis duobus generibus mihi quid videatur, si prius, Stoicorum conclusio rationis, & Cratippi nostri, quid valeat, videro. Dixisti enim, & Chrysippum, & Diogenem, & Antipatrum concludere hoc modo.
„ Si sunt dii, neque ante declarant hominibus, quæ futura
„ sint: aut non diligunt homines: aut, quid eventurum sit,
„ ignorant: aut existimant nihil interesse, hominem scire,
„ quid sit futurum: aut non censent esse suæ majestatis, præ-
„ significare hominibus, quæ sint futura: aut ea ne ipsi qui-
„ dem dii significare possunt. At neque non diligunt nos;
„ sunt enim benefici, generique hominum amici: neque igno-
„ rant ea, quæ ab ipsis constituta & designata sunt: neque no-
„ stra nihil interest, scire ea quæ futura sunt; erimus enim
„ cautiores, si sciemus: neque hoc alienum ducunt majestate
„ sua; nihil est enim beneficentia præstantius: neque non
„ possunt futura prænoscere. Non igitur dii sunt, nec signi-
„ ficant nobis futura: sunt autem dii: significant ergo. Et
„ non, si significant futura, nullas dant nobis vias ad signi-
„ ficationum scientiam, frustra enim significarent: neque, si
„ dant vias, non est divinatio: est igitur divinatio.

O acutos homines! quam paucis verbis negotium confectum putant! Ea sumunt ad concludendum, quorum iis nihil conceditur. Conclusio autem rationis ea probanda est, in qua ex rebus non dubiis id, quod dubitatur, efficitur.

L. Videſne Epicurum, quem hebetem & rudem dicere ſolent Stoici, quemadmodum, quod in natura rerum omne eſſe dicimus, id infinitum eſſe concluſerit? *Quod finitum eſt*, inquit, *habet extremum*. Quis hoc non dederit? *Quod autem habet extremum, id cernitur ex alio extrinſecus*. Hoc quoque eſt concedendum. *At, quod omne eſt, id non cernitur ex alio extrinſecus*. Ne hoc quidem negari poteſt. *Nihil igitur cum habeat extremum, infinitum ſit neceſſe eſt*. Videſne, ut ad rem dubiam conceſſis rebus pervenerit? Hoc vos dialectici non facitis: nec ſolum ea non ſumitis ad concludendum, quæ ab omnibus concedantur: ſed ea ſumitis, quibus conceſſis, nihilo magis efficiatur quod velitis. Primum enim hoc ſumitis: *Si ſunt dii, benefici in homines ſunt*. Quis hoc vobis dabit? Epicuruſne, qui negat, quidquam deos nec alieni curare, nec ſui? An noſter Ennius, qui magno plauſu loquitur, aſſentiente populo?

Ego deum genus eſſe ſemper dixi, & dicam cœlitum:
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.

Et quidem [3], cur ſic opinetur, rationem ſubjicit. Sed nihil eſt neceſſe dicere, quæ ſequuntur. Tantum ſat eſt intelligi, id ſumere iſtos pro certo, quod dubium controverſumque ſit.

Sequitur porro, *Nihil deos ignorare, quod omnia ſint ab iis conſtituta*. Hic vero quanta pugna eſt doctiſſimorum hominum, negantium eſſe hæc a diis immortalibus conſtituta? *At noſtra intereſt ſcire ea quæ eventura ſint*. Magnus Dicæarchi liber eſt, neſcire ea melius, quam ſcire. *Negant id eſſe alienum majeſtate deorum*, ſcilicet caſas omnium introſpicere, ut videant quid cuique conducat. *Neque non poſſunt futura prænoſcere*. Negant poſſe ii, quibus non placet eſſe certum, quid futurum ſit. Videſne igitur, quæ dubia ſint, ea ſumi pro certis atque conceſſis? Deinde contorquent, & ita concludunt: *Non igitur ſunt dii, nec ſignificant futura*: id enim jam perfectum arbitrantur. Deinde aſſumunt: *Sunt autem dii:* quod ipſum non ab omnibus conceditur. *Significant ergo*. Ne id quidem ſequi-

3 *Et quidem cur ſic opinetur, rationem ſubjicit*] Ea ratio fuit, *Nam ſi curent, bene bonis ſit, male malis; quod nunc abeſt*. Vide Hieronymum Columnam ad Ennii Fragm. *Daviſius*.

fequitur: possunt enim non significare, & tamen esse dii. *Nec, si significent, non dant vias aliquas ad scientiam significationis*. At id quoque potest, ut non dent homini; ipsi habeant; cur enim Tuscis potius, quam Romanis darent? *Nec si dant vias, nulla est divinatio*. Fac dare deos: quod absurdum est: quid refert, si accipere non possumus? Extremum est, *Est igitur divinatio*. Sit extremum: effectum tamen non est: ex falsis enim, ut ab ipsis didicimus, verum effici non potest. Jacet igitur tota conclusio.

LII. Veniamus nunc ad optimum virum, familiarem nostrum, Cratippum. „ Si sine oculis, inquit, non potest exstare officium & munus oculorum, possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere: qui vel semel ita est usus oculis, ut vera cerneret, is habet sensum oculorum vera cernentium. Item igitur, si sine divinatione non potest officium & munus divinationis exstare; potest autem, cum quis divinationem habeat, errare aliquando, nec vera cernere: satis est ad confirmandam divinationem, semel aliquid ita esse divinatum, nihil ut fortuito cecidisse videatur. Sunt autem ejus generis innumerabilia. Esse igitur divinationem confitendum est.

Festive & breviter. Sed, cum bis sumpsit quod voluit; etiam si faciles nos ad concedendum habuerit, id tamen, quod assumit, concedi nullo modo potest. „ Si, inquit, aliquando oculi peccent, tamen, quia recte aliquando viderint, inest in iis vis videndi. Item, si quis semel aliquid dixerit, is etiam cum peccet, tamen existimandus sit habere vim divinandi.

LIII. Vide, quæso, Cratippe noster, quam sint ista similia: nam mihi non videntur. Oculi enim vera cernentes, utuntur natura atque sensu: animi si quando vel vaticinando vel somniando vera viderunt, usi sunt fortuna atque casu. Nisi forte concessuros tibi existimas eos, qui somnia pro somniis habent, si quando aliquod somnium verum evaserit, non id fortuito accidisse. Sed demus tibi istas duas sumptiones, ea quæ λήμματα appellant dialectici; sed nos Latine lo-

qui malumus: præsumptio [4] tamen, quam πρόληψιν iidem vocant, non dabitur.

Assumit autem Cratippus hoc modo: *Sunt autem innumerabiles præsensiones non fortuitæ*. At ego dico nullam. Vide, quanta sit controversia. Jam assumptione non concessa, nulla conclusio est. At impudentes sumus, qui, cum tam perspicuum sit, non concedamus. Quid est perspicuum? Multa vera, inquit, evadere. Quid, quod multo plura falsa? Nonne ipsa varietas, quæ est propria fortunæ, fortunam esse causam, non naturam docet? Deinde, si tua ista conclusio, Cratippe, vera est: (tecum enim mihi res est) nonne intelligis eadem uti posse & haruspices, & fulguratores, & interpretes ostentorum, & augures, & sortilegos, & Chaldæos? quorum generum nullum est, ex quo non aliquid, sicut prædictum sit, evaserit. Ergo aut ea quoque genera divinandi sunt, quæ tu rectissime improbas: aut, si ea non sunt, non intelligo, cur hæc duo sint, quæ relinquis. Qua ergo ratione hæc inducis, eadem illa possunt esse, quæ tollis.

LIV. Quid vero habet auctoritatis furor iste, quem divinum vocatis, ut, quæ sapiens non videat, ea videat insanus, & is, qui humanos sensus amiserit, divinos assecutus sit? Sibyllæ versus observamus, quos illa furens fudisse dicitur: quorum interpres [5] nuper falsa quadam hominum fama dicturus in senatu putabatur, eum, quem re vera regem habebamus, appellandum quoque esse *regem*, si salvi esse vellemus. Hoc si est in libris, in quem hominem, & in quod tempus est? Callide enim, qui illa composuit, perfecit, ut, quodcumque accidisset, prædictum videretur, hominum & temporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari

4 Præsumptio *tamen, quam πρόληψιν*] Ni fallor, legendum est, *Assumptio tamen, quam πρόληψιν* &c. sequitur enim, Assumit *autem Cratippus hoc modo*; & paulo post, *jam assumptione non concessa, nulla conclusio est*. Pearcius.

5 *Quorum interpres*] L. Cotta; de quo Suetonius in Julio Cæsare his verbis: *Percrebuit fama L. Cottam xv. virum sententiam dicturum, ut, quoniam libris fatalibus contineretur Parthos nisi a rege non posse vinci, Cæsar, rex appellaretur*. Ex quo Ciceronis locus illustratur, & simul intelligitur, libris Sibyllinis interpretandis xv. viros præfuisse. *P. Manutius*.

ri viderentur. Non esse autem illud carmen furentis, cum ipsum poema declarat, (est enim magis artis & diligentiæ, quam incitationis & motus) tum vero ea quæ ἀκροστιχὶς dicitur, cum deinceps [6] ex primis versus literis aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis, *Q.* E*nnius fecit*. Id certe magis est attenti animi, quam furentis. Atque in Sibyllinis ex primo versu cujusque sententiæ [7], primis literis illius sententiæ carmen omne prætexitur. Hoc scriptoris est, non furentis; adhibentis diligentiam, non insani. Quamobrem Sibyllam [8] quidem sepositam & conditam habeamus, ut, id quod proditum est a majoribus, injussu senatus ne legantur quidem libri; valeantque ad deponendas potius, quam ad suscipiendas religiones: & cum antistitibus agamus, ut quidvis potius ex illis libris, quam regem proferant; quem Romæ posthæc nec dii, nec homines esse patientur.

LV. At multi sæpe vera vaticinati, ut Cassandra,

Jamque mari magno [9] ....

Eademque paulo post:

Eheu videte [10] ....

Num igitur me cogis etiam fabulis credere? quæ delectationis habeant, quantum voles: verbis, sententiis, numeris, cantibus adjuventur: auctoritatem quidem nullam debemus, nec fidem commentitiis rebus adjungere. Eodemque modo nec ego Publicio nescio cui, nec Marciis vatibus, nec Apollinis oper-

6 *Cum deinceps ex* primis *versus literis aliquid connectitur*] Davisius putat legendum esse *ex primis* versuum *literis*; ego vero, *ex* primi *versus literis* &c. Rationem meæ conjecturæ videbit lector in nota sequenti. *Pearcius*.

7 *Atque in Sibyllinis ex primo versu cujusque sententiæ primis literis* &c.] Davisius secutus conjecturam Aurati & MSS. Puteanum, censet legendum esse *ex* primis versuum *cujusque sententiæ literis* &c. At nihil mihi videtur mutandum esse. Constructio enim est; ex primo versu cujusque sententiæ carmen omne illius sententiæ prætexitur primis literis: & sensus loci hujusmodi videtur esse: Literæ, quæ constituunt primum versum cujusque sententiæ, (quæ sententia ex certis quibusdam versibus idem argumentum spectantibus constat) sunt initiales literæ omnium eorum versuum, qui in ista sententia continentur. *Idem*.

8 *Sibyllam quidem sepositam & conditam habeamus, ut, id quod proditum* &c.] Quemadmodum se nunc habent verba, Tullio fuit in votis, ut oracula Sibyllina conderentur, *quo* valerent ad religiones deponendas: quod ejus menti prorsus est contrarium. Lego *Sibyllam quidem sepositam & conditam habeamus; ut id quod proditum est a majoribus, injussu senatus ne legantur quidem libri; valeant quippe ad deponendas* &c. Vide J. A. Fabricium Bibl. Græcæ lib. 1. cap. 31. 6. *Davisius*.

9 *Jamque mari magno*] Vide lib. 1. cap. 31.

10 *Eheu videte*] I. 50.

opertis credendum existimo: quorum partim ficta aperte, partim effutita temere, nunquam ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudenti, probata sunt.

Quid? inquies: remex [11] ille de classe Coponii, nonne ea prædixit, quæ facta sunt? Ille vero, & ea quidem, quæ omnes eo tempore ne acciderent timebamus. Castra enim in Thessalia castris collata audiebamus: videbaturque nobis exercitus Cæsaris & audaciæ plus habere, quippe qui patriæ bellum intulisset; & roboris, propter vetustatem. Casum autem prælii, nemo nostrum erat, quin timeret: sed ita, ut constantibus hominibus par erat, non aperte. Ille autem Græcus, quid mirum, si magnitudine timoris, ut plerumque fit, a constantia, atque a mente, atque a se ipse discessit? qua perturbatione animi, quæ, sanus cum esset, timebat ne evenirent, ea demens eventura esse dicebat. Utrum tandem, per deos atque homines! magis verisimile est, vesanum remigem, an aliquem nostrum, qui ibi tum eramus, me, Catonem, Varronem, Coponium ipsum, consilia deorum immortalium perspicere potuisse?

LVI. Sed jam ad te venio,

O sancte Apollo, qui umbilicum [12] certum terrarum obsides,
Unde superstitiosa primum sæva evasit vox fera.

Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor; partim casu veris, ut fit in omni oratione sæpissime; partim flexiloquis, & obscuris, ut interpres egeat interprete, & sors ipsa ad sortes referenda sit; partim ambiguis, & quæ ad dialecticum deferenda sint. Nam cum sors illa edita est opulentissimo regi Asiæ,

Crœsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim:

hostium vim sese perversurum putavit, pervertit autem suam. Utrum igitur eorum accidisset, verum oraculum fuisset. Cur autem hoc credam unquam editum Crœso? aut Herodotum,

cur

11 *Remex ille*] I. 32.

12 *Qui umbilicum certum terrarum obsides*] *Obtines* est in manuscripto, & ita scriptum est apud Varronem in libris de lingua Latina. Ursin. *Umbilicum terrarum* Delphos vocat, quod ea urbs ὀμφαλὸς γῆς seu in medio terrarum sita videbatur. Euripides, *Orest.* 590. & *Phæniss.* 244. Adi Casaubonum ad Strabonis IX. p. 642. Aut *umbilicus* est *quod vocant Delphis in æde foramen*, ut auctor est Varro de lingua Lat. lib. VI. *Davisius*.

cur veraciorem ducam Ennio? Num minus ille potuit de Crœso, quam de Pyrrho fingere Ennius? Quis enim est, qui credat, Apollinis ex oraculo Pyrrho esse responsum,

Aio te, Æacida [13], *Romanos vincere posse*.

Primum latine Apollo nunquam locutus est. Deinde ista sors inaudita Græcis est. Præterea Pyrrhi temporibus jam Apollo versus facere desierat. Postremo, quanquam semper fuit, ut apud Ennium est,

stolidum genus Æacidarum,
Bellipotentes sunt magi', quam sapientipotentes:

tamen hanc amphiboliam versus intelligere potuisset, *vincere te Romanos*, nihilo magis in se, quam in Romanos valere. Nam illa amphibolia, quæ Crœsum decepit, vel Chrysippum potuisset fallere: hæc vero ne Epicurum quidem [14].

LVII. Sed, quod caput est, cur isto modo jam oracula Delphis non eduntur, non modo nostra ætate, sed jamdiu; ut modo nihil possit esse contemptius? Hoc loco cum urgentur, evanuisse ajunt vetustate vim loci ejus, unde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia, mente incitata, oracula ederet. De vino, aut salsamento putes loqui, quæ evanescunt vetustate. De vi loci agitur, neque solum naturali, sed etiam divina: quæ quo tandem modo evanuit? Vetustate, inquies. Quæ vetustas est, quæ vim divinam conficere possit? Quid tam divinum autem, quam afflatus ex terra mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat, ut ea non modo cernat multo ante, sed etiam numero, versuque pronuntiet? Quando autem ista vis evanuit? an postquam homines minus creduli esse cœperunt? Demosthenes quidem, qui abhinc annos prope ccc fuit, jam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, id est, quasi cum Philippo facere. Hoc autem eo spectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret: quo licet existimare, in aliis quo-

13 *Aio te, Æacida*] Versus est Ennianus de Pyrrho Epirotarum rege: scribit enim Pyrrhum Ennius in Annalibus Apollinem consuluisse de belli eventu, quod adversus Romanos erat gesturus; hocque responsum tulisse. *Turneb.* Quo sane in versu occurrit ambiguitas: nescias enim utrum Pyrrhus oriundus ab Æaco Romanos victurus sit, an Romani Pyrrhum oriundum ab Æaco victuri sint. *Capperon.* in Quintilianum, lib. VII. cap. 9.

14 *Ne Epicurum quidem*] Quem *hebetem & rudem dicere solent Stoici*. Vide supra c. 50. *Davisius*.

quoque oraculis Delphicis aliquid non ſinceri fuiſſe . Sed neſcio quomodo iſti philoſophi , ſuperſtitioſi , & pæne fanatici , quidvis malle videntur , quam ſe non ineptos . Evanuiſſe mavultis , & extinctum eſſe id , quod ſi unquam fuiſſet , certe æternum eſſet , quam ea , quæ non ſunt credenda , non credere .

LVIII. Similis eſt error in ſomniis : quorum quidem defenſio repetita quam longe eſt ! Divinos animos cenſent eſſe noſtros , eoſque eſſe tractos extrinſecus , animorumque conſentientium multitudine completum eſſe mundum : hac igitur [15] mentis & ipſius divinitate , & conjunctione cum externis mentibus , cerni quæ ſint futura . Contrahi autem animum Zeno , & quaſi labi putat , atque concidere , & ipſum eſſe dormire . Jam Pythagoras [16] & Plato locupletiſſimi auctores , quo in ſomnis certiora videamus , præparatos quodam cultu atque victu proficiſci ad dormiendum jubent . Faba quidem Pythagorei utique abſtinuere : quaſi vero eo cibo mens , non venter infletur. Sed neſcio quomodo nihil tam abſurde dici poteſt , quod non dicatur ab aliquo philoſophorum .

Utrum igitur cenſemus dormientium animos per ſemet ipſos in ſomniando moveri , an , ut Democritus [17] cenſet , externa & adventitia viſione pulſari ? Sive enim ſic eſt , ſive illo modo , videri poſſunt permulta ſomniantibus falſa pro veris . Nam & navigantibus moveri videntur ea , quæ ſtant : & quodam obtutu oculorum duo pro uno lucernæ lumina . Quid dicam , inſanis , quid ebriis quam multa falſa videantur ? Quod ſi ejuſmodi viſis credendum non eſt , cur ſomniis credatur , neſcio .

15 *Hac igitur mentis* & ipſius divinitate , *& conjunctione cum externis mentibus*] Corruptus eſt locus , quem emendare conati ſunt ipſi librarii . Nam Reg. & Cantab. exhibent , *hac igitur mentis & ipſius* divinitatis *conjunctione cum externis mentibus* . Licet autem non adeo tardi fuerint ſcribæ , quin vitium quoddam ſubeſſe probe viderent , ei tamen tollendo non erant . Mihi reſcribendum videtur ; *hac igitur mentis &* divinitate , & ipſius *conjunctione cum externis mentibus* , *cerni quæ ſint futura* . Ita , levi mutatione , clara perſpicuaque fiunt omnia . *Idem* .

16 *Pythagoras*] I. 29. 30.

17 *Ut Democritus cenſet*] Democritus τὰς ὀνείρους γίνεσθαι κατὰ τῶν εἰδώλων παραστάσεις voluit , ut auctor eſt Plutarchus de Plac. Phil. lib. v. c. 2. Idem philoſophus *nullam aliam cauſam cujuslibet cogitationis noſtræ* opinabatur , *niſi cum ab his corporibus* , *quæ cogitamus* , *veniunt atque intrant imagines in animos noſtros* . Verba ſunt Auguſtini Epiſt. LVI. quæ eſt noviſſimæ editionis CXVIII. Vide noſtrum lib. 1. de Fin. cap. 6. & infra cap. 67. *Idem* .

ſcio. Nam tam licet de his erroribus, ſi velis, quam de ſomniis diſputare: ut ea quæ ſtant, ſi moveri videantur, terræ motum ſignificare dicas, aut repentinam aliquam fugam: gemino autem lucernæ lumine declarari, diſſenſionem ac ſeditionem moveri.

LIX. Jam ex inſanorum aut ebriorum viſis innumerabilia conjectura trahi poſſunt, quæ futura videantur. Quis eſt enim, qui totum diem jaculans, non aliquando collineet? Totas noctes dormimus; neque ulla eſt fere, qua non ſomniemus: & miramur, aliquando id, quod ſomniarimus, evadere? Quid eſt tam incertum, quam talorum jactus? tamen nemo eſt, quin ſæpe jactans Venereum jaciat aliquando, nonnunquam etiam iterum, ac tertium: num igitur, ut inepti, Veneris id fieri impulſu malumus, quam caſu, dicere? Quod ſi, cæteris temporibus, falſis viſis credendum non eſt; non video, quid præcipui ſomnus habeat, in quo valeant falſa pro veris.

Quod ſi ita natura paratum eſſet, ut ea dormientes agerent quæ ſomniarent, alligandi omnes eſſent qui cubitum irent: majores enim, quam ulli inſani, efficerent motus ſomniantes. Quod ſi inſanorum viſis fides non eſt habenda, quia falſa ſunt; cur credatur ſomniantium viſis, quæ multo etiam perturbatiora ſunt, non intelligo. An quod inſani ſua viſa conjectori non narrant; narrant qui ſomniaverunt? Quæro etiam, ſi velim ſcribere quid, aut legere, aut canere vel voce, vel fidibus, aut geometricum quiddam, aut phyſicum, aut dialecticum explicare, ſomniumne exſpectandum ſit, an ars adhibenda, ſine qua nihil earum rerum nec fieri nec expediri poteſt? Atqui, ne ſi navigare quidem velim, ita gubernarem, ut ſomniaverim: præſens enim pœna ſit. Qui igitur convenit, ægros a conjectore ſomniorum potius, quam a medico petere medicinam? An Æſculapius, an Serapis poteſt nobis præſcribere per ſomnium curationem valetudinis; Neptunus [18] guber-

18 *Neptunus* gubernantibus *non poteſt*] *Gubernationis* pro *gubernantibus* eſt in antiquo, quod magis placet. *Urſinus*. Nondum tamen, ut opinor, bene ſe locus habet: nam ſubintelligas oportet *curationem*, quæ videtur incommoda locutio. Lego, *Neptunus* gubernationem *non poteſt?* Gubernatio *gubernandi artem* denotat, ut loquitur noſter I. 14. *Idem*.

gubernantibus non poteſt? Et, ſi ſine medico medicinam dabit Minerva; Muſæ ſcribendi, legendi, cæterarum artium ſcientiam ſomniantibus non dabunt? At ſi curatio daretur valetudinis, hæc quoque, quæ dixi, darentur: quæ quoniam non dantur, medicina non datur: qua ſublata tollitur omnis auctoritas ſomniorum.

LX. Sed hæc quoque in promptu fuerint: nunc interiora videamus. Aut enim divina vis quædam, conſulens nobis, ſomniorum ſignificationes facit: aut conjectores ex quadam convenientia & conjunctione naturæ, quam vocant συμπάθειαν, quid cuique rei conveniat, ex ſomniis [19], & quid quamque rem ſequatur, intelligunt: aut eorum neutrum eſt, ſed quædam obſervatio conſtans atque diuturna eſt, cum quid viſum ſecundum quietem ſit, quid evenire, & quid ſequi ſoleat.

Primum intelligendum eſt, nullam vim eſſe divinam effectricem ſomniorum. Atque illud quidem perſpicuum eſt, nulla viſa ſomniorum proficiſci a numine deorum: noſtra enim cauſa dii id facerent, ut providere futura poſſemus. Quotus igitur eſt quiſque, qui ſomniis pareat? qui intelligat? qui meminerit? Quam multi vero, qui contemnant, eamque ſuperſtitionem imbecilli animi atque anilis putent? Quid eſt igitur, cur his hominibus conſulens deus, ſomniis moneat eos, qui illa non modo cura, ſed ne memoria quidem digna ducant? Nec enim ignorare deus poteſt, qua mente quiſque ſit: nec fruſtra, ac ſine cauſa quid facere, dignum deo eſt: quod abhorret etiam ab hominis conſtantia. Ita, ſi pleraque ſomnia aut ignorantur, aut negliguntur: aut neſcit hoc deus, aut fruſtra ſomniorum ſignificatione utitur. Sed horum neutrum in deum cadit. Nihil igitur a deo ſomniis ſignificari fatendum eſt.

LXI. Illud etiam requiro, cur, ſi deus iſta viſa nobis providen-

19 *Ex ſomniis*] Licet haſce voces agnoſcant libri, tamen eas irreptitias eſſe puto, gloſſematiſque damnandas, quippe quæ ſenſum turbant. Idem, niſi fallor, cuivis locum perpendenti videbitur. *Daviſ.* Male omnino ante iſta, *ex ſomniis*, virgulam ediderunt, qui duas ad τὸ iſtas voces *intelligunt* referendas exiſtimarunt. Tollenda eſt illa diſtinctio, quandoquidem voces illæ, quibus haud juſta νοθείας incumbere videtur ſuſpicio, conſtruendæ ſunt cum præcedente pronomine *quid*; ut *quid ex ſomniis*, ſit, quæ pars ſomniorum. *Vvopkenſ.*

videndi causa dat, non vigilantibus potius det, quam dormientibus. Sive enim externus & adventitius pulsus animos dormientium commovet, sive per se ipsi animi moventur, sive quæ causa alia est, cur secundum quietem aliquid videre, audire, agere videamur, eadem causa vigilantibus esse poterat: idque si nostra causa dii secundum quietem facerent, vigilantibus idem facerent; præsertim cum Chrysippus, Academicos refellens, permulto clariora & certiora esse dicat, quæ vigilantibus videantur, quam quæ somniantibus. Fuit igitur divina beneficentia dignius, cum consulerent nobis, clariora visa dare vigilanti, quam obscuriora per somnium: quod quoniam non fit, somnia divina putanda non sunt.

Jam vero quid opus est circuitione & amfractu, ut sit utendum interpretibus somniorum potius, quam directo? Deus, si quidem nobis consulebat, *Hoc facito*, *Hoc ne feceris*, diceret; idque visum vigilanti potius, quam dormienti daret.

Jam vero quis dicere audeat, vera omnia esse somnia? *Aliquot somnia vera*, inquit Ennius, *sed omnia non est necesse*.

LXII. Quæ est tandem ista distinctio? quæ vera, quæ falsa habet? &, si vera a deo mittuntur, falsa unde nascuntur? Nam si ea quoque divina, quid inconstantius deo? quid inscitius autem est, quam mentes mortalium falsis & mendacibus visis concitare? Sin vera visa, divina sunt; falsa autem & inania, humana: quæ est ista designandi licentia, ut hoc deus, hoc natura fecerit potius, quam aut omnia deus, (quod negatis,) aut omnia natura? Quod quoniam illud negatis, hoc necessario confitendum est. Naturam autem eam dico, qua nunquam animus insistens, agitatione & motu esse vacuus potest. Is cum languore corporis, nec membris uti, nec sensibus potest, incidit in visa varia & incerta ex reliquiis, ut ait Aristoteles, inhærentibus earum rerum, quas vigilans gesserit, aut cogitarit: quarum perturbatione mirabiles interdum exsistunt species somniorum. Quæ si alia falsa, alia vera: qua nota internoscantur, scire sane velim. Si nulla est: quid istos interpretes audiamus? Sin quæpiam est: aveo audire, quæ sit. Sed hærebunt.

LXIII. Venit enim jam in contentionem, utrum ſit probabilius, deoſne immortales, rerum omnium præſtantia excellentes, concurſare omnium mortalium, qui ubique ſunt, non modo lectos, verum etiam grabatos, &, cum ſtertentes aliquos viderint, objicere his viſa quædam tortuoſa & obſcura, quæ illi exterriti ſomnio ad conjectorem mane deferant; an natura fieri, ut mobiliter animus agitatus, quod vigilans viderit, dormiens videre videatur. Utrum philoſophia dignius, ſagarum ſuperſtitione iſta interpretari, an explicatione naturæ? Ut, ſi jam fieri poſſit conjectura vera ſomniorum, tamen iſti, qui profitentur, eam facere non poſſint: ex leviſſimo enim & indoctiſſimo genere conſtant. Stoici autem tui negant quemquam, niſi ſapientem, divinum eſſe poſſe.

Chryſippus quidem divinationem definit his verbis, *Vim cognoſcentem, & videntem, & explicantem ſigna, quæ a diis hominibus portendantur:* officium autem eſſe ejus, prænoſcere, dii erga homines mente qua ſint, quidque ſignificent; quemadmodumque ea procurentur, atque expientur. Idemque ſomniorum conjectionem definit hoc modo, *Eſſe vim cernentem & explanantem, quæ a diis hominibus ſignificentur in ſomniis.* Quid ergo? ad hæc mediocri opus eſt prudentia, an & ingenio præſtanti, & eruditione perfecta? Talem autem cognovimus neminem.

LXIV. Vide igitur, ne, etiam ſi divinationem tibi eſſe conceſſero, quod nunquam faciam, neminem tamen divinum reperire poſſimus. Qualis autem iſta mens eſt deorum, ſi neque ea nobis ſignificant in ſomnis, quæ ipſi per nos intelligamus: neque ea, quorum interpretes habere poſſimus? Similes enim ſunt dii, ſi ea nobis objiciunt, quorum nec ſcientiam, neque explanatorem habeamus, tanquam ſi Pœni aut Hiſpani in ſenatu noſtro loquerentur ſine interprete.

Jam vero quo pertinent obſcuritates & ænigmata ſomniorum? Intelligi enim a nobis dii velle debebant ea, quæ noſtra cauſa nos monerent. Quid? poeta nemo, nemo phyſicus obſcurus? * Ille vero [20] nimis etiam obſcurus Euphorion: at non Home-

* Lamb. *Illi vero. Nimis*

20 *Illi vero. Nimis etiam*] Sic reſtitui; nam vulgata lectio, *ille vero, nimis etiam,* ferri non poteſt. Sententia autem hujus, quam

Homerus: uter igitur melior? Valde Heraclitus obscurus: minime Democritus: num igitur conferendi? Mea causa me mones, quod non intelligam? Quid me igitur mones? Ut si quis medicus ægroto imperet, ut sumat

Terrigenam, herbigradam, domi-portam, sanguine cassam,

potius quam hominum more, cochleam [21], dicere. Nam Pacuvianus Amphio,

Quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera,
Capite brevi, cervice anguina, adspectu truci,
Eviscerata, inanima, cum animali sono,

cum dixisset obscurius, tum Attici respondent: Non intelligimus [22], nisi aperte dixeris. At ille uno verbo, Testudo. Non potueras hoc igitur a principio, citharista, dicere?

LXV. Defert ad conjectorem quidam, somniasse se, ovum pendere ex fascia lecti sui cubicularis. Est hoc in Chrysippi libro somnium. Respondit conjector, thesaurum defossum esse sub lecto. Fodit: invenit auri aliquantum, idque circumdatum argento. Misit conjectori quantulum visum est de argento. Tum ille, Nihilne, inquit, de vitello? Id enim ei ex ovo videbatur aurum declarasse; reliquum, argentum. Nemone igitur unquam alius ovum somniavit? Cur ergo hic nescio qui thesaurum solus invenit? Quam multi inopes, digni præsidio deorum, nullo somnio ad thesaurum reperiendum admonentur? Quam autem ob causam tam est obscure admonitus, ut ex ovo nasceretur thesauri similitudo, potius, quam aperte thesaurum quærere juberetur; sicut aperte Simonides vetitus

quam reposui, scripturæ, hæc est. Illi vero, scilicet obscuri sæpe sunt. Nimis etiam obscurus est Euphorio. *Lambinus*. De Euphorione quidem egerunt If. Casaubonus ad Suetonii Tiber. cap. 70. & G. J. Vossius de Poet. Græc. Porro ne quid dissimulem, me male habet *ille*, nec, ut opinor, Lambino placuit; quapropter vir ille doctus rescripsit, *Illi vero. Nimis etiam obscurus Euphorio*. Forsan scribendum; *immo vero nimis etiam obscurus Euphorion*. Davisius.

21 *Cochleam* dicere] Verbum ultimum inducebant viri insignes (Lambinus, & Davisius) quod ipsis importunum esse, structuramque turbare videretur. Mallem ego quidem reponere, *diceret*. Sed, cum infinitivi haud raro sedem occupent substantivorum, hic forte talis est, ut illum sollicitari non liceat. *Vvopkens*.

22 *Non intelligimus nisi aperte dixerit*] Versus est Pacuvianus: quare legendum *Non intelligimus; nisi si aperte dixeris*. Si modo sit opus, illius locutionis exempla suppeditabit Nic. Heinsius ad Ovidii Heroid. IV. 111. *Davisius*.

tus eſt navigare? Ergo obſcura ſomnia, minime conſentanea ſunt majeſtati deorum.

LXVI. Ad aperta & clara veniamus, quale eſt de illo interfecto a caupone Megaris [23]: quale de Simonide, qui ab eo, quem humarat, vetitus eſt navigare: quale etiam de Alexandro, (quod a te præteritum eſſe miror) qui, cum Ptolemæus [24], familiaris ejus, in prælio telo venenato ictus eſſet, eoque vulnere ſummo cum dolore moreretur, Alexander aſſidens ſomno eſt conſopitus. Tum ſecundum quietem viſus ei dicitur draco [25] is, quem mater Olympias alebat, radiculam ore ferre, & ſimul dicere, quo illa loci naſceretur; neque is longe aberat ab eo loco. Ejus autem eſſe vim tantam, ut Ptolemæum facile ſanaret. Cum Alexander experrectus narraſſet amicis ſomnium, emiſiſſe qui illam radiculam quærerent: qua inventa, & Ptolemæus ſanatus dicitur, & multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati.

Multa etiam ſunt a te ex hiſtoriis prolata ſomnia, matris Phalaridis [26], Cyri ſuperioris, matris Dionyſii, Pœni Hamilcaris, Annibalis, P. Decii: pervulgatum jam illud de præſule: Gracchi etiam, & recens Cæciliæ, Balearici filiæ, ſomnium. Sed hæc externa, ob eamque cauſam ignota nobis ſunt: nonnulla etiam ficta fortaſſe: quis enim auctor iſtorum? De noſtris ſomniis quid habemus dicere? Tu de [27] merſo me & equo ad ripam: ego de Mario cum faſcibus laureatis me in ſuum deduci jubente monumentum.

LXVII. Omnium ſomniorum, Quinte, una ratio eſt: quæ, per deos immortales, videamus ne noſtra ſuperſtitione & depravatione ſuperetur. Quem enim tu Marium viſum a me putas? Speciem, credo, ejus, & imaginem, ut Democrito vide-

23 *Megaris... de Simonide*] Vide lib. 1. cap. 27.

24. Qui, *cum Ptolemæus*] Pariſ. & Med. *quod cum Ptolemæus*. Sed & hæc & illa vocula prorſus ſupervacanea. Lege, *quod a te præteritum eſſe miror* quidem. *Cum Ptolemæus* &c. *Idem*.

25 *Draco is, quem mater Olympias alebat*] Iis in locis vulgo cicurabantur dracones, ut patet ex Luciano in Pſeudomanti. Vide ſis & ſſ. Caſaubonum ad Suetonii Tiberium cap. 72. *Idem*.

26 *Matris Phalaridis... jubente monumentum*] Hæc omnia fuſe narrantur lib. 1. cap. 20. 23. 24. 26. 28. *Idem*.

27 *De merſo me*] Victorius edidit *demerſo me*. Lambinus reſcribendum conjecit *de merſo me*. Forſan legendum *de emerſo me*; ut *emerſus e flumine* dicitur infra cap. 68. *Idem*.

videtur. Unde profectam imaginem? a corporibus enim solidis, & a certis figuris vult fluere imagines. Quod igitur Marii corpus erat? Ex eo, inquit, quod fuerat. Plena sunt imaginum omnia. Ista igitur me imago Marii in campum Atinatem persequebatur: nulla enim species cogitari potest, nisi pulsu imaginum. Quid ergo? istæ imagines ita nobis dicto audientes sunt, ut simul atque velimus, accurrant? Etiamne earum rerum, quæ nullæ sunt? Quæ est enim forma tam inusitata, tam nulla, quam non sibi ipse fingere animus possit? ut quæ nunquam vidimus, ea tamen informata habeamus, oppidorum situs, hominum figuras. Num igitur, cum aut muros Babylonis, aut Homeri faciem cogito, imago illorum me aliqua pellit? Omnia igitur, quæ volumus, nota nobis esse possunt. Nihil est enim, de quo cogitare nequeamus. Nullæ ergo imagines obrepunt in animos dormientium extrinsecus, nec omnino fluunt illæ: nec cognovi quemquam, qui majore auctoritate nihil diceret. Animorum est ea vis, eaque natura, ut vigeant vigilantes, nullo adventitio pulsu, sed suo motu, incredibili quadam celeritate. Hi cum sustinentur membris, & corpore [28], & sensibus, omnia certiora cernunt, cogitant, sentiunt. Cum autem hæc subtracta sunt desertusque est animus languore corporis, tum agitatur ipse per sese. Itaque in eo & formæ versantur, & actiones: & multa audiri, multa dici videntur. Hæc scilicet in imbecillo remissoque animo, multa omnibus modis confusa & variata versantur; maximeque reliquiæ earum rerum moventur in animis, & agitantur, de quibus vigilantes aut cogitavimus, aut egimus: ut mihi temporibus illis multum in animo Marius versabatur, recordanti, quam ille gravem suum casum magno animo, quam constanti tulisset. Hanc credo causam de illo somniandi fuisse.

LXVIII. Tibi autem de me cum sollicitudine cogitanti subito sum visus emersus e flumine. Inerant enim in utriusque nostrum animis vigilantium cogitationum vestigia. At quædam

28 *Et corpore*] *Membris* ante nominatis, *corporis* mentionem facere prorsus est supervacaneum: corpus enim constituunt & componunt membra. Cum igitur hæ voces in Reg. & Cantab. non compareant, eas omnino delendas censeo, *Idem*.

dam adjuncta sunt: ut mihi de monumento Marii; tibi, quod equus, in quo ego vehebar, mecum una demersus rursus apparuit. An tu censes ullam anum tam deliram futuram fuisse, ut somniis crederet, nisi ista casu nonnunquam, forte, temere concurrerent? Alexandro draco loqui visus est. Potest omnino hoc esse falsum, potest verum: sed utrum sit, non est mirabile: non enim audivit ille draconem loquentem, sed est visus audire; & quidem, quo majus sit, cum radicem ore teneret, locutus est. Sed nihil est magnum somnianti. Quæro autem, cur Alexandro tam illustre somnium, tam certum, nec huic eidem alias, nec multa cæteris. Mihi quidem, præter hoc Marianum, nihil sane, quod meminerim. Frustra igitur consumptæ tot noctes tam longa in ætate. Nunc quidem propter intermissionem forensis operæ, & lucubrationes detraxi, & meridiationes addidi, quibus uti antea non solebam: nec tam multum dormiens, ullo somnio sum admonitus, tantis præsertim de rebus: nec mihi magis usquam videor, quam cum aut in foro magistratus, aut in curia senatum video, somniare.

LXIX. Etenim (ex divisione hoc secundum est) quæ est continuatio conjunctioque naturæ, quam, ut dixi, vocant συμπάθειαν, ejusmodi, ut thesaurus ex ovo intelligi debeat? Nam medici ex quibusdam rebus & advenientes, & crescentes morbos intelligunt: nonnullas etiam valetudinis significationes; ut hoc ipsum, pleni [29] enectine simus, ex quodam genere somniorum intelligi posse dicunt. Thesaurus vero, & hereditas, & honos, & victoria, & multa generis ejusdem, qua cum somniis naturali cognatione junguntur? Dicitur quidam, cum in somniis complexu Venereo jungeretur, calculos ejecisse. Video sympathiam: visum est enim tale objectum dormienti, ut id, quod evenit, naturæ vis, non opinio erroris effecerit. Quæ igitur natura obtulit illam speciem Simonidi, a qua vetaretur navigare? aut quid naturæ copulatum habuit Alcibiadis, quod scribitur, somnium? qui, paulo ante interitum,

29 *Pleni enectine simus*] Legendum puto, *pleni enectine* fame *simus*: sic enim locutus est supra hoc eodem libro cap. 35. *Nunc vero inclusa in cavea, & fame enecta* &c. *Lambinus*.

ritum, visus est in somnis [30] amicæ esse amictus amiculo. Is cum esset projectus inhumatus, ab omnibusque desertus jaceret; amica corpus ejus texit suo pallio. Ergo hoc inerat in rebus futuris, & causas naturales habebat? An, & ut videretur, & ut eveniret, casus effecit?

LXX. Quid? ipsorum interpretum conjecturæ, nonne magis ingenia declarant eorum, quam vim consensumque naturæ? Cursor ad Olympia proficisci cogitans, visus est in somnis curru quadrigarum vehi. Mane ad conjectorem. At ille, Vinces, inquit. Id enim celeritas significat, & vis equorum. Post idem ad Antiphontem. Is autem, Vincare, inquit, necesse est. An non intelligis quatuor ante te cucurrisse? Ecce alius cursor (atque horum somniorum, & talium plenus est Chrysippi liber; plenus Antipatri: sed ad cursorem redeo) ad interpretem detulit, aquilam se in somnis visum esse factum. At ille, Vicisti: ista enim avi volat nulla vehementius. Huic equidem Antipho, Tu vero, inquit, te victum esse non vides? Ista enim avis insectans alias aves & agitans, semper ipsa postrema est.

Parere quædam matrona cupiens, dubitans essetne prægnans, visa est in quiete obsignatam habere naturam. * Retulit. Negavit eam, quoniam obsignata fuisset, concipere potuisse. At alter prægnantem esse dixit: nam inane obsignari nihil solere. Quæ est ista ars conjectoris, eludentis ingenio? An ea, quæ dixi, & innumerabilia, quæ collecta habent Stoici, quidquam significant, nisi acumen hominum, ex similitudine aliqua, conjecturam modo huc, modo illuc ducentium? Medici signa quædam habent ex venis & ex spiritu ægroti; multisque ex aliis futura præsentiunt. Gubernatores cum exsultantes loligines viderint, aut delphinos se in portum conjicientes, tempestatem significari putant. Hæc ratione explicari, & ad naturam facile revocari possunt: ea vero quæ paulo ante dixi, nullo modo.

30 *Visus est in somnis amicæ esse amictus amiculo*] Idem somnium memorant Valerius Maximus lib. 1. cap. 7. 9. extern. Plutarchus Tom. I. p. 213. & Suidas in Ἀλκιβιάδης. Historiam refert Hieronymus in Jovin. lib. 1. *Davisius*.

* Lamb. *Ad conjectorem retulit*.

LXXI. At enim obſervatio diuturna, (hæc enim pars una reſtat) notandis rebus fecit artem. An tandem ſomnia obſervari poſſunt? quonam modo? ſunt enim innumerabiles varietates. Nihil tam præpoſtere, tam incondite, tam monſtruoſe cogitari poteſt, quod non poſſimus ſomniare. Quo modo igitur hæc infinita & ſemper nova, aut memoria complecti, aut obſervando notare poſſumus? Aſtrologi motus errantium ſtellarum notaverunt: inventus eſt enim ordo in iis ſtellis, qui non putabatur. Cedo tandem qui ſit ordo, aut quæ concurſatio ſomniorum? Quo modo autem diſtingui poſſunt vera ſomnia a falſis, cum eadem & aliis aliter evadant, & iiſdem non ſemper eodem modo? Ut mihi mirum videatur, cum mendaci [31] homini, ne verum quidem dicenti credere ſoleamus, quo modo iſti, ſi ſomnium verum evaſit aliquod, non ex multis potius uni fidem derogant, quam ex uno innumerabilia confirmant.

Si igitur neque deus eſt effector ſomniorum, neque naturæ ſocietas ulla cum ſomnis, neque obſervatione inveniri potuit ſcientia; effectum eſt, ut nihil prorſus ſomniis tribuendum ſit: præſertim cum illi ipſi, qui ea vident, nihil divinent; ii qui interpretantur, conjecturam adhibeant, non naturam: caſus autem innumerabilibus pæne ſeculis in omnibus plura mirabilia, quam in ſomniorum viſis effecerit: neque conjectura, quæ in varias partes duci poteſt, nonnunquam etiam in contrarias, quidquam ſit incertius.

LXXII. Explodatur hæc quoque ſomniorum divinatio pariter cum cæteris. Nam, ut vere loquamur, ſuperſtitio fuſa per gentes, oppreſſit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit. Quod & in iis libris dictum eſt, qui ſunt de natura deorum; & hac diſputatione id maxime egimus. Multum enim & nobiſmet ipſis, & noſtris profuturi videbamur, ſi eam funditus ſuſtuliſſemus. Nec vero (id enim dili-

31 *Cum mendaci homini, ne verum quidem dicenti credere ſoleamus*] Senſum flagitare putabat Daviſius, ut legatur, *credere non ſoleamus*. Mihi quidem negativum, incolumi ſenſu, deſiderari poſſe videtur: quis enim illud requireret, ſi ſcriptum videremus, *cum mendaci homini ne, tum quidem credere ſoleamus, cum verum dicit?* quo tamen eodem, ſi recte videam, iſta lectio, quam jam præ oculis habemus, recidit. *Vvopkenſ.*

diligenter intelligi volo) ſuperſtitione tollenda, religio tollitur. Nam & majorum inſtituta tueri ſacris cæremoniiſque retinendis, ſapientis eſt: & eſſe præſtantem aliquam, æternamque naturam, & eam ſuſpiciendam, admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cæleſtium cogit confiteri. Quamobrem, ut religio propaganda etiam eſt juncta cum cognitione naturæ, ſic ſuperſtitionis ſtirpes omnes ejiciendæ. Inſtat enim & urget, &, quo te cumque verteris perſequitur; ſive tu vatem, ſive tu omen audieris; ſive immolaris, ſive avem adſpexeris; ſi Chaldæum, ſi haruſpicem videris; ſi fulſerit, ſi tonuerit, ſi tactum aliquid erit de cælo, ſi oſtenti ſimile natum, factumve quippiam; quorum neceſſe eſt plerumque aliquid eveniat; ut nunquam liceat quieta mente conſiſtere.

Perſugium videtur omnium laborum, & ſollicitudinum eſſe ſomnus. At ex eo ipſo plurimæ curæ metuſque naſcuntur: qui quidem ipſi per ſe minus valerent, & magis contemnerentur, niſi ſomniorum patrocinium philoſophi ſuſcepiſſent, nec ii quidem contemptiſſimi, ſed in primis acuti, & conſequentia, & repugnantia videntes; qui prope jam abſoluti & perfecti putantur. Quorum licentiæ niſi Carneades reſtitiſſet, haud ſcio, an ſoli jam philoſophi judicarentur: cum quibus omnis fere nobis diſceptatio contentioque eſt; non quod eos maxime contemnamus, ſed quod videntur acutiſſime ſententias ſuas, prudentiſſimeque defendere. Cum autem proprium ſit Academiæ, judicium ſuum nullum interponere, ea probare quæ ſimillima veri videantur, conſerre cauſas, & quid in quamque ſententiam dici poſſit, expromere; nulla adhibita ſua auctoritate, judicium audientium relinquere integrum ac liberum: tenebimus hanc conſuetudinem a Socrate traditam; eaque inter nos, ſi tibi, Quinte frater, placebit, quam ſæpiſſime utemur. Mihi vero, inquit ille, nihil poteſt eſſe jucundius. Quæ cum eſſent dicta, ſurreximus.

DE FATO.

Principium deest.

ARGUMENTUM.

PErscriptis jam tribus a Cicerone de Natura Deorum libris, absolutaque de Divinatione duobus libris disputatione, nunc quæstionem de Fato adjungit, ut totus ille philosophiæ locus pertractatus sit. Pertinet autem, ut ait, ad partem illam philosophiæ, quæ hominum mores studiaque conformat. Erant autem duæ apud Philosophos affines & propinquæ scholæ, de quibus magnis contentionibus altercabantur: una περὶ εἱμαρμένης, *id est de Fato, quæ ad mores pertinebat: altera* περὶ δυνατῶν, *id est de eo quod fieri potest, aut non potest, quæ ad dialecticam spectabat. Utraque quæstio eum ad scribendum impulit. Est autem hæc continuatio sine principio, ut totus liber lacerus & mutilus & laciniosus passim est. Neque enim mihi persuadere possim,* quia *primordium libri apud Ciceronem esse. Suspicionem auget, quod in libris scriptis sic reperi:* Quia pertinet ad mores, quos ἤθη illi vocant: *ut aliquid antecessisse verisimile sit. Nam ad absolutionem sententiæ aliquid deest: verbi gratia:* De fato nobis scribendum est, quia pertinet ad mores. *Pertinet autem hæc quæstio ad mores, quia, si fatum est, cum in nostra potestate nihil relinquatur, nullus vel laudi, vel vituperationi locus erit: neque nobis ulla libera susceptio, aut voluntarium officium superit, nulla præceptio proderit.* TURNEBUS.

I. UIA pertinet ad mores, quos ἦθος illi vocant, nos eam partem philosophiæ, de moribus appellare solemus: sed decet augentem linguam Latinam, nominare moralem [1]: explicandaque vis [2] est ratioque enuntiationum, quæ Græci ἀξιώματα [3] vocant: quæ de re futura cum aliquid dicunt, deque eo, quod possit fieri, aut non possit, quam vim habeant, obscura quæstio est, quam περὶ δυνατῶν philosophi appellant; totaque est λογική [4], quam rationem disserendi voco. Quod autem [5] in aliis libris feci, qui sunt de natura deorum, itemque in his quos de divinatione edidi, ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio,

1 *Moralem*] Nomen istud, ut novum & insolens, reformidat: tum enim primum novabatur. *Turnebus*.

2 *Vis ratioque enuntiationum*] Qua de re parum inter Chrysippum & Diodorum conveniebat, quemadmodum Cicero scribit in Epistola quadam ad Varronem lib. IX. Fam. Epist. IV. Περὶ δυνατῶν *me scito* κατὰ Διόδωρον κρίνειν: *quapropter si venturus es, scito necesse esse te venire: sin autem non es*, τῶν ἀδυνάτων *est te venire. Nunc vide, utra te* κρίσις *magis delectet*. Χρυσιππείαne, *an hæc quam noster Diodorus non concoquebat. Sed de his etiam rebus, otiosi cum erimus, loquemur. Hoc etiam* κατὰ Χρύσιππον δυνατόν *est*. Locus autem intelligendus est de iis enuntiationibus, quæ de futuro aliquid, cujus necessarius eventus esse non videtur, pronunciant, ut *Sedebis, non sedebis*: & in proximo exemplo, *De iis rebus loquemur*: ut, si quis locum propius perspiciat, is statim nihil a Cicerone commissum intelligat. De iis autem pronuntiatis sic judicabat Diodorus, ut id solum fieri posse diceret, quod aut esset verum, aut futurum esset verum, ut, quicquid futurum esset, id fieri necesse esset: quicquid futurum non esset, id fieri non posset; Chrysippus autem ab eo dissentiens, quæ non essent futura, posse tamen fieri dicebat. *Idem*.

3 Ἀξιώματα] Vocabulum Stoicum. Stoicorum enim dialectica Ciceronis ætate florebat. *Idem*.

4 *Totaque* est λογική] Id est, tota istius περὶ δυνατῶν quæstionis explicatio dialectica quædam est. Locus etiam iste ab Aristotele in libro de Interpretatione tractatur. Idcirco autem istam περὶ δυνατῶν controversiam adhibet, quia ad fati confirmationem sumptum Stoicorum erat, Omnem enuntiationem veram vel falsam esse: quod in futuro non ita enucleate dilucideque cernitur. *Idem*.

5 *Quod autem*] Disputatio ista Academica est contra propositum, instituto Arcesilæ, ut in Tusculanis disputationibus. Academici autem certamen cum Stoicis potissimum susceperant, quorum illa tempestate philosophia percrebruerat. Hoc libro Cicero contra eos disserit, & firmamenta, quibus fatum esse probant, evertit. Nec vero ejus in eam partem accipienda argumentatio est, quasi fatum non esse affirmet, (quod quidem longe ab Academicorum dubitatione abest) verum ex iis, quæ Stoici afferunt, ad liquidum non probari. Quod si quis isti sermoni interfuisset Stoicæ rationis peritus, & æmulus, disputationem instituisset, ut fecit in libris de Natura deorum, & de Divinatione: in quibus perpetua in utramque partem explicatur oratio. Hirtius autem, qui quæstionem ad quam audiret posuerat, institutionis alioqui Stoicæ non admodum fortasse ignarus, aut certe non æmulus, ex fatali calamitate, ut opinor, reipub. Romanæ in eum sermonem devenerat, ut diceret fato geri & evenire propemodum omnia sibi videri, & de fato quid Cicero sentiret, audire se velle. Contra quam sententiam Cicero disputat. *Idem*.

ratio, quo facilius id a quoque probaretur, quod cuique maxime probabile videretur; id in hac disputatione de fato, casus quidam, ne facerem impedivit. Nam cum essem in Puteolano [6], Hirtiusque [7] noster, consul designatus, iisdem in locis, vir nobis amicissimus, & iis studiis, in quibus nos a pueritia viximus, deditus; multum una eramus; maxime nos quidem exquirentes ea consilia, quæ ad pacem, & ad concordiam civium pertinerent. Cum enim omnes post interitum Cæsaris novarum perturbationum causæ quæri viderentur, hisque esse occurrendum putaremus, omnis fere nostra in iis deliberationibus consumebatur oratio: idque & sæpe alias, & quodam liberiore, quam solebat, & magis vacuo ab interventoribus die, cum ad me ille venisset, primo ea, quæ erant quotidiana, & quasi legitima nobis, de pace, & de otio.

II. Quibus actis, Quid ergo? inquit ille, quoniam oratorias exercitationes non tu quidem, ut spero, reliquisti, sed certe philosophiam illis antepofuisti, possumne aliquid audire [8]? Tu vero, inquam, vel audire [9], vel dicere. Nec enim (quod recte existimas) oratoria illa studia deserui, quibus etiam te incendi, quanquam flagrantissimum, acceperam: nec ea, quæ nunc tracto, minuunt, sed augent potius illam facultatem. Nam cum hoc genere philosophiæ [10], quod nos sequimur, magnam habet orator societatem. Subtilitatem enim ab Academia mutuatur, & ei vicissim reddit ubertatem orationis, & ornamenta dicendi. Quamobrem, inquam, quoniam utriusque studii nostra possessio est, hodie, utro frui malis, optio sit tua.

Tum

6 *In Puteolano*] Id est fundo, quem in agro Puteolano habebam. Hæc igitur disputatio in Puteolano Ciceronis habita est, ut in Varronis Cumano Academicæ disputationes disceptatæ. Alias etiam villas, Formianam, Pompejanam, Tusculanam, possidebat. *Idem*.

7 *Hirtiusque*] Consul designatus cum Pansa. Ejus literatura *t*, non *c* postulat, cum ab *hirto* deducatur. Proinde a Dione & Xiphilino Ἵρτιος vocatur. *Idem*.

8 *Aliquid audire*] Aliquam tuam scholam & disputationem de philosophia. Auditor Hirtius erat, non disputator. *Idem*.

9 *Vel audire*] Ut lubet, vel me dicentem audies, vel ipse declamabis: nam apud eum Hirtius & Pansa declamitabant, quos grandes prætextatos appellare solebat. Hirtium & Dolabellam discipulos suos in epistola quadam ad Papirium Pætum vocat, IX. Fam. 16. *Idem*.

10 *Genere philosophiæ*] Cum Academia nova, quæ contra id, quod se quisque sentire dicat, disputaret. Lib. III. de Orat. cap. 19. tradit, oratori conjunctissimam esse philosophiam Academicam & Aristoteleam, reliquas ei non necessarias. *Idem*

Tum Hirtius, Gratissimum, inquit, & tuorum omnium simile. Nihil enim unquam abnuit meo studio voluntas tua. Sed quoniam rhetorica [11] mihi vestra sat nota, teque in iis & audivimus sæpe, & audiemus; atque hanc Academicorum, contra propositum [12] disputandi, consuetudinem indicant te suscepisse Tusculanæ [13] disputationes; ponere aliquid, ad quod audiam, si tibi non est molestum, volo.

An mihi, inquam, potest quidquam esse molestum, quod tibi gratum futurum sit? Sed ita audies, ut Romanum hominem [14], ut timide ingredientem ad hoc genus disputandi, ut longo intervallo hæc studia repetentem.

Ita, inquit, audiam te disputantem, ut ea lego quæ scripsisti: proinde ordire [15].

III. *** Consideramus hic *** [16] quorum in aliis, ut in Antipatro [17] poeta, ut in brumali die [18] natis, ut in simul ægro-

11 *Rhetorica*] In neutro genere, ut *dialectica*, *mathematica*, *physica* dicere sæpenumero solet. *Idem*.

12 *Contra propositum*] Nam cum certi nihil esse dicerent Academici, quod aut sensibus, aut animo percipi posset, aspernarenturque omne animi & sensuum judicium, reliquum erat, ut contra aliorum sententias disputarent. Ita sublata perceptione, contra propositum jam inde ab Arcesila disputare cœperant. *Idem*.

13 *Tusculanæ*] *Disputationes* potius quam *quæstiones* inscribi debent, ut ex hoc loco perspici potest, vel *Tusculanæ* potius simpliciter, ut a Nonio semper citantur. *Idem*.

14 *Romanum hominem*] Nam Græcorum philosophorum istæ disputationes erant, non hominum Romanorum, qui non tantopere in philosophia versati erant. *Idem*.

15 *Proinde ordire*] Plurima hic deesse nemo non videt. Abest enim propositio Hirtii, multaque Stoicorum firmamenta fatum probantia: quæ tamen, quia hodieque apud Plutarchum extant, plurimumque Ciceroni sic trunco ac mutilo lucis afferre possunt, a me subscribentur. *In adversario genere*, inquit, *prima ac præcipua captio videtur esse*, Nihil absque causa fieri, sed omnia fieri antecedentibus causis: *altera*, Mundum administrari natura, ipsum sibi consentientem & conspirantem: *tertia*, *testimonium quoddam potius videtur esse. Advocatur enim primum divinatio, quæ cum hominum opinione floret, tum in deo opt. max. re vera viget. Deinde in iis quæ eveniunt, sapientum hominum approbatio, omnia recte ordineque fieri prædicantium. Postremo pervagatum illud*, Pronunciatum omne verum vel falsum esse. Ista enim capita disputationis Stoicæ erant, quæ, ut captiosa Plutarchus censet, ita a Cicerone hic refutantur. *Idem*.

16 *Consideramus hic *** quorum*] Sic edidimus, ut indicaretur hiatus: aliquid enim manifesto deest. *Davisius*. Hic autem Cicero refutat Stoicorum argumentum, quod ex continuatione conjunctioneque naturæ, quam συμπάθειαν vocant, ad fatum probandum afferebant: sic enim ratiocinabantur. Partes omnes mundi naturali cognatione teneri inter se conspirantes & copulatas: proinde seriem esse causarum perpetuam, vi sese quoquoversum diffundente & propagante quadam contagione, & parte parti respondente. Cicero lib. II. de Divin. cap. 15. *Quo ex conjunctione naturæ, & quasi concentu atque consensu, quam συμπάθειαν Græci appellant, convenire potest fissum jecoris cum lucello meo?* Turnebus.

17 *Antipatro*] Plinius lib. VII. cap. 51. *Antipater, inquit, Sidonius poeta omnibus annis, uno die tantum natali, corripiebatur febre, & ea consumptus est satis longa senecta*.

ægrotantibus [19] fratribus, ut in urina [20], ut in unguibus, ut in reliquis ejusmodi, naturæ contagio [21] valet: quam ego non tollo: vis est nulla fatalis. In aliis autem fortuita quædam esse possunt, ut in illo naufrago [22], ut in Icadio [23], ut in Daphita [24]. Quædam etiam Posidonius (pace magistri dixerim) comminisci videtur. Sunt, inquam, quidem absurda. Quid enim? Si Daphitæ fatum fuit ex equo [25] cadere, atque ita perire; ex hocne equo, qui, cum equus non esset, nomen habebat alienum? Aut Philippus hasce in capulo quadri-

gulas

fle. Idem scribitur a Valerio lib. I. cap. 8. 16. extern. *Idem*.

18 *In brumali die*] Id est bruma. Plinius lib. II. cap. 41. *Floret ipso brumali die suspensa in tectis arentis herba pulegii*. Cicero de Divin. lib. II. cap. 14. *Pulegium aridum florescere ipso brumali die*, quod ad contagionem refert. Exemplum autem quoddam a Posidonio fuerat inductum, in quo valuisse dicebat vim sideris brumalis, eventu in illis hominibus testatam, quod, verbi gratia, frigidis morbis obnoxii fuerint. *Idem*.

19 *Ægrotantibus fratribus*] *Quos idcirco*, ut Augustinus lib. V. de Civitate Dei cap. 2. 5. scribit, *geminos esse conjecerat Hippocrates, cum id ex constitutione & affectione cæli fataliter evenire Posidonius postea interpretatus sit*. In libris, ut reor, de Natura. *Idem*.

20 *In urina, in unguibus*] Medici ex quibusdam rebus & advenientes & ingravescentes morbos provident, & multas valetudinis secundæ & adversæ significationes & indicia habent, ex urinaque multa augurantur: interdum & ex unguibus. Quæ signa Stoici ad consensionem naturæ seriemque caussarum consertarum referenda censebant. *Idem*.

21 *Naturæ contagio*] Συμπάθεια, id est, consensio convenientiaque naturæ, quæ tanquam contactu afficit. Negat autem ex contagione naturæ, quam concedit, fatum probari. *Idem*.

22 *Ut in illo naufrago*] Posidonius homini cuidam, cujus nomen ne ipse quidem posuerat, prædictum fuisse scripserat, in aqua esse pereundum: is autem naufragium fecit, & in rivo postea lapsus est: aut, cum ei naufragium letumque ex aqua prædictum esset, in rivo lapsus est. *Idem*.

23 *Icadio*] Icadium *sævissimum piratam* fuisse (piratam enim hic prædonem Cicero vocat) scribit Sext. Pompejus. Ε'ππίτην, nisi fallor, Suidas vocat. In ejus crura ex spelunca saxum incidit, cum tamen vitam maritimam coleret. *Idem*.

24 *Daphita*] Qui, ut Valerius scribit lib. I. cap. 8. 8. extern. *cum professione sophista esset, Delphis ad ludibrium Apollinem consuluit, an equum invenire posset, quem omnino nullum habebat: edita sors est, eum inventurum equum, quo periret. Itaque cum in regem Attalum incidisset, sæpe contumeliis a se lacessitum, ejus jussu de saxa, cui nomen EQUO erat, præcipitatus est*. Strabo, lib. XIV. grammaticum fuisse scribit, & in monte Thorace suffixum in cruce, quod reges Pergami contumeliosis versibus incesseret: unde natum proverbium, *Cave Thoracem*. Idem. Tradit λόγιον ἐκπεσεῖν αὐτῷ Δαφίτᾳ λέγεσθαι, φυλάττεσθαι τὸν Θώρακα, *oraculum Daphitæ datum fuisse, ut Thoracem caveret*. Non igitur de *proverbio nato* locutus est doctissimus geographus, ut male statuit Adr. Turnebus. Pari quoque modo, ne *Aldum* nepotem memorem, lapsus est vir summus Des. Erasmus Adag. p. 207. ed. Hanov. *Davisius*.

25 *Ex equo*] In monte Thorace, qui Magnesiæ impendet, saxum, unde præcipitatus est Daphitas, equus vocabatur. Daphidas a Valerio & Suida vocatur. *Turnebus*. Res plane diversas miscet eruditissimus Turnebus: nam cum Strabo lib. XIV. ἐπ' ὄρει καλουμένῳ Θώρακι σταυρωθῆναι Δαφίταν τὸν γραμματικὸν tradiderit: noster, Valerius Maximus lib. I. cap. 8. 8. extern. Hesychius Milesius & Suidas, eum *de saxo, cui nomen erat equi præcipitatum* scribunt. Non igitur narrationes, quæ sibi repugnant, in unum fuere confundendæ: nam in monte Thorace saxum quod equus vocabatur, fuisse nullo modo constat. *Davisius*.

gulas [26] vitare monebatur? quasi vero capulo sit occisus. Quid autem magnum, & naufragum illum sine nomine [27] in rivo esse lapsum? quanquam huic quidem hic scribit prædictum in aqua esse pereundum. Ne hercule Icadii quidem prædonis video fatum ullum: nihil enim scribit ei prædictum. Quid mirum igitur, ex spelunca saxum in crura ejus incidisse? Puto enim, etiam si Icadius tum in spelunca non fuisset, saxum tamen illud casurum fuisse. Nam aut nihil est omnino fortuitum, aut hoc ipsum potuit evenire fortuna. Quæro igitur, (atque hoc late patebit) si fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis esset, & forte, temere, casu, aut pleraque fierent, aut omnia: num aliter, ac nunc eveniunt, evenirent? Quid ergo attinet inculcare fatum, cum sine fato ratio omnium rerum ad naturam fortunamve referatur?

IV. Sed Posidonium, sicut æquum est, cum bona gratia dimittamus: ad Chrysippi laqueos [28] revertamur. Cui primum quidem de ipsa rerum contagione respondeamus: reliqua postea persequemur. Inter locorum naturas quantum intersit, videmus: alios esse salubres, alios pestilentes: in aliis esse pituitosos & quasi redundantes, in aliis exsiccatos atque aridos: multaque sunt alia, quæ inter locum & locum plurimum differunt. Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis, itaque pingues Thebani & valentes. Tamen neque illud tenue cælum [29] efficiet, ut aut Zenonem quis, aut Arcesilam, aut Theophrastum audiat; ne-

26 *Quadrigulas*] *Apollinis oraculo*, ut Valerius ait lib. 1. cap. 8. 9. *Philippus rex Macedonum monitus fuit, ut a quadrigæ violentia salutem suam custodiret. Itaque toto regno currus disjungi jusserat, eumque locum, qui in Bœotia Quadriga dicitur, semper vitavit: nec tamen denuntiatum periculum evitare potuit. Nam Pausanias in capulo gladii, quo eum occidit, quadrigam habuit cælatam.* Hic autem quadrigæ non solum quatuor equos sine curru junctos significant, sed etiam currum, ut Valerius interpretatur. Oraculi verba fuerunt, ἅρμα φυλάττεσθαι. Locus, quem Philippus in Bœotia semper vitabat, Ἅρμα dicebatur. *Turn.*

27 *Sine nomine*] Cujus nomen Posidonius non posuit, ut fortasse commentitium sit ad libidinem exemplum. Quanquam ex eo fatum nihil affirmatur. Nam cum esset prædictum eum in aqua periturum, fortem fides non est secuta, cum in rivo tantum sit lapsus; immo vero, quod naufragus enataverit, in aqua perire non debuit. *Idem.*

28 *Laqueos*] Captiosas & fallaces conclusiones: nam hæc argumenta libello de Fato Plutarchus etiam συνημμένα vocat. *Idem.*

29 *Neque illud tenue cælum*] Quamvis sit egregia habilitas ingeniorum in tenui cælo ad percipiendam philosophiam, & ex eo proclivitas & propensio, loci tamen contagio a voluntate disjuncta est hunc vel illum audiendi. *Idem.*

que craſſum [30], ut Nemea [31] potius, quam Iſthmo victoriam petat.

Disjunge longius. Quid enim loci natura afferre poteſt, ut in porticu Pompeji [32] potius, quam in campo [33] ambulemus? tecum, quam cum alio? Idibus potius; quam Kalendis? Ut igitur ad quaſdam res natura loci pertinet aliquid, ad quaſdam autem nihil: ſic affectio aſtrorum [34] valeat, ſi vis, ad quaſdam res; ad omnes certe non valebit. At enim quoniam in naturis hominum diſſimilitudines ſunt, ut alios dulcia, alios ſubamara delectent; alii libidinoſi, alii iracundi, aut crudeles, aut ſuperbi ſint; alii talibus vitiis abhorreant: quoniam igitur, inquit, tantum natura a natura diſtat, quid mirum eſt, has diſſimilitudines ex differentibus cauſis eſſe factas?

V. Hæc differens, qua de re agatur [35], & in quo cauſa conſiſtat, non videt. Non enim, ſi alii ad alia propenſiores ſint propter cauſas naturales & antecedentes, idcirco etiam noſtrarum voluntatum atque appetitionum ſunt cauſæ naturales & antecedentes: nam nihil eſſet in noſtra poteſtate [36], ſi res ita ſe haberet. Nunc vero fatemur, acuti hebeteſne, valentes imbecilline ſimus, non eſſe id in nobis. Qui autem ex eo cogi putat, ne ut ſedeamus quidem, aut ambulemus, voluntatis eſſe; is non videt, quæ quamque rem res conſequatur. Ut enim & ingenioſi & tardi ita naſcantur antecedentibus

30 *Neque craſſum*] In quo valentiores naſci ſolent, & ad certationes corporum aptiores. *Idem*.

31 *Nemea*] Ex Nemeæo potius quam Iſthmio certamine. *Idem*.

32 *In porticu Pompeji*] Ambulationem juxta theatrum ſuum Pompejus centum columnis ſuſpenſam extruxerat, amœnam proceritate affitsrum plstsnorum. *Propertius*, lib. II. El. XXIII. 45. *Ovidius*, de Arte amandi, I. 67. *Idem*.

33 *In campa*] Martio. *Idem*.

34 *Affectia aſtrorum*] Ποία σχέσις & διάθεσις, Id eſt, eorum inter ſe comparatio ex aſpectu triquetro, quadrato, ſextili, aliiſque id genus, quæ ſolent msthematici in genituris obſervare. *Idem*.

35 *Qua de re agatur*] Non videt quid agatur, & de quo dubitetur Chryſippus. Quæritur enim, an ut multarum rerum naturales cauſæ ſunt, ſic noſtrarum appetitionum cauſæ ſint antecedentes & naturales. *Idem*.

36 *In noſtra poteſtate*] Quod ἐφ' ἡμῖν Stoici appellant. Libertatem enim voluntatis Fati aſſertores nonnulli, ut Chryſippus & plerique Stoici, retinent, qui fatum non ex neceſſariis & principalibus cauſis nectunt, ſed ex iis quæ præcurſionem afferunt, & anteceſſionem, ſine quibus res effici non poſſit. Cicero Topic. cap. 15. *Alia autem præcurſionem quandam adhibent ad efficiendum, & quædam afferunt per ſe adiumenta, etſi non neceſſaria: ut amori congreſſio cauſam attulerit, amor flagitio*. Ex hoc genere cauſarum ex æternitate pendentium, fatum a Stoicis nectitur. *Idem*.

bus caufis, itemque valentes & imbecilli: non fequitur tamen, ut etiam federe, & ambulare, & rem agere aliquam, principalibus caufis definitum & conftitutum fit.

Stilponem, Megareum philofophum, acutum fane hominem & probatum temporibus illis accepimus. Hunc fcribunt ipfius familiares & ebriofum & mulierofum fuiffe: neque hoc fcribunt vituperantes, fed potius ad laudem. Vitiofam enim naturam ab eo fic edomitam & compreffam effe doctrina, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis veftigium viderit. Quid? Socratem [37] nonne legimus quemadmodum notarit Zopyrus, phyfiognomon, qui fe profitebatur hominum mores naturafque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernofcere? Stupidum effe Socratem dixit, & bardum, quod jugula [38] concava non haberet: obftructas eas partes & obturatas effe dicebat. Addidit etiam, mulierofum [39]: in quo Alcibiades cachinnum dicitur fuftuliffe. Sed hæc ex naturalibus caufis vitia nafci poffunt: exftirpari autem & funditus tolli, ut is ipfe, qui ad ea propenfus fuerit, a tantis vitiis avocetur, non eft id pofitum in naturalibus caufis, fed in voluntate, ftudio, difciplina: quæ tolluntur omnia, fi vis & natura fati ex divinationis [40] ratione firmabitur.

VI. Etenim fi eft divinatio, qualibufnam a perceptis artis proficifcitur? Percepta appello, quæ dicuntur Græce θεωρήματα. Non enim credo nullo percepto aut cæteros artifices verfari in fuo munere, aut eos, qui divinatione utantur, futura præ-

37 *Socratem*] Idem a Cicerone IV. Tufculana cap. 37. fcribitur. *Idem*.

38 *Jugula*] Duo enim homini utrinque folent ad claves effe jugula fere cava: jugula in alio genere animantium non funt. Plinius XI. 43. (edit. Hard. n. xcviii.) *Terreftrium folus homo biper. Uni juguli, humeri, cæteris armi*. Idem.

39 *Mulierofum*] Cicero femel de Legibus, *virgeta* nominavit: femel, ad Q. Fratrem, filvam *viridicatam*: femel, de Fato, *mulierofum*: femel, in Tufculanis, *multiplicabilem*: femel in Parad. *mutilum*: femel, in Epift. *fportellas*, & *artolaganos*: femel, ad Att. *diaticulam*: femel, de Univerf. *dividuum*: femel, in Verr. *divaricari*: femel, de Nat. Deor. *vaticulas*. Edm. Campianus, in aureolo (fic videtur) *de Imitatione* Tractatu, cap. 5.

40 *Ex divinationis ratione*] Alterum caput, quo Stoici confirmant fatum: Divinatio eft, igitur fatum: iftudque reciprocatur, Si fatum eft, effe divinatio videtur. Hujus firmamenti Plutarchus in libello de Fato meminit: locus autem tam de oraculis deorum, quam de mathematicorum prædictionibus intelligi debet. Divinatio autem conftat ex earum caufarum notatione & obfervatione, quarum ferie fatum connectitur. *Turnebus*.

dicere . Sint igitur astrologorum percepta [41] hujusmodi : Si quis, verbi causa, oriente Canicula natus est, is in mari non morietur . Vigila , Chrysippe , ne tuam causam , in qua tibi cum Diodoro [42] , valente dialectico , magna luctatio est , deseras . Si enim est verum , quod ita connectitur , Si quis oriente Canicula natus est , in mari non morietur : illud quoque verum est , Si Fabius [43] oriente Canicula natus est , Fabius in mari non morietur . Pugnant ergo hæc inter se , Fabium oriente Canicula natum esse , & Fabium in mari moriturum : & quoniam certum in Fabio ponitur , ortum esse eum Canicula oriente , hæc quoque pugnant , & esse Fabium , & in mari esse moriturum . Ergo hæc quoque conjunctio est ex repugnantibus, *Et est Fabius, & in mari Fabius morietur:* quod ut propositum est , ne fieri quidem potest . Ergo illud , Morietur in mari Fabius , ex eo genere est , quod fieri non potest . Omne igitur [44] , quod falsum dicitur in futuro , id fieri non potest .

VII. At hoc , Chrysippe , minime vis : maximeque tibi de hoc ipso cum Diodoro certamen est . Ille enim [45] id solum fieri

41 *Percepta*] Eo ipso verbo eodem omnino modo utitur Cicero lib. II. Acad. Quæst. non quod *percepta* confundi putem cum *perceptione*, de qua illic omnis habetur oratio, quæque ad physicos omnino pertinet (agitur enim de sensuum & animi perceptione) sed quod *percepto* , mathematicorum plane verbo, eo forte alludens, utitur. Hæc enim ille post multa alia: *Hoc igitur modo potius erat ab his postulandum , ut hoc unum saltem, percipi nihil posse , perceptum esse dicerent* . Et quia Cicero statim dixit : *Potius erat ab his postulandum* , animadvertendum id est, perceptum nihil aliud esse, nisi quod Aristoteles lib. I. Analyt. posteriorum αἰτήματα & ὑποθέσεις appellat: petitio enim & suppositio demonstrari possunt: similiter & percepta. Illa ab his, quos docere volumus, stipulamur in primis ; & ea quasi fundamenta jacimus. *Ach. Statius.*

42 *Cum Diodoro*] Diodorus is fuit , qui cognomento Cronus appellatus est , philosophus ex Megarica schola eorum , qui ἐριστικοὶ & διαλεκτικοὶ dicebantur : quem sic admiratus est Callimachus , ut in epigrammate scripserit, Αὐτὸς ὁ Μῶμος Ἔγραφεν ἐν τοίχοις, ὁ Κρόνος ἐστὶ σοφός. Hujus Diodori dialectica imbutus Arcesilas fuerat , quod declarat Sillographi παρῳδία, Πρόσθε Πλάτων, ὄπιθεν Πύρρων, μέσσος Διόδωρος , vixitque ante Arcesilam & Chrysippum . Hoc autem loco explicat rationem enuntiationum , quæ de re futura , deque eo quod fieri possit , aut non possit , aliquid dicunt , quod in proœmio pollicitus est . *Turnebus .*

43 *Fabius*] Nomen *Fabii* in exemplis hominum liberorum usurpare veteres solebant . Cicero lib. II. de Divin. cap. 34. *Q. Fabi, te mihi in auspicio esse volo* . In Topicis cap. 3 *Si ita Fabiæ pecunia legata est a viro* . In servis *Manium* dicere solebant . Cato de Re Rustica cap. 141. *Cum divis volentibus , quodque bene eveniat , Mando tibi , Mani.* Idem .

44 *Omne igitur quod falsum*] Quod Diodoro videtur, Chrysippo refragante , sed posita divinatione, confirmatoque fato, ista se necessitate constringente, & in has angustias se redigente. *Idem .*

45 *Ille enim id solum*] Hac in re quam secum pugnet Chrysippus , nec se explicare queat , Plutarchus exponit in libro de Repugnan-

fieri posse dicit, quod aut sit verum, aut futurum sit verum: &, quidquid futurum sit, id dicit fieri necesse esse; &, quidquid non sit futurum, id negat fieri posse. Tu, & quæ non sint futura, posse fieri dicis, ut frangi hanc gemmam, etiam si id nunquam futurum sit: neque necesse fuisse Cypselum [46] regnare Corinthi, quanquam id millesimo ante anno Apollinis oraculo editum esset. At si ista comprobabis * divina prædicta; & quæ falsa in futuris dicentur, in his habemus [47], ut ea fieri non possint: ut, si dicatur [48], Africanum Carthagine [49] potiturum: &, si vere dicatur de futuro, idque ita futurum sit, dicas esse necessarium. Quæ est tota Diodori vobis inimica sententia. Etenim si illud vere connectitur, Si oriente Canicula natus es, in mari non morieris; primumque, quod est in connexo, Natus es oriente Canicula, necessarium est: (omnia enim vera in præteritis, necessaria sunt, ut Chrysippo placet, dissentienti a magistro [50] Cleanthe, quia sunt immutabilia, nec in falsum e vero præterita possunt converti) si igitur quod primum in connexo est, necessarium est: fit etiam quod consequitur, necessarium. Quanquam hoc Chrysippo non videtur valere in omnibus. Sed tamen, si naturalis

pugnantiis Stoicis. Ο' δὲ τῶν δυνατῶν λόγ@ &c. *Idem*.

46 *Cypselum*] De quo Herodotus, lib. v. cap. 92.

* Lamb. *divina prædicta: tum & ea, quæ falsa in futuris dicuntur, in iis habere cogeris, quæ fieri non possunt, ut si dicatur Fabium in mari periturum: & contra, quod vere dicatur de futuro, quodque ita futurum sit, ut Africanum Carthagine potiturum, dicere cogeris esse necessarium.*

47 *In his habemus*] Jam enim id confecimus. *Turnebus*. Sed vide præcedentem Lambini lectionem.

48 *Ut si dicatur*] Si quæ falsa in futuris dicuntur, fieri nnn possunt, & si prædicta comprohanda sunt, ut Chrysippus comprobat, in Diodnri sententiam invitus incidit. Sensus est: Si comprobas divina prædicta, Chrysippe, necessarium dicas eodem modn regnaturum Cypselum Corinthi, (eveniet enim) ut si dicatur, Africanum potiturum Carthagine, quod evenit postea; ea enim potitus est: & si dicatur vere de futuro, idque futurum sit: quæ tota Dindori sententia est, qui verum in futuro censet tantum quod futurum sit, idque necessarium. Ita invitus delaberis in Diodori sententiam. *Turnebus*.

49 *Carthagine*] More antiquo libri quidam veteres *Carthaginem* accusandi casu habent. *Idem*.

50 *Dissentienti a magistro*] Nam propter immutabilitatem præterita censere videbatur necessaria Chrysippus, cum in ea ne deus quidem ullum jus habeat, præterquam oblivionis. At Cleanthes ejus magister necessitatem ex natura rerum potius, quam ex immutabili temporis conditione metiebatur. Itaque natus est Fabius oriente canicula, ei necessarium non videbatur: nec id de liberis tantum causis intelligebat: quod Ciceronis exemplum satis declarat. *Idem*.

turalis eſt cauſa, cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non poteſt.

VIII. Hoc loco Chryſippus æſtuans falli ſperat [51] Chaldæos [52], cæteroſque divinos, neque eos uſuros eſſe conjunctionibus [53], ut ita ſua percepta pronuntient, Si quis natus [54] eſt oriente Canicula, is in mari non morietur: ſed potius ita dicant, Non & natus eſt quis oriente Canicula, & is in mari morietur. O licentiam jocularem! ne ipſe incidat [55] in Diodorum, docet Chaldæos, quo pacto eos exponere percepta oporteat. Quæro enim, ſi Chaldæi ita loquantur, ut negationes infinitarum [56] conjunctionum [57] potius, quam infinita connexa ponant: cur idem [58] medici, cur geometræ, cur reliqui facere non poſſint? Medicus in primis, quod erit ei perſpectum in arte, non ita proponet, Si cui venæ [59] ſic moventur, is habet febrem: ſed potius illo modo, Non ei venæ ſic moventur, & febrem is non habet: itemque geometres [60] non ita dicet, Si in ſphæra maximi ſunt orbes, medii inter ſe dividuntur: ſed potius illo modo: Non & ſunt

in

51 *Falli ſperat*] Jlocalariter dicit Chryſippum ſperare ſe fucum eſſe facturum aſtrologis. *Falli* autem pro falſum iri, vel falli poſſe, dixit, ut ad Atticum IV. 16. *Cato tamen affirmat ſe vivo illum non triumphare*, id eſt, non triumphaturum. *Turnebus*.

52 *Chaldæos*] Id eſt, mathematicos; genethliaci enim omnes, qui ex natalitio ſidere futura præſagiunt, Chaldæi vocantur: quod enim illa natio ſiderum obſervandorum peritiſſima fuit, factum eſt, ut mathematici ita vocarentur. *Idem*.

53 *Conjunctionibus*] Conjunctiones copulationes ſignificant, ut in Topicis cap. 14. *Deinde addunt conjunctionum negantiam: ſic*: Non & hoc eſt, & illud non eſt. Supra, *Ergo hæc quoque conjunctio eſt ex repugnantibus*, Eſt Fabius, & in mari Fabius morietur. Hic pro connexionibus uſus eſt: quod, ut opinor, eadem utriuſque ſit neceſſitas, conjunctionis & connexionis. *Idem*.

54 *Si quis natus*] Proinde quaſi plus in iis enuntiatis neceſſitatis lateat quam in aliis, quæ ſunt tamen ἰσοδυναμοῦντα. *Idem*.

55 *Ne ipſe incidat*] Ne in Diodori ſententiam labatur. *Idem*.

56 *Infinitarum*] Communium & univerſarum, ut quæſtiones infinitæ dicuntur, quæ theſes ſunt: niſi ſi quis pro indefinitis forte cenſeat intelligi. *Idem*.

57 *Conjunctionum*] Nam repugnantia pronuntiata fiunt ex conjunctis, non ex connexis, idcirco dixit *conjunctionum negationem*, in Topicis *conjunctionum negantiam*: hoc modo, Et Fabius ſub canicula natus eſt, & in mari morietur. *Idem*.

58 *Cur idem medici*] Nam hoc genus orationis inſolens eſt & ignotum medicis, geometris, & reliquis: neque percepta artis quiſquam hac formula concepit, quam Chryſippus dictat. *Idem*.

59 *Venæ*] ut apud Satyricum, *Tange miſer venas*. Veteres & vulgus arterias a venis nihil diſtinguebat. Venas igitur arterias dicit, quæ micant continenter in corpore. *Idem*.

60 *Geometres*] Ut apud *Fabium* libro primo, ſic hoc loco, aſtrologia geometriæ pars eſt: & in prima Tuſculana geometria & arithmetica artes omnes mathematicas complectuntur. *Idem*.

in ſphæra maximi orbes [61], & hi non medii [62] inter ſe dividuntur.

Quid eſt, quod non poſſit iſto modo ex connexo transferri ad conjunctionum negationem? Et quidem aliis modis eaſdem res efferre poſſumus. Modo dixi, Si in ſphæra maximi ſunt orbes, medii inter ſe dividuntur: poſſum dicere, In ſphæra maximi orbes erunt; poſſum dicere, Quia in ſphæra maximi orbes erunt. Multa genera ſunt enuntiandi, nec ullum diſtortius, quam hoc, quo Chryſippus ſperat Chaldæos contentos Stoicorum cauſa fore. Illorum tamen nemo ita loquitur. Majus [63] eſt enim has contortiones [64] orationis, quam ſignorum ortus obituſque perdiſcere.

IX. Sed ad illam [65] Diodori contentionem, quam περὶ δυνατῶν appellant, revertamur: in qua quid valeat [66] id, quod fieri poſſit [67], anquiritur. Placet igitur Diodoro, id ſolum fieri poſſe, quod aut verum ſit, aut verum futurum ſit. Qui locus attingit hanc quæſtionem, Nihil fieri, quod non neceſſe fuerit; &, quidquid fieri poſſit, id aut eſſe jam, aut futurum eſſe: nec magis commutari ex veris in falſa ea poſſe, quæ futura ſunt, quam ea, quæ facta ſunt: ſed in factis [68] immutabilitatem apparere; in futuris quibuſdam, quia non apparent, [a] ne ineſſe quidem videri: ut in eo, qui mortifero morbo urgeatur, verum ſit, Hic morietur hoc morbo: at hoc idem ſi vere dicatur in eo, in quo vis morbi tanta non appareat, nihilo minus futurum ſit. Ita fit, ut commutatio

61 *Maximi orbes*] Ut æquator, zodiacus, meridianus: alii minores, tropici, arctici. *Idem*.

62 *Medii*] In duas æquales partes. *Idem*:

63 *Majus*] Difficilius. In Paradoxis. *Quod eo majus eſt illi*. Idem.

64 *Contortiones*] Quæ ex repugnantibus contexuntur. Id genus orationis dilucide declarat Ciceronis locus lib. 11. de Divin. cap. 51. *Deinde contorquent, & ita concludunt*: Non igitur ſunt dii, nec ſignificant futura. *Idem*.

65 *Sed ad illam*] Explicat ſententiam Diodori, qua Chryſippo reſponderi poteſt. Diodorus autem fatum non inducit, ſed in enunciatis vim verborum interpretatur, non cauſarum ſeriem ponit, cum tamen ex vi verborum & ex enuntiationibus fatum confirmaret Chryſippus. Hæc autem Diodori contentio tota ad logicen, ut initio dixit, pertinet. *Idem*.

66 *Quid valeat*] Quæ vis ſit eorum enuntiatorum, in quibus quid fieri poſſe dicitur. *Idem*.

67 *Quod fieri poſſit*] Sitne ejuſmodi, ut neceſſario, ut Diodoro videtur, eveniat, an ut non ſit neceſſe evenire, quæ Chryſippi ſententia eſt. *Idem*.

68 *Sed in factis*] Non item, ut in præteritis, apparere in futuris immutabilitatem & neceſſitatem, ſed latere, cum tamen nihilo minor ſit, quæ non eſſe videbatur in pleriſque. *Idem*.

a Man. Lamb. *ne neceſſe*.

tio [69] ex vero in falsum ne in futuro quidem ulla fieri possit. Nam, Morietur Scipio [70], talem vim habet, ut quanquam de futuro dicitur, tamen id non possit converti in falsum: de homine enim dicitur, cui necesse est mori.

Sic si diceretur, Morietur noctu [71] in cubiculo suo Scipio vi oppressus, vere diceretur: id enim fore diceretur, quod esset futurum: futurum autem fuisse, ex eo, quia factum est, intelligi debet. Nec magis erat verum, Morietur Scipio, quam Morietur illo modo: nec [b] minus [72] necesse mori [c] Scipionem, quam illo modo mori: nec magis immutabile ex vero in falsum, Necatus est Scipio, quam, Necabitur Scipio: nec, cum hæc ita sint, est causa, cur Epicurus fatum extimescat, & ab atomis petat præsidium, easque de via [73] deducat, & uno tempore suscipiat res duas inenodabiles: unam, ut sine causa [74] fiat aliquid, ex quo exsistet, ut de nihilo [75] quippiam fiat; quod nec ipsi, nec cuiquam physico placet: alteram, ut, cum duo individua per inanitatem ferantur, alterum e regione moveatur, alterum declinet. Licet

enim

69 *Commutatio*] Ut si verum sit futurum aliquid, id omnino evenire sit necesse; & si enuntiatum de futuro verum sit, non possit in falsum commutari. Ut enim quærebatur, possetne eloquentia in infantiam commutari, & virtus in vitium converti, in hominum doctorum disputationibus: item quoque possetne verum in falsum converti: quod plane Diodorus negat. *Idem*.

70 *Morietur Scipio*] Æmilianus, qui cum Flacco, Graccho, & Carboni adversatus esset, fortis valensque, in cubiculo mortuus inventus est postridie. Ei vim Carbo attulisse existimatus est, ut scribit Cic. ad Pætum: quod & hic sequi videtur. Alii venenum ei ab uxore Sempronia Gracchi sorore datum suspicati sunt. *Idem*.

71 *Morietur noctu*] Quod tamen in speciem minus necessarium esse videtur, quam Morietur: propterea quod omnes mortales hac conditione nati sunt, ut moriendum sit eis. Contendit tamen Diodorus non minus esse necesse. *Idem*.

b Man. Lamb. *magis*

72 *Nec minus necesse*] Petro quidem Ramo legendum videbatur, *nec magis necesse*, quod in hoc verborum situ plane flagitat auctoris mens & sententia. At, si vocibus leviter transpositis reponas, *nec minus necesse mori Scipionem illo modo, quam mori*, alia mutatione non est opus. Hoc malim. *Davisius*.

c Vict. Man. Lamb. *Scipioni*

73 *De via deducat*] Nam via ponderum, ut atomorum, e regione est, & ad perpendiculum: nunc Epicurus declinationem inducit incerta regione, & incerto tempore, ut voluntatis libertatem retineat. Lucretius, lib. II. 217. *Turnebus*.

74 *Ut sine causa fiat*] Quia declinationis nullam causam Epicurus affert, ut aliorum motuum. Moveri per inane profundum, verbi gratia, individua corpuscula dicit propter pondus, & resilire in concursionibus ex plaga: ut illorum duorum motuum causæ sint, pondus & plaga; declinationis autem quam afferre tandem causam potest? *Idem*.

75 *De nihilo*] Nam si declinatio ista sine causa est, de nihilo erit: ex quo fiet ut aliquid de nihilo sit, quod nec physici, nec ipse Epicurus voluit. Lucretius, lib. I. 151.

Nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam. Idem.

enim Epicuro [76], concedenti omne enuntiatum aut verum aut falsum esse, non vereri, ne omnia fato fieri sit necesse: non enim æternis causis naturæ necessitate manantibus verum est id, quod ita enuntiatur. Descendit in Academiam Carneades: nec tamen sine causis [77]: sed interest inter causas fortuito antegressas, & inter causas cohibentes in se efficientiam naturalem. Ita & semper [78] verum fuit, Morietur Epicurus, cum duo & septuaginta annos vixerit, Archonte Pitharato [79], neque tamen erant causæ fatales, cur ita accideret: sed quod ita cecidisset, certe casurum, sicut cecidit, fuit. Nec ii, qui dicunt [80] immutabilia esse, quæ futura sint, nec posse verum futurum converti in falsum, fati necessitatem confirmant, sed verborum vim interpretantur. At, qui introducut causarum seriem sempiternam, ii mentem hominis voluntate libera spoliatam, necessitate fati devinciunt.

X. Sed hæc hactenus. Alia videamus. Concludit enim Chrysippus hoc modo, Si est motus [81] sine causa, non omnis enuntiatio, quod ἀξίωμα * dialectici appellant, aut vera, aut falsa erit: causas enim efficientes quod non habebit, id nec verum, nec falsum erit: omnis autem enuntiatio aut vera aut falsa est: motus ergo sine causa nullus est. Quod si ita est, omnia, quæ fiunt, causis fiunt [82] antegressis. Id si ita est,

76 *Licet enim Epicuro*] Quod non concedit tamen, fatum veritus. Putat enim, si omnis enuntiatio sit vera aut falsa, fatum fore, cum esse vera aut falsa sine antegressis causis, & ex naturæ necessitate manantibus non possit: quod falsum est. Nam causæ voluntariæ esse possunt, ut in Academiam descendendi. *Idem*.

77. *Nec tamen sine causis*] Voluntariis, quæ ab animi inductione, impulsione & ratiocinatione proficiscuntur, quæ fortuito antegrediuntur. Nec hic Diodorum Cicero relinquit, cum ex ratione Diodori Epicureoa Stoicis respondere nullo negotio posse ostendit: nec Diodorus necessarias causas ponebat, sed quæ vis earum enuntiationum esset, in quibus aliquid fieri posse aut non posse dicebatur, quærebat. *Idem*.

78 *Ita & semper*] Sine causis necessariis, ex æterno verum fuit, ut inquit ex sententia Diodori, Morietur Epicurns. *Idem*.

79 *Archonte Pitharato*] Annui Archontea apud Athenienses erant, ex quorum nnminibus annos numerabant, ut Romani consulum. *Idem*.

80 *Nec ii, qui dicunt*] Ut Diodorus, qui tantum quærit, quid valeant enuntiationes de eo quod fieri potest, aut non potest, non causas fatales scrutatur. *Idem*.

81 *Si est motus*] Ut appetitio & voluntas. *Idem*.

* *Dialectici*] Hoc nomine Stoicos intelligit, quemadmodum & in Orat. c. 32. sect. 114. Cur autem ii præsertim Dialectici dicerenrur, vide Topicorum cap. 2. *Facciolatus*.

82 *Causis fiunt antegressis*] Antecedentibus, quas tollunt, qui suopte impulsu aliquando voluntatem moveri dicunt sine antecessione causæ. *Idem*.

omnia fato fiunt. Efficitur igitur, fato fieri, quæcumque fiant.

Hic primum si mihi libeat assentiri Epicuro [83], & negare omnem enuntiationem aut veram esse, aut falsam: eam plagam [84] potius accipiam, quam fato omnia fieri comprobem. Illa enim sententia aliquid habet disputationis, hæc vero non est tolerabilis [85]: Itaque contendit omnes nervos Chrysippus, ut persuadeat, omne ἀξίωμα aut verum esse, aut falsum. Ut enim Epicurus veretur, ne, si hoc concesserit, concedendum sit, fato fieri, quæcumque fiant: (si enim alterutrum ex æternitate verum sit, esse id etiam certum: &, si certum, etiam necessarium: ita & necessitatem, & fatum confirmari putat) sic Chrysippus [86] metuit, ne, si non obtinuerit, omne, quod enuntietur, aut verum esse, aut falsum; non teneat, omnia fato fieri, & ex causis æternis rerum futurarum.

Sed Epicurus [87] declinatione atomi vitari fati necessitatem putat. Itaque tertius quidam [88] motus oritur extra pondus & plagam, cum declinat atomus intervallo minimo [89]. Id appel-

83 *Epicuro*] Qui negat omnem enuntiationem veram aut falsam esse, ne fatum comprobare cogatur. Epicuro tamen hac in re non assentiretur, sed, si conditio feratur, Epicurum sequi mallet quam fatum recipere. *Idem.*

84 *Eam plagam*] Nam hac plaga minus se læsum iri censet, quam si fatum comprobet, quod vulnus intolerabile & propemodum letale esset. *Idem.*

85 *Non est tolerabilis*] Cum ex ea sequatur eversio vitæ & morum, & voluntatis servitus. *Idem.*

86 *Sic Chrysippus*] Rem esse sibi factam putat, si doceat omnem enuntiationem veram aut falsam esse; sequi enim ex eo censet fatum esse: cum id ex contradictioois vi, non rei natura certum sit. *Idem.*

87 *Sed Epicurus*] Motum declioationis excogitavit Epicurus, ut voluntatis libertatem retineret, ne, si in pronum semper laberentur atomi necessario & naturali motu, fato fiereot omnia: nunc enim cum incerto spatio & regione declioent, ex eo efficitur, ut, quandocunque volumus, nobis omnis susceptio & animi inductio libera sit & voluntaria. *Idem.*

88 *Tertius quidam motus*] Tres atomis motus Epicurus, ut Plutarchus scribit, tribuit: unum κατὰ στάθμην, id est ad lineam: alterum κατὰ παρέγκλισιν, id est, per declinationem: tertium κατὰ πληγὴν, id est ex plaga. Ad lineam moventur deorsum per inane profundum: per decliuarionem, cum mioimum declinant, ut complexiones, copulationes & adhæsiones atomorum fiant; nam si omnes e regione moverentur, nulla alteram attingeret: ex plaga, cum propter soliditatem ex conflictu resultant. Vide Lucretium, lib. II. 83. &c. *Idem.*

89 *Minimo*] Libro I. de Fin. cap. 6. *Perpaulum, quo nihil posset fieri minus. Tantum quod nomen mutatum dicere possis*, Lucretius dixit. Ita, ut opinor, speravit se vitaturum reprehensionem Epicurus, si pusillam declinationem comminisceretur, & tanquam pro suo jure sumeret. Eaque causa fuit, cur ejus verbum poneret Cicero, & ut intelligeretur quid minimum intervallum diceret. *Idem.*

pellat ἐλάχιστον. Quam declinationem sine causa [90] fieri si minus verbis, re cogitur confiteri: non enim atomus ab atomo pulsa declinat: nam qui potest pelli alia ab alia, si gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua [91], rectis lineis, ut Epicuro placet? Sequitur enim, ut, si alia ab alia nunquam depellatur, ne contingat [92] quidem alia aliam: ex quo efficitur [93], ut jam si sit atomus, eaque declinet, declinare sine causa. Hanc rationem Epicurus induxit ob eam rem, quod veritus est, ne, si semper atomus gravitate ferretur naturali ac necessaria, nihil liberum nobis esset, cum ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur. Hinc Democritus auctor atomorum accipere maluit, necessitate omnia fieri, quam a corporibus individuis naturales motus avellere.

XI. Acutius [94] Carneades, qui docebat, posse Epicureos suam causam sine hac commentitia declinatione defendere. Nam cum doceret esse posse quendam animi motum voluntarium, id fuit defendi melius, quam introducere declinationem, cujus præsertim causam reperire non possunt. Quo defenso, facile Chrysippo possent resistere. Cum enim concessissent, motum nullum esse sine causa, non concederent, omnia, quæ fierent, fieri causis antecedentibus: voluntatis enim nostræ non esse causas externas, & antecedentes. Com-

90 *Sine causa*] Nam istam declinationem non efficit pondus; e regione enim ferrentur: nec plaga; nondum enim conflixerunt atomi, ut ex pulsu declinent. *Idem*.

91 *Corpora individua*] Venit in mentem, hæc duo verba intrusa esse ab iis, qui glossis, ut nunc vocant, omnia referseruat. Quis enim non videt subaudiri *atomos*, de quibus perspicue Cicero loquitur? *P. Manutius*.

92 *Ne contingat*] Contactus enim atomis propter earum soliditatem depulsionem affert: nisi autem se contiagant, nihil gignetur, nullæque fient complexiones nullaque concilia rerum. Vide Lucretium, lib. II. 221. & 251. *Turnebus*.

93 *Ex qua efficitur, ut si jam sit atomus, eaque declinet, declinare sine causa*] Ita editiones principes, a quibus discedere religio fuit. Ascensius, omissa particula *si*, dederat: *Ex qua efficitur, ut jam sit atomus, eaque declinet, declinare sine causa*. Quod videtur omnino verius, & hunc habet sensum, cum tota serie hujus loci bene congruentem. *Ex quo efficitur*, dato quod *sit atomus, eaque declinet*, eam *declinare sine causa*; nullam ei causam esse declinandi. Dicit porro, *ut sit atomus*, dato quod sit, *&* *declinet*; quoniam utrumque, & esse atomos, & declinare, affirmabatur quidem ab Epicureis, ab aliis vero negabatur. De hoc usu particulæ *ut*, quid opus est monere? Dubitationem præcidit omnem quod est in hoc ipso libro, cap. 20. pag. 151. desinente: *Nam, ut essent atomi, quas quidem esse, mihi probari nullo modo potest: tamen declinationes istæ nunquam explicarentur*. Olivetus.

94 *Acutius*] Multo subtilius Carneades pro Epicuro respondebat Stoicis. Docebat enim motum esse posse quendam voluntarium, a se ortum, cujus antegressæ & externæ causæ nullæ essent. *Turnebus*.

muni igitur consuetudine sermonis abutimur, cum ita dicimus, velle aliquid quempiam aut nolle sine causa. Ita enim dicimus, *sine causa*, ut dicamus, sine externa & antecedenti causa, non sine aliqua. Ut cum vas inane dicimus, non ita loquimur, ut physici, quibus inane esse nihil placet; sed ita, ut, verbi causa, sine aqua, sine vino, sine oleo vas esse dicamus: sic, cum sine causa animum moveri dicimus, sine antecedente & externa causa moveri, non omnino sine causa, dicimus. De ipsa atomo dici potest, cum per inane moveatur gravitate & pondere, sine causa moveri, quia nulla causa accedat extrinsecus.

Rursus autem [95], ne omnes a physicis irrideamur, si dicamus quidquam fieri sine causa [96], distinguendum est, & ita dicendum, ipsius individui hanc esse naturam, ut pondere & gravitate moveatur, eamque ipsam esse causam, cur ita feratur. Similiter ad animorum motus voluntarios, non est requirenda externa causa. Motus enim voluntarius eam naturam in se ipse continet, ut sit in nostra potestate, nobisque pareat: nec id sine causa: ejus enim rei causa, ipsa natura est.

Quod cum ita sit [97], quid est, cur non omnis pronuntiatio aut vera aut falsa sit, nisi concesserimus fato fieri quæcumque fiant?

Quia futura vera, inquit [98], non possunt esse ea, quæ causas [99], cur futura sint, non habent. Habeant igitur causas necesse est ea, quæ vera sunt: ita cum evenerint, fato evenerint.

XII. Confectum negotium, si quidem tibi concedendum est, aut

95 *Rursus autem*] Ut causa est cur individuum, id est atomus, feratur deorsum, gravitas: ita motus animorum causa fuerit voluntas, non externa causa. Motus autem voluntatis causa est ὁρμὴ, id est appetitus, & ratio. *Idem*.

96 *Sine causa*] Illud *Sine causa*, quod posuerat, mutat, ne in physicorum irrisionem incidat, qui nullo modo ferre poterant quicquam sine causa fieri dici: ac ut in atomi motu negat extrinsecus quærendam causam, ita quoque in appetitionibus negat esse quærendas antegressiones causarum. *Idem*.

97 *Quod cum ita sit*] Verum & falsum in enuntiatis nihil affert causæ cur fatum sit. Fatum enim non fuerit sine necessariis caussis: at ut verum & falsum sit, efficere possunt causæ fortuitæ & voluntariæ. Hic igitur argumentatio Chrysippi repetitur, & diluitur. *Idem*.

98 *Inquit*] Chrysippus. *Idem*.

99 *Quæ causas*] At causas habere possunt fortuitas & voluntarias, non ex æternitate fatas: sic enim respondetur Chrysippo. *Idem*.

aut fato omnia fieri, aut quidquam posse fieri sine causa [1]. An aliter hæc enuntiatio vera esse non potest, *Capiet Numantiam Scipio*, nisi ex æternitate causa causam serens [2] hoc erit effectura? An hoc falsum potuisset esse, si esset sexcentis [3] seculis ante dictum? Et, si tum non esset vera hæc enuntiatio, *Capiet Numantiam Scipio*: ne illa [4] quidem eversa vera est hæc enuntiatio, *Cepit Numantiam Scipio*. Potest igitur [5] quidquam factum esse, quod non verum fuerit futurum esse? Nam ut præterita ea vera dicimus, quorum superiore tempore vera fuerint [6] instantia: sic futura, quorum consequenti tempore vera erunt instantia, ea vera dicemus.

Nec si omne enuntiatum aut verum, aut falsum est, sequitur illico esse causas immutabiles, easque æternas, quæ prohibeant quidquam secus cadere, atque casurum sit. Fortuitæ sunt causæ, quæ efficiant, ut vere dicantur, quæ ita dicentur, *Veniet Cato in senatum*, non inclusæ in rerum natura atque mundo. Et tamen tam est immutabile venturum, cum est verum, quam venisse: nec ob eam causam fatum, aut necessitas extimescenda est. Etenim erit confiteri necesse, si hæc enuntiatio, *Veniet in Tusculanum Hortensius*, verum non est [7], sequi-

1 *Sine causa*] Quod tibi non concedetur. Nam ut fiat sine causis ex æternitate naturæ manantibus, non fiet tamen sine causis fortuito antegressis. *Idem*.

2 *Causa causam serens*] Ex eo causarum series dicitur fatum, id est ὁρμαθὸς αἰτιῶν. *Idem*.

3 *Sexcentis*] Pro infinitis & innumeris sexcenta Latini dicere solent. Cicero ad Atticum, *Belli periculum, militum improbitas, sexcenta præterea alia*. Idem.

4 *Ne illa quidem eversa*] Sic locum restitui ex libris scriptis. Sententia est: Ne capta quidem urbe, vera fuerit enuntiatio, Capiet Scipio Numantiam: non enim id jam futurum, sed præteritum erit. *Id.*

5 *Potest igitur*] Si ex vero in falsum futura mutari possunt, posset aliquid factum esse, quod falsum fuerit futurum esse. Hic enim Cicero ex Diodori sententia Chrysippo respondet, & sine fato docet futura immutabilia esse posse. Locum per interrogationem lego. *Idem*.

6 *Vera fuerint instantia: sic futura, quorum consequenti tempore vera erunt instantia.*] Si sit in hisce commoda σύνταξις, nihil equidem mutatum velim. Interea vero mihi fas sit cum Ven. 1471. reponere, *vera fuerit instantia: sic futura, quorum consequenti tempore vera erit instantia, ea vera dicemus*. *Instantia* mihi videtur nomen substantivum, quod propinquitatem vel imminentiam denotat. Sic certe usus est Nigidius apud Agellium lib. IX. c. 12. *Dav.*

7 *Verum non est*] Id est, vera non est. Inconsequens prope oratio, ex consuetudine dialecticorum disputantium. *Turnebus*. Nostri vero Mss. dant, *vera non est*. Insuper, quæ, quæso, in hisce verbis inest constructio, *erit confiteri necesse, sequitur?* Itaque Petrus Ramus legendum vidit, *sequi*. Recte quidem, nisi quod paulo propius ad receptam scripturam mallem, *sequi tum, ut falsa sit*. Davisius.

ſequitur ut falſum ſit. Quorum iſti neutrum [8] volunt. Quod fieri non poteſt. Nec nos impediet illa ignava ratio [9], quæ dicitur. Appellatur enim quidam a philoſophis ἀργὸς λόγος, cui ſi pareamus, nihil eſt omnino quod agamus in vita. Sic enim interrogant: Si fatum tibi eſt, ex hoc morbo convaleſcere; ſive tu medicum adhibueris, ſive non adhibueris, convaleſces. Item, Si fatum tibi eſt, ex hoc morbo non convaleſcere, ſive tu medicum adhibueris, ſive non adhibueris, non convaleſces. Et alterutrum [10] fatum eſt: medicum ergo adhibere nihil attinet.

XIII. Recte genus hoc interrogationis ignavum atque iners nominatum eſt, quod eadem ratione omnis e vita tolletur actio. Licet etiam immutare, ut fati nomen ne adjungas, & eandem tamen teneas ſententiam, hoc modo: Si ex æternitate verum hoc fuit, Ex iſto morbo convaleſces: ſive adhibueris

ris

8 *Quorum iſti neutrum*] Epicurei, qui hujuſmodi enuntiationes nec veras, nec falſas eſſe dicunt, ut dicet infra Cicero. *Turnebus.*

9 *Ignava ratio*] Græce ἀργὸς λόγος, ad Stoicos referri ſolet, fati patronos & aſſertores, quod ea maxime fatalis neceſſitas roboretur. Per hanc homines ignavi & inertes fiunt, quod ita ferme diſputent, ut ſcribit Cicero de Fato cap. 12. *Si fatum tibi eſt, ex hoc morbo convaleſcere, ſive medicum adhibueris, ſive non, convaleſces; item ſi fatum tibi eſt, ex hoc morbo non convaleſcere, ſive medicum adhibueris, ſive non, non convaleſces: at alterutrum fatum eſt: medicum ergo adhibere nihil attinet.* Alii aliter efferunt: ſi fieri non poteſt, quin ex hoc morbo convaleſcas; ſi verum eſt, te ex hoc morbo evaſurum; ſi in divinis decretis eſt, ut ex hoc morbo evadas; ſi Deus prænoſcit, te ex hoc morbo non eſſe moriturum; & aliis præterea modis, ex quibus ipſi quoque iſtius quæſtionis tituli variati ſunt, *de Fato, de Poſſibilibus, de Libero arbitrio, de Providentia, de Divinis decretis, de Futuris contingentibus, de Phyſica prædeterminatione.* Diſputatione hac nulla eſt magis antiqua, nulla magis communis ac diffuſa, nulla acrioribus animis agitata; quæ non modo ſcholas, ſed gentes humanas diviſit; moreſque earum ita variavit, ut Turcæ fato addicti ne in ſumma quidem ſuorum peſtilentia ſibi caveant: nos, qui liberas cauſas admittimus, vel leviſſimam teterrimæ luis ſuſpicionem timidi paventeſque refugiamus. Quia porro nulli magis naturalibus cauſis humanum arbitrium obſtrinxerunt, quam Stoici, hinc noſtrorum dialecticorum vulgus, criticæ eruditionis incurioſum, *ignavam rationem* ab illis inventam exiſtimat. Id quam longe abſit a vero, vel ex eo apparet, quod Zeno Stoicorum auctor & parens, ut refert Laertius lib. VII. in ejus Vita, ducentas minas cuidam dialectico dedit, a quo ſeptem *Metentis* ſpecies didicerat: qui quidem interrogandi modus ab *Ignava ratione* vel parum admodum, vel nihil differt. Quomodo autem *Metens*, quem Græci λόγον θερίζοντα vocant, extrueretur, quidve efficeret, docet Ammonius ad librum Ariſtotelis περὶ ἑρμηνείας, ſect. 2. cap. 10. *Si meſſurus es, non fortaſſe metes, fortaſſe non metes, ſed metes omnino; contra ſi non es meſſurus, omnino non metes, alterutrum enim neceſſario futurum eſt.* Ex quo colligebant, nihil unquam laborandum eſſe de meſſibus: quarum eſſent fata ab ipſo naturæ exordio immutabilia. *Jac. Facciolatus*, Acroaſi V.

10 *Et alterutrum fatum eſt*] Id eſt fato decretum, fixum & ratum. Nam fatum hoc loco ita dictum eſſe videtur, ut ſit tanquam fatale. *Turnebus.*

ris medicum, sive non, convalesces. Itemque, si ex æternitate hoc falsum fuit, Ex isto morbo non convalesces: sive adhibueris medicum, sive non adhibueris, non convalesces. Deinde cætera.

Hæc ratio [11] a Chrysippo reprehenditur. Quædam enim sunt, inquit, in rebus simplicia [12], quædam copulata. Simplex est, Morietur eo die Socrates: huic, sive quid fecerit, sive non fecerit, finitus est moriendi dies. At si ita fatum sit, Nascetur Œdipus Lajo: non poterit dici, Sive fuerit Lajus [13] cum muliere, sive non fuerit; copulata enim res est, & *confatalis:* sic enim appellat [14]: quia ita fatum sit, & concubiturum cum uxore [15] Lajum, & ex ea Œdipum procreaturum. Ut si esset dictum, Luctabitur Olympiis Milo [16]: & referret [17] aliquis: Ergo, sive habuerit adversarium, sive non habuerit, luctabitur; erraret; est enim copulatum, *Luctabitur*, quia sine adversario nulla luctatio est. Omnes igitur istius generis captiones eodem modo refelluntur. Sive tu adhibueris medicum, sive non adhibueris, convalesces: captiosum. Tam enim est fatale, medicum adhibere, quam convalescere. Hæc, ut dixi, confatalia ille appellat.

XIV. Carneades [18] hoc totum genus non probabat, & nimis inconsiderate concludi hanc rationem putabat: itaque premebat alio modo, nec ullam adhibebat calumniam [19]. Cujus erat hæc conclusio [20]. „ Si omnia antecedentibus causis „ fiunt, omnia naturali colligatione conserte contexteque fiunt.

„ Quod

11 *Hæc ratio a Chrysippo*] Chrysippus etsi fatum affirmabat, tamen & id quod fieri potest, & consilium, & deliberationem & actiones, & officia retinebat, ut docet *Alexander*. Is igitur rationi ignavæ, quæ ad eversionem fati objiciebatur, respondebat. *Idem*.

12 *Simplicia*] In quibusdam simplex esse fatum ponit Chrysippus: in aliis tanquam duplex & copulatum, ut utrumque confatale sit. Ita ignavam captionem solvit. *Idem*.

13 *Sive fuerit Lajus*] Esse cum muliere, honeste & verecunde dicebant Romani, pro cum muliere rem habere. Auctor Varro. *Id.*

14 *Sic enim appellat*] Συνειμαρμένον Chrysippus dixit, quod *confatale* Cicero vertit. Hoc vocabulum apud Plutarchum extat in libello de Fato. *Idem*.

15 *Cum uxore*] Jocasta, quam tamen Homerus *Epicasten* vocat. Responderat autem Apollo Lajo, ipsum interfectum iri ab eo quem procreasset. Oraculum est apud Euripidem Phœniss. us. 19. *Idem*.

16 *Milo*] Crotoniates. *Idem*.

17 *Referret*] Redderet, responderet. *Id.*

18 *Carneades*] Carneades instituto novorum Academicorum in Stoicos disputabat: sed in oppugnatione fati non probabat ignavam rationem, & Stoicos alio argumenro premebat. *Idem*.

19 *Adhibebat calumniam*] Nam captio & calumnia inest in ratione ignava. *Idem*.

20 *Conclusio*] Argumentatio. *Idem*.

„ Quod si ita est, omnia necessitas efficit. Id si verum est, „ nihil est in nostra potestate. Est autem aliquid in nostra „ potestate. At, si omnia fato fiunt, omnia causis antece„ dentibus fiunt. Non igitur fato fiunt, quæcumque fiunt.

Hæc arctius [21] adstringi ratio non potest. Nam si quis velit idem referre [22], atque ita dicere: Si omne futurum ex æternitate verum est, ut ita certe eveniat quemadmodum sit futurum, omnia necesse est colligatione naturali conserte contexteque fieri; nihil dicat [23]. Multum enim differt, utrum causa naturalis [24] ex æternitate futura vera efficiat, an etiam sine æternitate naturali, futura quæ sint, ea vera esse possint intelligi. Itaque dicebat [25] Carneades, ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea, quorum causas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset. Quid enim spectans deus ipse diceret, Marcellum [26] eum, qui ter consul fuit, in mari esse periturum? Erat quidem hoc verum ex æternitate, sed causas id efficientes non habebat. Ita ne præterita quidem ea, quorum nulla signa, tanquam vestigia, exstarent, Apollini nota esse censebat: quo minus futura. Causis enim efficientibus quamque rem cognitis, posse denique sciri, quid futurum esset. Ergo nec de Œdipode potuisse Apollinem prædicere, nullis in rerum natura causis præpositis, cur ab eo patrem interfici necesse esset: nec quidquam hujusmodi.

XV. Quocirca [27] si Stoicis, qui omnia fato fieri dicunt, con-

21 *Hæc arctius*] Hæc ratio & conclusio firmissima est. Ductum a fascibus qui vinculis adstringuntur. *Idem*.

22 *Referre*] In nos rejicere & retorquere, qui fatum negamus: & tamen immutabilitatem in futuris dicimus ex Diodori sententia. *Idem*.

23 *Nihil dicat*] Non enim partium necessaria fuerit colligatio & series causarum, si omne futurum ex æternitate verum sit, cum sine causis necessariis & antegressis verum esse possit.

24 *Naturalis*] Ut vult Chrysippus, Diodoreis repugnantibus. *Idem*.

25 *Itaque dicebat*] Diodori sententia περὶ δυνατῶν adversus Stoicos utebantur Academici, ut vera ex æternitate futura essent, sine naturalium causarum antecessione: ac proinde Carneades divinationem esse negabat posse, etsi immutabilitas in futurorum veritate esset, nisi in iis quæ naturalibus & necessariis causis continerentur.

26 *Marcellum eum*] Cicero de Divinatione lib. II. cap. 5. *Ut si quis M. Marcellum illum, qui ter consul fuit, multis annis ante dixisset naufragio esse periturum, divinasset profecto*. Fuit autem, ut Asconius ait, nepos illius Marcelli, qui Syracusas cepit. Is naufragio ad Africam periit paulo ante tertium Punicum bellum. *Idem*.

27 *Quocirca*] Colligit omnia esse expeditiora & liberiora Diodoreis quam Stoicis, & eorum sententias valde discrepantes esse: quas tamen quispiam fortasse easdem falso esse putaret,

consentaneum est hujusmodi oracula, cæteraque, quæ ad divinationem pertinent, comprobare: iis autem [28], qui, quæ futura sunt, ea vera esse ex æternitate dicunt, non idem dicendum est: vide, ne non eadem sit illorum causa, & Stoicorum. Hi enim [29] urgentur angustius; illorum [30] ratio soluta ac libera est. Quod si concedatur [31], nihil posse evenire, nisi causa antecedente: quid proficiatur, si ea causa non ex æternis [32] causis apta dicatur? Causa [33] autem ea est, quæ id efficit, cujus est causa; ut vulnus, mortis; cruditas, morbi; ignis, ardoris. Itaque non sic causa intelligi debet, ut, quod cuique antecedat, id ei causa sit, sed quod cuique efficienter antecedat: nec, quod in campum [34] descenderim, id fuisse causæ, cur pila luderem: nec Hecubam, causam interitus fuisse Trojanis, quod Alexandrum [35] genuerit: nec Tyndareum Agamemnoni, quod Clytæmnestram [36]. Hoc enim modo viator quoque bene vestitus causa grassatori fuisse dicetur, cur ab eo spoliaretur. Ex hoc genere illud est Ennii,

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes!

Licuit vel altius, Utinam ne in Pelio nata ulla unquam esset arbor! etiam supra, Utinam ne esset mons ullus Pelius! similiterque superiora repetentem regredi infinite licet.

Neve inde navis incohandæ exordium Cœpisset.

Quorsum hæc præterita? quia sequitur illud,

Nam nunquam hera errans mea, domo efferret pedem,

taret, & nonnulli Stoici clamabant. Non enim necesse est Diodoro divinationem & oracula approbare: necesse est Stoicis, si sibi constare velint. *Idem*.

28 *Iis autem*] Diodoreis. *Idem*.

29 *Hi enim*] Stoici. *Idem*.

30 *Illorum*] Diodoreorum, qui sine caussarum antecessione futura ex æterno tempore vera dicunt. *Idem*.

31 *Quod si concedatur*] Antea negavit omnis motus causas esse antecedentes, unde fatum Stoici argumentabantur: nunc hoc concesso, negat tamen sequi fatum esse. *Idem*.

32 *Ex æternis causis apta*] Ex causis in rerum natura, quæ æterna est, positis profecta. Nam hujusmodi causæ vi sua certe efficiunt quod sub eis subjectum est, ut ignis accendit. *Idem*.

33 *Causa autem est*] Quæ efficienter rei cuique antecedit. Itaque adjumenta, præcursiones, materiam, ferramenta, sine quibus aliquid effici nequit, in causis hic non numerat. *Idem*.

34 *In campum*] Martium; ubi se juventus Romana exercebat. Cicero de Orat. II. 62. *Ut in illum Titium &c. Idem*.

35 *Quod Alexandrum*] Qui, rapta Helena, Trojæ excidii causa fuit. *Idem*.

36 *Clytæmnestram*] Quæ Agamemnonem maritum interfecit. *Idem*.

Medea, animo ægro, amore sævo saucia,
non ut eæ res causam afferrent amoris.

XVI. Interesse [37] autem ajunt, utrum ejusmodi quid sit, sine quo aliquid effici non possit, an ejusmodi, quo aliquid effici necesse sit. Nulla igitur earum est causa, quoniam nulla eam rem sua vi efficit, cujus dicitur causa. Nec id, sine quo quippiam non fit, causa est: sed id, quod cum accessit, id, cujus causa est, efficit necessario. Nondum enim ulcerato serpentis [38] morsu Philoctetа, quæ causa in rerum natura continebatur, fore, ut is in insula Lemno linqueretur? Post autem [39] causa fuit propior, & cum exitu junctior. Ratio igitur eventus aperit causam. Sed ex æternitate vera fuit hæc enuntiatio: Relinquetur in insula Philoctetes. Nec hoc ex vero in falsum poterat converti. Necesse [40] est enim in rebus contrariis duabus, (contraria autem hoc loco ea dico, quorum alterum ait quid, alterum negat) ex his igitur necesse est, invito Epicuro, alterum verum esse, alterum falsum: ut, Sauciabitur Philoctetes, omnibus ante seculis verum fuit: Non sauciabitur, falsum. Nisi forte volumus Epicureorum opinionem sequi, qui tales enuntiationes nec veras, nec falsas esse dicunt: aut, cum id pudet, illud tamen dicunt, quod est impudentius, veras esse ex contrariis [41] disjunctiones; sed quæ in his enuntiata essent, eorum neutrum esse verum.

O admirabilem licentiam, & miserabilem inscientiam disserendi! Si enim aliquid in eloquendo nec verum [42], nec falsum est, certe id verum non est. Quod autem verum non est, qui potest non falsum esse? Aut quod falsum non est, qui

37 *Interesse*] Etiam Stoici, ut proinde ex eorum sententia aliquid aotecedere possit, quod causa non sit. *Idem*.

38 *Serpentis*] Alii a serpente ulceratum Philoctetem scribunt: alii cecidisse in ejus pedem sagittam hydræ cruore imbutam. *Idem*.

39 *Post autem*] Posteaquam Lemnum venit in expeditione belli Trojani. *Idem*.

40. *Necesse est enim*] In contradictione disjunctiooum oecessitas est: proiode pars altera vera, altera falsa est. Ea ratio erat Diodori. *Idem*.

41 *Ex contrariis Sauciabitur*, aut, *Non sauciabitur* Philoctetes, verum dicebant; nec tamen *Sauciabitur*, verum; nec *Nau sauciabitur*, falsum. *Idem*.

42 *Nec verum, nec falsum*] In Epicureos argumentatur, qui ista enuntiata oec vera, nec falsa dicebant. Nam quod oec verum nec falsum est, verum non est: quod verum non est, id falsum est. *Idem*.

qui poteſt non verum eſſe? Tenebitur [43] id, quod a Chryſippo defenditur; Omnem enuntiationem aut veram, aut falſam eſſe: ratio ipſa coget, & ex æternitate quædam vera eſſe, & ea non eſſe nexa cauſis æternis, & a fati neceſſitate eſſe libera.

XVII. Ac mihi quidem videtur [44], cum duæ ſententiæ fuiſſent veterum philoſophorum, una eorum, qui cenſerent omnia ita fato fieri, ut id fatum vim neceſſitatis afferret, in qua ſententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Ariſtoteles fuit: altera eorum, quibus viderentur ſine ullo fato eſſe animorum motus voluntarii: Chryſippus [45], tanquam arbiter honorarius [46], medium ferire [47] voluiſſe. Sed applicat ſe [48] ad eos potius, qui neceſſitate [49] motus animos liberatos volunt. Dum autem verbis utitur ſuis, delabitur in eas difficultates, ut neceſſitatem fati confirmet invitus.

Atque hoc, ſi placet, quale ſit, videamus in aſſenſionibus [50], quas prima oratione tractavi. Eas enim veteres illi, qui-

43 *Tenebitur*] Non negabimus, ut Epicurei, ſed defendemus ex Diodori ſententia, omnem enuntiationem veram aut falſam eſſe: nec ex eo tamen ſequi fatum eſſe, quamvis vera ſint ex æternitate. Non enim erunt ea ex æternis apta & nexa cauſis, quæ fati neceſſitatem habeant. *Idem*. Lego cum noſtris Mſſ. *Tenebitur ergo id.* Daviſius.

44 *At mihi quidem videtur*] Duæ veterum ſententiæ fuerunt: una eorum qui fato fieri omnia cenſebant: altera eorum qui neque fatum ponebant, & voluntarios animi motus eſſe dicebant. Chryſippus & fatum probavit, & voluntatis libertatem retinuit. *Turnebus*.

45 *Chryſippus tanquam*] Eam ſententiam ferre Chryſippus videtur, & ita rem diſceptare, ut & fato omnia fiant, & aliquid ſit in noſtra poteſtate. *Idem*.

46 *Honorarius arbiter*] Is eſt quem litigantes honoris cauſa delegerunt diſceptatorem controverſiæ ſuæ. *Idem*.

47 *Medium ferire*] Ab ictu ductum & petitione. Mediam quandam ſecutus eſt ſententiam. *Idem*.

48 *Sed applicat ſe*] In eorum tamen eſt ſententiam propenſior, qui fatum negant, & voluntatis motus liberos, non coactos, putant, cum in fato neceſſitatem non ponat, ſed propenſionem & inclinationem. Ductum ab alienigenis, qui Romæ ad aliquem patronum ſe applicabant. *Idem*.

49 *Neceſſitate motus* animos *liberatos*] Hæc non tentarunt viri docti, quod vocem *motus* in gignendi caſu poſitam eſſe cenſuerunt. Sed ea σύνταξις abſurdum nulloque modo verum parit ſenſum. Omnino legendum, *motus animi*, prout vidit etiam Mer. Caſaubonus ad Antonini lib. III. *Daviſius*. Si per *neceſſitatem motus*, intelligamus non eam, qua non poſſit abſque motu eſſe animus, quo ſenſu abſurdiſſimo lectionem hanc urſiſſe videntur eruditi; ſed eam neceſſitatem, qua non poſſit animus aliter moveri ac moveatur; non videtur tam incommodus loci ſenſus, ut admitti plane nequeat. *Vvonkenſ.*

50 *In aſſenſionibus*] Quas συγκαταθέσεις vocant; id eſt approbationes. Viſis autem quæ propriam habent declarationem earum rerum quæ videantur, fides & aſſenſio adjungitur. Ac primum quidem cum quid objicitur ſenſibus, phantaſia eſt, id eſt viſum: quam ſequitur aſſenſio: aſſenſionem comprehenſio. Nam cum viſum acceptum & approbatum erat, comprehenſionem vocabant. *Turnebus*.

quibus omnia fato fieri videbantur, vi effici & necessitate dicebant. Qui autem ab his dissentiebant, fato assensiones liberabant; negabantque, fato assensionibus adhibito, necessitatem ab his posse removeri: iique ita disserebant: „ Si omnia fato „ fiunt, omnia fiunt causa antecedente: &, si appetitus; illa „ etiam, quæ appetitum sequuntur. Ergo etiam assensiones. „ At, si causa appetitus non est sita in nobis, ne ipse qui- „ dem appetitus est in nostra potestate. Quod si ita est, ne „ illa quidem, quæ appetitu efficiuntur, sunt sita in nobis. „ Non sunt igitur neque assensiones, neque actiones in nostra „ potestate. Ex quo efficitur, ut nec laudationes justæ sint, „ nec vituperationes, nec honores, nec supplicia. Quod cum vitiosum sit, probabiliter concludi putant, non omnia fato fieri, quæcumque fiant.

XVIII. Chrysippus autem cum & necessitatem improbaret [51], & nihil vellet sine præpositis causis evenire, causarum genera distinguit, ut & necessitatem effugiat, & retineat fatum. Causarum enim, inquit, aliæ sunt perfectæ & principales: aliæ adjuvantes & proximæ. Quamobrem cum dicimus, omnia fato fieri causis antecedentibus, non hoc intelligi volumus, causis perfectis & principalibus, sed causis adjuvantibus, antecedentibus, & proximis. Itaque illi rationi, quam paulo ante conclusi [52], sic occurrit: Si omnia fato fiant, sequi illud quidem, ut omnia causis fiant antepositis; verum non principalibus & perfectis, sed adjuvantibus & proximis. Quæ si ipsæ non sint in nostra potestate, non sequitur, ut ne appetitus quidem sit in nostra potestate. At hoc sequeretur, si omnia perfectis & principalibus causis fieri diceremus, ut, cum hæ causæ non essent in nostra potestate, ne ille quidem esset in nostra potestate.

Quamobrem qui ita fatum introducunt, ut necessitatem adjun-

51 *Necessitatem improbaret*] Fatum enim nectit Chrysippus ex causis præcurrentibus, non necessariis tamen. Cicero in Topicis cap. 15. *Alia autem præcursionem quandam adhibent ad efficiendum, & quædam afferunt per se adjumenta, etsi non necessaria, ut amori congressio causam attulerit, amor flagitio. Ex hoc genere causarum, ex æternitate pendentium, fatum a Stoicis nectitur.* Ita cum a fato Chrysippus necessitatem removeret, aliquid in nostra potestate relinquebat. *Idem.*

52 *Paulo ante conclusi*] Ea est, Si omnia fato fiunt, omnia fiunt causa antecedente. *Idem.*

jungant, in eos valebit illa conclusio. Qui autem causas antecedentes non dicent perfectas, neque principales, in eos nihil valebit. Quod enim dicantur assensiones fieri causis antepositis, id quale sit, facile a se explicari putant. Nam quanquam assensio non possit fieri nisi commota viso [53]: tamen cum id visum proximam causam [54] habeat, non principalem, hanc habet rationem (ut Chrysippus vult) quam dudum diximus, non ut illa [55] quidem fieri possit nulla vi extrinsecus excitata, (necesse est enim assensionem viso commoveri) sed revertitur [56] ad cylindrum, & ad turbinem suum, quæ moveri incipere, nisi pulsa, non possunt. Id autem cum accidit, suapte natura, quod superest, & cylindrum volvi, & versari turbinem putat.

XIX. Ut igitur, inquit, qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit: sic visum objectum imprimet illud quidem, & quasi signabit [57] in animo suam speciem: sed assensio nostra erit in potestate: eaque, quemadmodum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa [58], quod reliquum est suapte vi & natura movebitur. Quod si aliqua res efficeretur sine causa antecedente, falsum esset omnia fato fieri. Sin omnibus, quæcumque fiunt, verisimile est causam antecedere; quid afferri poterit, cur non omnia fato fieri fatendum sit; modo intelligatur, quæ sit causarum distinctio [59] ac dissimilitudo?

Hæc cum ita sint [60] a Chrysippo explicata, si illi, qui ne-

53 *Commota viso*] Visum antecedit approbatinnem: visis enim perspicuis credimus & assentimur. Sic autem interpretari solet φαντασίαν Cicero. *Idem*.

54 *Proximam causam*] Eventu & rei propinquiorem: etsi illa antecedens est & externa. Proxima igitur est quæ προσεχὲς dicitur: eadem etiam interdum continens dicitur, id est cohærens & conjuncta cum re, ut paulo post. Continentem aliam posuerunt causam Stoici omnia pervadentem & penetrantem, quem spiritum appellavere, rei cujusque vim naturamque foventem & arcentem. Causæ antecedentes & antegressæ sunt προκαταρκτικὰ & προηγούμενα αἴτια, sive necessariæ sint, sive non sint. *Idem*.

55 *Non ut illa quidem*] Ut sine visu fieri non possit; nec tamen in visi impulsione necessaria sit approbarionis causa, sed tanquam principium & adjumentum, reliquo animi motu libero & soluto. *Idem*.

56 *Sed revertitur*] Gellius libro VI. cap. 2. istam Chrysippi sententiam explicat & laudat. *Idem*.

57 *Et quasi signabit in animo*] Ductum ab annulis signatoriis speciem in cera signantibus. *Idem*.

58 *Extrinsecus pulsa*] Viso commota. *Id.*

59 *Distinctio*] Ut quædam perfectæ sint & principales; quædam adjuvantes, ex quibus fatum texitur. *Idem*.

60 *Hæc cum ita sint*] Sic disceptat contro-

negant assensiones fato fieri [61], fateantur tamen [a] eas, sine viso antecedente fieri; alia ratio [62] est. Sed si concedunt anteire visa, nec tamen fato fieri assensiones, quod proxima illa & continens causa non moveat assensionem: vide, ne idem dicant. Neque enim Chrysippus concedens assensionis proximam & continentem causam esse in viso positam, eam causam [63] ad assentiendum necessariam esse concedet, ut, si omnia fato [64] fiant, omnia fiant causis antecedentibus & necessariis: [b] itemque illi, qui ab hoc dissentiunt, confitentes non fieri assensiones sine præcursione visorum, dicent, si omnia fato fierent ejusmodi, ut nihil fieret, nisi prægressione causæ, confitendum esse fato fieri omnia. Ex quo facile intellectu est, quoniam utrique, patefacta atque explicata sententia sua, ad eundem exitum veniant, verbis eos, non re dissidere. Omninoque cum hæc sit distinctio, ut quibusdam in rebus vere dici possit, cum hæ causæ antegressæ sint, non esse in nostra potestate, quin illa eveniant, quorum causæ fuerint: quibusdam autem in rebus, causis antegressis, in nostra tamen esse potestate, ut aliud aliter eveniat: hanc distinctionem utrique approbant. Sed alteri censent, quibus in rebus cum causæ antecesserint, ita, ut non sit in nostra potestate, ut aliter illa eveniant, illas fato [65] fieri: quæ autem in nostra potestate sint, ab his [66] fatum abesse * * *

XX. Hoc modo hanc causam disceptari oportet; non ab atomis

troversiam Chrysippi, fatum ex præcurrentibus causis & non necessariis nectentis, voluntatisque libertatem retinentis, & eorum qui fatum negant, ut eos verbis, non re dissidere doceat: quod consequitur, explicata utrorumque sententia. *Idem*.

61 *Fato fieri*] Sed liberas esse. *Idem*.

a Vict. Man. Grut. *eas non sine*

62 *Alia ratio*] Non enim tantum verbis, sed re etiam dissentirent, si præcurrere visum negarent: & a se animum libere sine specie oblata moveri dicerent. *Id.*

63 *Eam causam*] Proximam & continentem. *Idem*.

64 *Ut si omnia fato*] Quod fieret, si causa necessaria & principalis esset. *Idem*.

b Lamb. *neque illi*

65 *Eas fato fieri*] Disputatio de vocabulo est, quid fatum sit. Nam hi, qui fato omnia fieri negant, fatum tantum ponunt in principalibus & necessariis causis: quæ quidem fati vera est notio, cui vim affert Chrysippus, ut aliquid in nostra potestate relinquat, nam contra omnium sententiam fatum necessitate liberat, & in prægressione causarum adjuvantium ponit. *Idem*.

66 *Ab his fatum*] In quibus tamen a Chrysippo etiam fatum ponitur. Docuit ergo paulo ante Cicero Chrysippum, dum aliquid in nostra potestate relinquit, in eorum sententiam esse delapsum, qui omnia fato fieri negant. Mox Epicurum dicet fatum sine necessitate sequi potius debuisse, quam commentitios motus afferre. Nam ita defendere posset quendam esse animi motum voluntarium, si in fato necessitas nulla esset. *Idem*.

tomis errantibus, & de via declinantibus præsidium petere. Declinat, inquit, atomus. Primum cur? Aliam enim quandam vim motus habebunt a Democrito impulsionis, quam plagam ille appellat: a te, Epicure, gravitatis & ponderis. Quæ ergo nova causa in natura est, quæ declinet atomum? Aut num sortiuntur inter se, quæ declinet, quæ non? aut cur minimo declinent intervallo, majore non? aut cur declinent uno minimo, non declinent duobus aut tribus? Optare hoc quidem est, non disputare. Nam neque extrinsecus impulsam atomum loco moveri & declinare dicis: neque in illo inani, per quod feratur atomus, quidquam fuisse causæ, cur ea non e regione ferretur: nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum est, quamobrem naturalem sui ponderis motum non teneret. Ita cum attulisset nullam causam, quæ istam declinationem efficeret; tamen aliquid sibi dicere videtur: cum id dicat, quod omnium mentes adspernentur ac respuant.

Nec vero quisquam magis confirmare mihi videtur non modo fatum, verum etiam necessitatem & vim omnium rerum, sustulisseque motus animi voluntarios; quam hic, qui aliter obsistere fato fatetur se non potuisse, nisi ad has commentitias declinationes confugisset. Nam, ut essent atomi, quas quidem esse, mihi probari nullo modo potest: tamen declinationes istæ nunquam explicarentur. Nam si atomis, ut gravitate ferantur, tributum est necessitate naturæ, quod omne pondus nulla re impediente moveatur & feratur necesse est: illud quoque necesse est, declinare quibusdam atomis, vel, si volunt, omnibus [67] naturaliter .... *Multa desiderantur*.

67 *Omnibus naturaliter*] In fine, non minus ac in reliquis partibus, mancus & mutilus est hicce liber. Ex eo tamen fragmenta quædam tenuja servarunt Agellius, N. A. lib. VI. cap. 2. & Macrobius, Saturn. lib. II. cap. 12. Nec aliunde, nisi fallor, hausta sunt ea, quæ Servius habet ad Virg. Æn. III. 376. *Davis.*

DE

DE LEGIBUS,

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

EDitis de Rep. libris, Cicero Platonis exemplo de Legibus scribere instituit, & suæ Reip. quam ex populi potestate & optimatum auctoritate temperarat, (eam enim temperationem probat lib. III. de Legibus) leges dare consentaneas. Cujus disputationis principium repetit ex Stoicorum philosophia, non ex ratione populari: quorum instituto emendationem vitiorum commendationemque virtutum lege contineri tradit, totamque legis vim & potestatem libri primi explicatione complectitur. Nam lex ultima ex Stoicorum commentariis, non Jurisconsultorum libellis, qui ad ejus vim nunquam aspirarunt, ab eo describitur mens Dei optimi maximi omnia ratione jubentis & vetantis, a qua hominum vera lex proficiscitur, quæ est ratio sapientis apta ad jubendum & vetandum. Atque hoc primi libri argumentum est, quod articulatim distinguitur, ut capitibus certis scholam quamque comprehendere Stoici solebant. Vim autem illius legis, de qua libro primo disserit, sic idem quoque libro tertio de Rep. describebat: Est quidem vera lex, *&c. Vide Fragmenta, Quod si quis existimat libri primi disputationem e Platonis libris esse sumptam, ei Q. Ciceronis auctoritatem opponemus, qui in hac disputatione Platonem nullo modo agnoscit. Quid autem eum locum adscribere vetat, præsertim nostræ sententiæ approbatorem & astipulatorem? Sic igitur scribitur initio libri* II. Habes legis procemium: sic enim hoc appellat Plato. *Q.* Habeo vero, frater, & in hoc admodum delector, quod in aliis rebus aliisque sententiis versaris atque ille: nihil enim tam dissimile est, quam vel ea quæ ante dixisti, vel hoc ipsum legis exordium. Unum illud mihi videris imitari, orationis genus. *Hic igitur merito culpari non possumus, quin ante Quintus re-*

pre-

prebendatur, qui bujus erroris, si quis est, dux nobis & auctor fuit: & Quinti sententia, qui ista in Platone conquirunt, vehementer errant. Secundus liber constitutionem religionis & sacerdotum continet: tertius magistratuum descriptionem: sequentibus libris, qui temporis injuria interciderunt, de jure populi Romani disputabat, ut ex tertio extremo intelligi potest, in quo ita scribit, Ac de jure naturæ cogitare per nos atque dicere debemus: de jure populi Romani, quæ relicta sunt & tradita. *Scripsit autem Cicero hos libros ante bella civilia, P. Clodio jam occiso, velut ex lib. 11. intelligi potest. Atque, ut conjicio, absolutis de Rep. libris hos aggressus est scribere; non tamen, ut reor, eos edidit, quod fortasse summam iis manum non imposuisset, neque eos perpolisset: sed, eo jam interfecto, publicati sunt. Itaque eorum libro posteriore de Divinatione non meminit. In quodam autem exemplari Ms. sic horum librorum inscriptionem reperi*, M. Tullii Ciceronis Liber de Jure Civili et Legibus. *Veriorem tamen titulum* de Legibus *censeo, vel auctore Cicerone, qui se Platonis exemplo de legibus scribere profitetur; quanquam de jure civili hic etiam differebatur. Scripserat & librum* de jure civili in artem redigendo, *ut auctor est Gellius l. 22. quem librum a Quintiliano XII. 3. etiam significari putem, non hos tantum, cum ait M. Tullium* aliquid de jure civili componere cœpisse. Turnebus.

Procemium deesse censet Turnebus, aliique nonnulli. Me vero non habet assentientem: nam quatuor prima capita quintique pars susceptæ disputationi præmissa sunt, adeoque Procemii vicem supplent. Davisius.

T. POMPONIUS ATTICUS. M. T. CICERO. Q. FRATER.

I. ATTICUS. Lucus [1] quidem ille, & hæc Arpinatium quercus agnoscitur, sæpe a me lectus [2] in Mario [3]. Si manet illa quercus, hæc est profecto: etenim est sane vetus. QUINTUS. Manet vero, Attice noster, & semper manebit; sata est enim ingenio. Nullius autem agricolæ cultu stirps tam diuturna, quam poetæ versu, seminari potest. ATT. Quo tandem modo, Quinte? aut quale est istuc, quod poetæ serunt? Mihi enim videris, fratrem laudando [4] suffragari tibi [5]. QUINT. Sit ita sane. Verumtamen, dum Latine loquentur literæ, quercus huic loco non deerit, quæ Mariana dicatur: eaque, ut ait Scævola [6] de fratris mei Mario,

Canescet seclis innumerabilibus.

Nisi

1 *Lucus quidem*] Videtur deesse procemium: prooemiis enim se Aristotelis instituto, qui in ἐξωτερικοῖς præfari solebat, uti consuevisse in Epistolis ad Atticum declarat lib. IV. Epist. 16. Atticus autem sermonem exorditur, eum agnoscens lucum, eamque quercum, quem in Mario Cicero descripserat. Tum enim primum in Arpinatem agrum venerat, ut ex secundo libro cap. 10. conjici facile potest. *Equidem qui nunc potissimum huc venerim, satiare non queo.* Lucus longinquior erat, quercus propinquior: hæc in agro Arpinati, ille fortasse extra territorium Arpinatum. Solebant autem prisco ritu rura & municipia, ut credo, præcellentem aliquam arborem diis dicare, potissimumque quercum, eamque spoliis interdum & exuviis hostium ornare: qualis hæc Arpinatium, ut opinor, fuit. Aut ob Marium certe ea ab Arpinatibus colebatur. Agnoscit autem Atticus quæ in poemate Ciceronis ante cognoverat. *Turnebus.*

2 *Sæpe a me lectus*] Ita non raro ad longinquius referre solet Cicero, ut ad *lucum* hæc potius retulit quam ad annosam & patulis diffusam ramis *quercum*, unde Mario factum auspicium fuerat. *Idem.*

3 *In Mario*] Marius, Ciceronis poema, quo res a Mario municipe suo gestas adolescens explicarat ad gloriam suæ germanæ patriæ. Marianam porro quercum, quam hic celebrat, in poemate a Mario appellarat; vel ob augurium, quod inde Mario adolescenti factum fuit, eum, ut Plutarchus auctor est, nidum aquilæ, in quo septem pulli erant, reperit: vel ob augurium, quod Marius urbe pulsus in quercu illic fortasse notavit, ut recitat Cicero lib. I. de Divinatione, cap. 47. vel denique ob aliud quoddam auspicium, quando poemate amisso perdifficilis est conjectura. Hoc autem constat, C. Marium augurii peritissimum fuisse, & in poemate ideo auspicia ei facta Ciceronem fortasse finxisse, ut intelligenti. *Idem.*

4 *Fratrem laudando*] Nempe quod Quintus etiam Cicero poeta esset. Vide lib. I. ad Quint. fratr. ep. 16. & III. 6. *Idem.*

5 *Suffragari tibi*] Laudi tuæ inservire, qui æternitate donari putes ea de quibus poetæ memorant. *Idem.*

6 *Ut ait Scævola*] Cicero sumpta virili toga a patre ad Scævolam augurem deductus est, ut scribit in Lælio. Eo mortuo se contulit ad pontificem, eique operam dedit; quo tempore, ut reor, etiam Marium scripsit: & Scævola in poema Ciceronis, ingenium ejus admiratus, ut suspicor, scripserat epigramma. *Idem.*

Nisi forte Athenæ [7] tuæ sempiternam in arce oleam tenere potuerunt; aut, quod Homericus [8] Ulysses Deli se proceram & teneram palmam vidisse dixit, hodie monstrant eandem: multaque alia multis locis diutius commemoratione manent, quam natura stare potuerunt. Quare glandifera illa quercus, ex qua olim evolavit

Nuntia fulva [9] *Jovis, miranda visa figura*,

nunc sit hæc. Sed cum eam tempestas, vetustasve consumpserit, tamen erit his in locis quercus, quam Marianam quercum vocent.

ATT. Non dubito id quidem: sed hoc jam non ex te, Quinte, quæro, verum ex ipso poeta; tuine versus hanc quercum severint, an ita factum de Mario, ut scribis, acceperis? MAR. Respondebo tibi equidem, sed non ante, quam mihi tu ipse responderis, Attice: certene, non longe [10] a tuis ædibus inambulans, post excessum suum Romulus [11] Proculo Julio dixerit, se deum esse, & Quirinum [12] vocari, templumque sibi dedicari in eo loco jusserit? Et verumne sit, Athenis, non longe item a tua illa antiqua domo, Orithyiam Aquilo sustulerit? Sic enim est traditum. ATT. Quorsum tandem, aut cur ista quæris? MAR. Nihil sane, nisi ne nimis diligenter inquiras in ea, quæ isto modo memoriæ sint prodita. ATT. Atqui multa quæruntur in Mario, fictane, an

7 *Nisi forte Athenæ*] Id est, quasi vero Athenis non hominum commemoratione & opinione potius quam natura stirps illa oleæ inveterarit. Oleam autem illam intelligit, quam in certamine Pallas edidit, ut Athenis nomen imponeret, quæ Plinii quoque ætate superstes censebatur esse. Plinius lib. xvi. §. 89. Eam in arce natam fuisse Varro lib. 1. de R. R. cap. 2. docet. *Idem.*

8 *Homericus Ulysses*] Locus est Odyss Z. 162. de Nausicaa, quam teneræ & proceræ palmæ Ulysses comparat. *Idem.*

9 *Nuntia fulva*] Id est, aquila. Versus ex Ciceronis Mario. *Idem.*

10 *Non longe a tuis ædibus*] Habitavit Atticus *in colle Quirinali*, in *Pamphiliana* domo *ab avunculo hereditate relicta*, ut scribit Nepos, Attic. cap. 13. 2. & prope templum Quirini domus Attici erat, ut scribitur a Victore: & lib. 12. epist. ad Att. ep. 45. *Idem.*

11 *Romulus*] Vide Livium lib. 1. ab urbe condita. *Idem.*

12 *Quirinum*] Sæpe qui in deorum numerum referebantur, nomen mutabant, ut ait Lactantius. Etiam inde usque ab Homero opinio fuit aliis res vocabulis apud deos esse, aliis apud homines. Hinc illud Homeri,

Ξάνθον μιν καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον, &

Χαλκίδα μιν καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Κύμινδιν.

Sic Romulus posteaquam in deos relatus est, Quirinus vocatus est: Ino mater, Matuta: Palæmon, Portunus: Hersilia, Ora. Ovidius, Metam. xiv. 851. Itaque Cicero in Offic. III. 10. cum scribit, *Pace vel Quirini vel Romuli dixerim*, significat, pace ejus dixerim sive homo est, sive deus. *Idem.*

vera ſint : & a nonnullis, quod & in recenti memoria, & in Arpinati [13] homine : [a] ſed veritas a te poſtulatur. MAR. Et mehercule, ego me cupio non mendacem putari : ſed tamen nonnulli iſti, Tite, faciunt imperite, qui in iſto [b] periculo [14] non ut a poeta, ſed ut a teſte, veritatem exigant. Nec dubito, quin iidem, & cum Egeria collocutum Numam, & ab aquila Tarquinio apicem [15] impoſitum putent. QUINT. Intelligo, te, frater, alias in hiſtoria leges obſervandas putare, alias in poemate. MAR. Quippe cum in illa ad veritatem, Quinte, referantur, in hoc ad delectationem pleraque. Quanquam & apud Herodotum, patrem hiſtoriæ, & apud Theopompum ſunt innumerabiles fabulæ.

II. ATT. Teneo quam optabam occaſionem, neque omittam. MAR. Quam tandem, Tite? ATT. Poſtulatur a te jamdiu, vel flagitatur potius hiſtoria. Sic enim putant, te illam tractante, effici poſſe, ut in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus. Atque, ut audias, quid ego ipſe ſentiam, non ſolum mihi videris eorum ſtudiis, qui literis delectantur, ſed etiam patriæ debere hoc munus; ut ea, quæ ſalva per te eſt, per te eundem ſit ornata. Abeſt enim hiſtoria literis noſtris, ut & ipſe intelligo, & ex te perſæpe audio. Potes autem tu profecto ſatisfacere in ea, quippe cum ſit opus, ut tibi quidem videri ſolet, unum hoc oratorium maxime. Quamobrem aggredere, quæſumus, & ſume ad hanc rem tempus, quæ eſt a noſtris hominibus adhuc, aut ignorata, aut relicta. Nam poſt annales pontificum [16] maximorum, quibus nihil

13 *In Arpinati homine*] In municipe tuo, cujus res ſcire potuiſti. Cæterum in ſcripto libro *vel ſeveritas a te poſtulatur* invenio, bono etiam ſenſu; id eſt, nonnulli ſeveram quandam hiſtoriæ fidem a te poſtulant. *Veritatem* tamen probo, cum ſequatur, *me cupio non mendacem putari*. Idem.

a Grut. *vel ſeveritas*

b Vict. Man. *opuſculo*

14 *Qui in iſto periculo*] Sic omnes libri veteres habent: *in iſto periculo*, (inquam) non *in iſto opuſculo:* & ita legendum. *Periculum* autem hoc loco ſignificat id quod fit ab artifice taotum experiendi & periclitandi ingenii gratia, ſeu quod primo ab artifice excogitatur & efficitur, ut poſtea expoliatur & accuratius abſolvatur, ſeu iodicem. *Lambinus*.

15 *Apicem*] Pileum Livius ſcribit: atque hic apex pileus eſt altus in figuram metæ faſtigiatus. *Turnebus*.

16 *Pontificum maximorum*] Annales maximos iotelligit, qui a pontificibus perſcribebantur. Vide lib. I. de Orat. cap. 43. & II. 12. *Idem*.

nihil poteſt eſſe jucundius [17]; ſi aut ad Fabium [18], aut ad eum, qui tibi ſemper in ore eſt, Catonem [19], aut ad Piſonem, aut ad Fannium [20], aut ad Vennonium [21] venias: quanquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile, quam iſti omnes? Fannii autem ætati conjunctus Antipater [22] paulo inflavit vehementius, habuitque vires agreſtes ille quidem atque horridas, ſine nitore ac palæſtra, ſed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius ſcriberent. Ecce autem ſucceſſere huic Gellius [23], Clodius [24], Aſellio: nihil ad Cælium, ſed potius ad antiquorum languorem atque inſcitiam. Nam quid Macrum [25] numerem? cujus loquacitas habet aliquid argutiarum: nec id tamen ex illa erudita Græcorum copia, ſed ex librariolis [26] Latinis: in orationibus autem multus & ineptus [27], ad ſummam impudentiam. Siſenna [28], ejus amicus, omnes adhuc noſtros ſcriptores, niſi qui forte nondum

dum

17 *Quibus nihil poteſt eſſe jucundius*] Ferri quidem hæc lectio poteſt, nec eam improbat Adr. Turnebus, & eam reperi in libris veteribus expreſſam: ſed tamen malim legi, *juncidius*, ſeu *ejuncidius*: quo vocabulo ſæpe utitur Varro in libris de Re Ruſtica. Eſt autem *ejuncidum*, exile, gracile, tenue. Nonnulli legunt hic *nudius*: ſed nimis ab antiqua ſcriptura remotum eſt. Lambin. *Jejunius* mallem, quod a recepta ſcriptura non nimium abeſt, & ſententiæ nihil, ut mihi videtur, aptius excogitari poteſt. *Urſinus*.

18 *Fabium*] In Bruto cap. 21.

19 *Catonem*] Qui libros Originum ſcripſerat; nec tamen titulum operis, ut ait Feſtus, implebat. *Turnebus*.

20 *Fannium*] In Bruto, cap. 26.

21 *Vennonium*] Hic quoque hiſtoriam Latine condidit. Cicero lib. XII. ad Att. ep. 3. *Turnebus*.

22 *Antipater*] In Bruto, cap. 26.

23 *Gellius*] Gulielmus reponebat, *Gellii*. Sextus enim & Cn. Gellius hiſtoriarum ſcriptores fuere. Vide G. J. Voſſium de Hiſt. Lat. I. 8. *Daviſius*.

24 *Clodius*] Clodius Quadrigarius, & Sempronius Aſellio annalium ſcriptores, quorum non raro A. Gellius meminit. *Turnebus*.

25 *Quid Macrum numerem*] Vulgo *Atium*. Permulti vero codices exhibent *Acrum*. Unde *Macrum* legendum veriſſime conjecit *Car. Sigonius*; eamque conjecturam ſuis calculis dudum probarunt eruditi. Hiſtoriarum ſane conditor, cui nomen *Acro*, nullus fuit. Nec *Attio* vel *Accio* datur locus, licet is annales ediderit: verſibus enim ſcripſit, at noſter eorum ſolorum meminit, qui ſoluta oratione ſunt uſi. Vide G. J. Voſſium de Hiſt. Lat. I. 10. *Daviſius*.

26 *Ex librariolis Latinis*] Ex vilibus & inornatis Latinorum libellis. Librarioli venditores & viles ſcribæ libellorum. Id ad contemptum ſcriptorum Latinorum ait. *Turnebus*.

27 *Ineptus, ad ſummam impudentiam*] Ego cum Mſſ. libris inveniam: *In orationibus multus, & ineptus, dacio ſumma impudentia*; facile adducor ad ſuſpicandum, legendum eſſe, *In orationibus multus, & ineptus, in mendacio ſumma impudentia*. Nam ſi recte attenderimus, & impudentiam cum mendacio convenire, & Macrum mendacii nomine a Livio accuſatum inveniemus, libro VII. *Sigonius*, in *Fragmenta Ciceronis*.

28 *Siſenna*] Lucius Siſenna bellum Marſicum ſcripſerat. Prætorius fuit, ut e Corneliana & *Aſconio* intelligitur. Sæpe ejus hiſtoria citatur a *Nonio*. *Varro* librum quendam ejus nomine *Siſennam*, vel de hiſtoria inſcripſerat, ut eſt a Gellio relatum. Deceſſit in Creta, cum illic præeſſet exercitui. *Turnebus*.

dum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit. Is tamen neque orator in numero vestro unquam est habitus, & in historia puerile quiddam consectatur: ut unum Clitarchum [29], neque præterea quemquam, de Græcis legisse videatur: eum tamen velle duntaxat imitari: quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. Quare tuum est munus: hoc a te exspectatur: nisi quid Quinto videtur secus.

III. QUINT. Mihi vero nihil: & sæpe de isto collocuti sumus. Sed est quædam inter nos parva dissensio. ATT. Quæ tandem? QUINT. A quibus temporibus scribendi capiatur exordium? Ego enim ab ultimis censeo [30], quoniam illa sic scripta sunt, ut ne legantur quidem: ipse autem æqualem ætatis suæ memoriam deposcit, ut ea complectatur, quibus ipse interfuit. ATT. Ego vero huic potius assentior. Sunt enim maximæ res in hac memoria atque ætate nostra: tum autem hominis amicissimi Cn. Pompeji [31] laudes illustrabit: incurret [32] etiam in illummet memorabilem annum suum: quæ ab isto malo prædicari, quam, ut ajunt, de Remo & Romulo. MAR. Intelligo equidem a me istum laborem jamdiu postulari, Attice: quem non recusarem, si mihi ullum tribueretur vacuum tempus & liberum. Neque enim occupata opera, neque impedito animo, res tanta suscipi potest. Utrumque opus est, & cura vacare, & negotio. ATT. Quid? ad cætera, quæ scripsisti, plura quam quisquam e nostris, quod tibi tandem tempus vacuum fuit concessum? MAR. Subcisiva [33] quædam tempora incurrunt, quæ ego perire non patior: ut si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur, quæ scribimus. Historia vero nec institui potest, nisi præparato otio; nec exiguo tempore absolvi:

29 *Clitarchum*] Clitarchus rerum Alexandri scriptor, & expeditionum comes fuit. Hujus fidem infamari, ingenium probari scribit Quintilianus. *Idem*.

30 *Ab ultimis censeo*] A primis originibus urbis conditæ. *Idem*.

31 *Pompeji*] Atqui Cicero librum quendam, quem tamen non edidit, & in Pompejum & alios optimates scripserat. Ejus meminit lib. 11. ad Att. epist. 6. *Idem*.

32 *Incurret etiam*] De suo consulatu Cicero commentarium Græce jam scripserat. Vide ad Att. lib. 11. ep. 1. Sed aliud est historiam, aliud commentarium scribere, & tanquam breviarium conficere. *Idem*.

33 *Subcisiva*] Victorius ita, & alii non pauci, a *cædo*: sed melius *subsicivæ*, vel *subsecivæ*, a *seco*. Quæ dicta sint etiam ad paginæ 160. lin. 7.

ſolvi: & ego animi pendere ſoleo, cum ſemel quid orſus traducor alio; neque tam facile interrupta contexo, quam abſolvo inſtituta. ATT. Legationem [34] aliquam nimirum oratio iſta poſtulat, aut ejuſmodi quampiam ceſſionem [35] liberam atque otioſam. MAR. Ego vero ætatis potius vacationi [36] confidebam: cum præſertim non recuſarem, quo minus more patrio ſedens in ſolio conſulentibus reſponderem, ſenectutiſque non inertis grato atque honeſto fungerer munere. Sic enim mihi liceret & iſti rei, quam deſideras, & multis uberioribus atque majoribus, operæ quantum vellem, dare.

IV. ATT. Atqui vereor, ne iſtam cauſam nemo noſcat: tibique ſemper dicendum ſit, & eo magis, quod te ipſe mutaſti, & aliud dicendi inſtituiſti genus: ut quemadmodum Roſcius, familiaris tuus, in ſenectute numeros in cantu ceciderat [37], ipſaſque tardiores fecerat tibias: ſic tu a contentionibus, quibus ſummis uti ſolebas, quotidie relaxes aliquid, ut jam oratio tua non multum a philoſophorum lenitate abſit. Quod ſuſtinere cum vel ſumma ſenectus poſſe videatur, nullam tibi a cauſis vacationem video dari. QUINT. At mehercule ego arbitrabar poſſe id populo noſtro probari, ſi te ad jus reſpondendum dediſſes. Quamobrem, cum placebit, experiendum tibi cenſeo. MAR. Id ſi quidem, Quinte, nullum eſſet in experiendo periculum. Sed vereor, ne, dum minue-

34 *Legationem*] Legationes nonnunquam ſenatores impetrabant, ſine ullo munere & procuratione Reipub. ut perſequerentur ſuas ſyngraphas in provinciis, illicque negotiarentur: & ut libere abeſſe poſſent ab urbe. Earum legationum ante conſulatum Ciceronis tempus erat infinitum. Cicero ad annum redegit: poſtea Cæſar quinquennium lege Julia indulſit. Itaque errant qui ante conſulatum Ciceronis quinquennales fuiſſe ſcribunt. *Libera* autem *legatio* dicebatur, quod libere in quam vellent provinciam, in quam vellent urbem proficiſcerentur; ubi etiam, ante Ciceronis legem, quantum volebant, libere manebant. Impetrabantur & *legationes votivæ*, cum vota quæ voverant, ut verbi gratia, ſi ſtetiſſet reſpublica, ſolvebant: tum autem fana & ſacra loca circuibant.

35 *Ceſſionem*] Ceſſio eſt cum urbe & publico cedimus, & rus ſecedimus. Ductum videri poteſt a ceſſione quæ fit in jure. Hujus meminit in Topicis Cicero. Atque hæc veterum librorum ſcriptura eſt: alii *ceſſationem* legunt. *Idem*.

36 *Vacationi*] Quia ſenibus militiæ vacatio datur & aliorum munerum, ut in aliis rebus eodem modo uſurpari debeat, ut in cauſis agendis. Sexagenariis autem a muneribus civilibus ætatis vacatio dabatur: quinquagenariis a militaribus. Cicero autem cum hos libros ſcripſit, non longe a ſexagenario aberat. *Idem*.

37 *Ceciderat*] Ita Manutius, & Gruterus. Sed Victorius, & Turnebus, *cecinerat*; Lambinus, *numeros & cantus remiſerat* vel *reciderat*, ex conjectura: Daviſius, *remiſerat*, item ex ingenio. Quid autem Cicero ſibi velit hoc in loco, ipſe aperit in lib. 1. de Orat. quem videas, cap. 60.

minuere velim laborem, augeam, atque ad illam causarum operam, ad quam ego nunquam, nisi paratus & meditatus accedo, adjungatur hæc juris interpretatio, quæ non tam mihi molesta sit propter laborem, quam quod dicendi cogitationem auferat, sine qua ad nullam majorem unquam causam sum ausus accedere.

ATTICUS. Quin igitur ista ipsa explicas nobis his subcisivis, ut ais, temporibus, & conscribis de jure civili subtilius, quam cæteri? Nam a primo tempore ætatis juri studere te memini, cum ipse etiam ad Scævolam [38] ventitarem: neque unquam mihi visus es ita te ad dicendum dedisse, ut jus civile contemneres. MAR. In longum sermonem me vocas, Attice: quem tamen, nisi Quintus aliud quid nos agere mavult, suscipiam: & quoniam vacui sumus, dicam. QUIN. Ego vero libenter audierim. Quid enim agam potius? aut in quo melius hunc consumam diem?

MARCUS. Quin igitur ad illa spatia nostra, sedesque pergimus? ubi, cum satis erit deambulatum, requiescemus. Nec profecto nobis delectatio deerit, aliud ex alio quærentibus. ATT. Nos vero: & hac quidem adire [39], si placet, per ripam & umbram. Sed jam ordire explicare, quæso, de jure civili quid sentias. MAR. Egone? summos fuisse in civitate nostra viros, qui id interpretari populo, & responsitare soliti sint: sed eos magna professos, in parvis esse versatos. Quid enim est tantum, quantum jus civitatis? quid autem tam exiguum, quam est munus hoc eorum, qui consuluntur? quanquam est populo necessarium. Nec vero eos, qui ei muneri præfuerunt, universi juris expertes fuisse existimo; sed hoc civile quod vocant, eatenus exercuerunt, quoad populum præstare voluerunt. Id autem incognitum [40] est, minusque in usu

38 *Ad Scævolam*] De quo in Bruto, cap. 89.

39 *Hac adire*] Vetus scriptura est, *hac adire*, id est ad spatia ire per ripam opacam. Alii *hac adire*, id est hac via ad spatia ire, quod etiam placet. Ripam autem fluminis Liris intelligit. *Turnebus*.

40 *Incognitum est*] Quasi vero ignoretur usitatum istud jus civile, & non plurima de eo scripta extent. Alii legunt, *Id autem cognitum est, in usu necessarium*. Ut jus illud jurisconsultorum utilitate commendatum esse dicat: cognitum enim est necessarium esse. Usus autem non docet esse necessarium jus illud de quo philosophi disputant. *Idem*.

su necessarium. Quamobrem quo me vocas? aut quid hortaris? ut libellos conficiam de stillicidiorum ac de parietum jure? aut ut stipulationum, & judiciorum formulas componam? quæ & conscripta sunt a multis diligenter, & sunt humiliora, quam illa, quæ a vobis exspectari puto.

V. ATT. Atqui, si quæres, ego quid exspectem: quoniam scriptum est a te de optimo reipublicæ statu, consequens esse videtur, ut scribas tu idem de legibus. Sic enim fecisse video Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maxime diligis. MAR. Visne igitur, ut ille Crete cum Clinia, & cum Lacedæmonio Megillo, æstivo, quemadmodum describit, die, in cupressetis [41] Cnosiorum, & spatiis silvestribus, crebro insistens, interdum acquiescens, de institutis rerum publicarum, ac de optimis legibus disputat: sic nos inter has procerissimas populos, in viridi opacaque ripa inambulantes, tum autem residentes, quæramus iisdem de rebus aliquid uberius, quam forensis usus desiderat? ATT. Ego vero ista audire cupio. MAR. Quid ait Quintus? QUINT. Nulla de re magis. MAR. Et recte quidem. Nam sic habetote, nullo in genere disputandi magis honeste patefieri, quid sit homini tributum natura; quantam vim rerum optimarum mens humana contineat; cujus muneris colendi efficiendique causa nati & in lucem editi simus; quæ sit conjunctio hominum, quæ naturalis societas inter ipsos. His enim explicatis, fons legum & juris inveniri potest.

ATT. Non ergo a prætoris edicto, ut plerique nunc; neque a XII tabulis, ut superiores; sed penitus ex intima philosophia hauriendam juris disciplinam putas. MAR. Non enim id quærimus hoc sermone, Pomponi, quemadmodum caveamus [42] in jure, aut quid de quaque consultatione [43] res-

41 *In cupressetis Cnosiorum*] Ad hæc *Cnosiorum* celebranda *cupresseta*, quod eo arboris genere locus abundaret, in numismatibus Cnosiorum argenteis, quæ apud me sunt, cupressus arbor incisa est. *Ursinus*.

42 *Caveamus*] Cavet jurisconsultus in jure, cum præsto est clienti suo apud prætorem, eumque ne capiatur & fallatur ab adversario instruit. *Turnebus*.

43 *Consultatione*] Quæstio est de qua consulitur jurisconsultus. Thesin hoc nomine explicat in Partitionibus, ut hypothesin causam vocat, in consuetudinem Romanorum ista traducens, cum jurisconsulti jus expendant universum, oratores singulorum causas agant. *Idem*.

pondeamus. Sit ista res magna, ficut eft: quæ quondam a multis claris viris, nunc ab uno [44] fumma auctoritate & fcientia fuftinetur. Sed nobis ita complectenda in hac difputatione tota caufa eft univerfi juris, ac legum: ut hoc, civile quod dicimus, in parvum quendam & anguftum locum concludatur. Natura enim juris explicanda eft nobis, eaque ab hominis repetenda natura: confiderandæ leges, quibus civitates regi debeant: tum hæc tractanda, quæ compofita funt & defcripta, jura & juffa populorum, in quibus ne noftri quidem populi latebunt, quæ vocantur jura civilia.

VI. QUINTUS. Alte vero, &, ut oportet, a capite, frater, repetis quod quærimus: & qui aliter jus civile tradunt, non tam juftitiæ, quam litigandi tradunt vias. MAR. Non eft ita, Quinte: ac potius ignoratio juris litigiofa eft, quam fcientia. Sed hæc pofterius: nunc juris principia videamus. Igitur doctiffimis viris proficifci placuit a lege: haud fcio [45] an recte, fi modo, ut iidem definiunt, Lex eft ratio [46] fumma, infita in natura [47], quæ jubet ea, quæ facienda funt, prohibetque contraria. Eadem ratio cum eft in hominis mente confirmata [48] & confecta, lex eft.

Itaque arbitrantur, prudentiam effe legem, cujus ea vis fit, ut recte facere jubeat, vetet delinquere: eamque rem [49] illi Græ-

44 *Nunc ab uno*] Intelligo Servium Sulpitium, peritiffimum jurifconfultum, quem in Bruto mirum in modum laudat. *Idem*.

45 *Haud fcio an recte*] Id eft, recte ut opinor. Ut de Finibus, *Quem haud fcio an recte dixerim principem philofophorum*. Idem.

46 *Lex eft ratio fumma*] Tota ifta de lege difputatio ex libris Chryfippi de legibus fumpta eft. Stoici autem legem fummam effe cenfent mentem rationemque divinam, recta pravaque fancientem, ex qua lex humana rite laudata fit, quæ nihil aliud eft quam mens & ratio fapientis ad recte facta vocans, & a peccatis avocans. Iftam autem fuiffe eorum fententiam de lege, ex Laertio VII. 80. intelligi poteft. Vide de Nat. Deor. I. 14. *Idem*.

47 *Infita in natura*] In illa rerum parente natura univerfi gubernatrice, atque adeo in fummo & præpotente Deo. Stoicis enim Deus & natura idem funt. Itaque lib. II. in ejufdem legis definitione in naturæ locum Deum fubftituet, fic fcribens, cap. 4. *Ita principem illam legem & ultimam, mentem effe dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei*. Idem.

48 *Confirmata & confecta*] Ratio enim in homine inchoata eft & infirma, rectique & iniqui in hominibus intelligentia non fatis eft enodata, nec fatis firma & perfecta: fed confirmata eft & confecta in mente fapientis ratio, eaque lex eft. Nam inter deos & homines intereft, quod in diis fponte naturæ abfoluta ratio eft, in hominibus infirmior eft; convalefcit autem doctrina, præceptione, inftitutione, ufu etiam fine præceptione. *Idem*.

49 *Eamque rem illi*] Legem Græci νόμον παρὰ τὸ νέμειν, a tribuendo vocant: legis enim & æquitatis eft fuum cuique tribuere. *Idem*.

Græco putant nomine, a suum cuique tribuendo appellatam: ego nostro a legendo [50]: nam ut illi æquitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus; & proprium tamen utrumque legis est. Quod si ita recte dicitur, ut mihi quidem [51] plerumque videri solet: a lege ducendum est juris exordium. Ea est enim naturæ vis: ea mens ratioque prudentis: ea juris atque injuriæ regula. Sed quoniam in populari ratione [52] omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit, & eam legem, quæ scripto sancit quod vult, aut jubendo, aut vetando, ut vulgus, appellare. Constituendi vero juris ab illa summa lege capiamus exordium, quæ seculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas constituta.

QUINT. Commodius vero, & ad rationem instituti sermonis sapientius. MAR. Visne ergo ipsius juris ortum a fonte repetamus? quo invento, non erit dubium, quo sint hæc referenda, quæ quærimus. QUIN. Ego vero ita faciendum esse censeo. ATT. Me quoque adscribito fratris sententiæ. MAR. Quoniam igitur ejus reipublicæ, quam optimam esse docuit in illis sex libris Scipio [53], tenendus est nobis & servandus status, omnesque leges accommodandæ ad illud civitatis genus; ferendi [54] etiam mores, nec scriptis omnia sancienda: repetam stirpem juris a natura, qua duce est nobis omnis disputatio explicanda. ATT. Rectissime: & quidem ista duce errari nullo pacto potest.

VII. MAR. Dasne igitur [55] hoc nobis, Pomponi, (nam Quinti novi sententiam) deorum immortalium vi, natu-

 ra,

50 *A legendo*] A deligenda, ut in lege insit delectus rerum agendarum. Alii putant quod legenda cognoscendaque populo proponeretur. *Idem*.

51 *Ut mihi quidem*] Ita loquitur ut Academicus, nihil magnopere affirmans. Itaque paulo ante dixerat, *haud scio an recte*, infirmo quodam assensu. *Idem*.

52 *Populari ratione*] Nos aliquando nomen legis de lege populari intelligemus & usurpabimus, a qua lege, qui non esset in philosophia versatus, juris primordium esse repetendum putasset. *Idem*.

53 *Scipio*] Cujus ore Ciceronis de optimo Reip. statu sententia in libris de Repub. explicabatur. *Idem*.

54 *Ferendi etiam*] Non omnia legis imperio cavenda sunt, sed de virtute & vitiis in disputatione multa ponenda, & de disciplina, & de origine naturaque juris, quæ res bonos mores feret. *Idem*.

55 *Dasne hoc igitur*] Pomponius Atticus sectam Epicuri sequebatur. Epicurus autem non solum providentiam, sed ut colligit Cicero, deos etiam prope negabat. *Idem*.

ra, ratione, potestate, mente, numine, sive quod est aliud verbum, quo planius significem quod volo, naturam omnem regi? Nam si hoc non probas, ab eo nobis causa ordienda est potissimum. ATT. Do sane, si postulas: etenim propter hunc concentum avium, strepitumque fluminum [56], non vereor condiscipulorum ne quis exaudiat. MAR. Atqui cavendum est. Solent enim, id quod virorum bonorum [57] est, admodum irasci. Nec vero ferent, si audierint, te primum [58] caput libri [59] optimi prodidisse: in quo scripsit,

Nihil curare deum, nec sui, nec alieni.

ATT. Perge, quæso, nam id, quod tibi concessi, quorsum pertineat, exspecto. MAR. Non faciam longius: huc enim pertinet. Animal hoc providum, sagax, multiplex [60], acutum, memor, plenum rationis & consilii, quem vocamus Hominem, præclara quadam conditione generatum esse a summo Deo [61]. Solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis, particeps rationis [62] & cogitationis, cum cætera sint omnia expertia. Quid est autem, non dicam in homi-

56 *Fluminum*] Liris & Fibreni, qui in asperis illis Arpinatium locis strepebant. *Idem*.

57 *Virorum bonorum*] Quod non reprehendo; nam bonorum animi sunt irritabiles. Itaque non damno quos irasci dico: sed & boni aliam in partem, dicuntur Epicurei, scilicet simplices & minime mali. Vide Cic. III. Tuscul. cap. 21. Tuscul. cap. 3. Itaque jocus est ex ambiguo, eosque ostendit, cum ratione non possint, iracundia pro secta propugnare solere. *Idem*.

58 *Primum caput*] Epicurus librum quendam κυρίας δόξας inscripsit, cujus prima hæc est sententia. Vide lib. 1. de Nat. D. cap. 30. *Idem*.

59 *Caput* libri *optimi prodidisse, in quo scripsit*] Omnes MSS. dant *capituli*, non *caput libri*, manifesto errore; Aldus vero, cum viderit nihil in vulgata lectione antecedere, ad quod referatur verbum *scripsit*, reposuit *caput viri*. Bene; nam Noster ita loquitur in Lucullo IV. 32. *Ita, nobis tacentibus, ex uno* Epicuri capite, *altero vestro, perceptio & comprehensio tollitur*. Per vocem *caput* intellige κυρίαν δόξαν, *sententiam maxime ratam:* Nosterque ideo Epicurum vocat *virum optimum*, quia sic Attico Epicuri discipulo, & cui Cicero hæc loquitur, visus est. *Pearcius*.

60 *Multiplex*] Callidus, varius, qui tam multa callet: ut simplex contra, incallidus nec astutus. *Turnebus*.

61 *A summo Deo*] Ab Jove præpotente, ut censent Stoici: nam apud Platonem summus Deus homines non generat, sed genii. *Idem*.

62 *Rationis*] Fons & origo juris, ut Stoici censent, in ratione est: & qui rationis participes sunt, etiam jure & lege sociati sunt, ut dii & homines. Cum bestiis autem nulla nobis intercedit juris communio, ut existimant, quia ratione carent. Jurisconsulti tamen jus quoddam naturale esse dicunt, cujus perita non homines tantum, verum etiam bruta censentur. Platonici etiam & Pythagorici contendunt nos cum bestiis jure sociatos esse, quod in bestias animi humani immigrent, nec bestiæ ratione careant. *Idem*.

homine, ſed in omni cælo atque terra [63], ratione divinius? quæ cum adolevit atque perfecta eſt, nominatur rite ſapientia.

Eſt igitur (quoniam nihil eſt ratione melius, eaque & in homine, & in deo) prima homini cum deo rationis ſocietas. Inter quos autem ratio, inter eoſdem etiam recta ratio communis eſt. Quæ cum ſit lex, lege quoque conſociati homines cum diis putandi ſumus. Inter quos porro eſt communio legis, inter eos communio juris eſt. Quibus autem hæc ſunt inter eos communia, & civitatis ejuſdem [64] habendi ſunt. Si vero [65] iiſdem imperiis & poteſtatibus parent, multo etiam magis parent huic cæleſti deſcriptioni, mentique divinæ & præpotenti deo. Ut jam univerſus hic mundus, una civitas communis deorum atque hominum exiſtimanda: & quod in civitatibus ratione quadam, de qua dicetur idoneo loco, agnationibus familiarum diſtinguuntur ſtatus; id in rerum natura tanto eſt magnificentius, tantoque præclarius, ut homines deorum agnatione & gente teneantur.

VIII. Nam cum de natura [66] omni quæritur, diſputari ſolet [67] (& nimirum ita ſunt, ut diſputantur) perpetuis curſibus, converſionibus cæleſtibus exſtitiſſe quandam * maturitatem ferendi generis humani; quod ſparſum in terras, atque ſatum, divino auctum ſit animorum munere: cumque alia, quibus cohærent, homines e mortali genere ſumpſerint, quæ fra-

63 *Cælo atque terra*] Nam in cælo atque terra etiam Stoici cenſent eſſe rationem, atque adeo in toto mundo. Cicero lib. II. de Natura Deorum, cap. 14. *Nihil autem eſt mente & ratione melius: ergo hæc mundo deeſſe non poſſunt*. Idem.

64 *Civitatis ejuſdem habendi*] Hæc Stoica ſunt, ut ex quarto lib. de Finibus, cap. 3. intelligitur, & lib. II. de Nat. Deor. cap. 31. *Idem*.

65 *Si vero iiſdem imperiis & poteſtatibus parent: multo etiam magis parent huic cæleſti deſcriptioni*] Ita dederunt Victorius & Lambinus, licet hæc lectio commodum ſenſum non pariat. Nos vero ductu Pariſ. Reg. & Ven. 1471. hunc locum ſic reſtituimus: *Si vero iiſdem imperiis & poteſtatibus parent ii, multo etiam magis. Parent* autem *huic cæleſti* &c. *Daviſius*.

66 *Nam cum de natura omni*] Ita legendum ex veteribus libris. *Turnebus*. Victorius edidit, *de natura hominis*, & ita legendum: nam de ſola hominis natura nunc agit Cicero. *Daviſius*.

67 *Diſputari ſolet (& nimirum ita ſunt ut diſputantur) perpetuis &c.*] Ita fere Mſſ. noſtri, editique a Turn. & Victorio, & Lambino. Forſan omnia planiora eſſent, ſi tranſpoſita ſyllaba legeretur: *& mirum, ni ita ſunt ut diſputantur*. Vulgata lectio ſolum habet: *diſputari ſolent, nimirum iſta: perpetuis &c.* Gruterus.

* Man. Lamb. *materiam*

fragilia essent & caduca ; animum esse ingeneratum a deo. Ex quo vere vel agnatio nobis cum cælestibus, vel genus, vel stirps appellari potest. Itaque ex tot generibus nullum est animal, præter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei : ipsisque in hominibus nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiam si ignoret qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat Deum, qui, unde ortus sit, quasi recordetur, ac noscat. Jam vero virtus eadem in homine ac deo est, neque ullo alio ingenio [68] præterea. Est autem [69] virtus nihil aliud, quam in se perfecta, & ad summum perducta natura. Est igitur homini cum deo similitudo. Quod cum ita sit, quæ tandem potest esse propior certiorve cognatio? Itaque ad hominum commoditates & usus tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea, quæ gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata videantur : nec solum ea, quæ frugibus atque baccis terræ fœtu profunduntur, sed etiam pecudes : quod perspicuum sit, partim esse ad usum hominum, partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas. Artes vero innumerabiles repertæ sunt, docente natura : quam imitata ratio, res ad vitam necessarias solerter consecuta est.

IX. Ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus, tanquam satellites, attribuit, ac nuntios : & rerum [70] plurimarum * obscuras & necef-

68 *Ingenio*] Natura ulla, ulla alia animante. *Turneb.* Legendum monuimus ad Epit. Lactantianæ cap. 48. *neque ullo alio* in genere *præterea*. Davisius.

69 *Est autem virtus*] Hæc virtutis definitio Stoicorum est : ajunt enim igniculos nobis quosdam virtutum natura insitos esse, qui cum adulti sunt, perfectam virtutem efficiunt : haud ergo temere virtutem *perfectam in se naturam* appellat, cum & ipsa & summum quoque bonum ab illis primigeniis seminibus proficiscantur. In diis statim perfecta natura est, in hominibus non item, sed tandem confirmatur & perficitur. Proinde lib. II. de Natura Deor. dicitur a Stoico Balbo, *Nec vero hominis natura perfecta est, & efficitur tamen in eo virtus*. Perfectio autem naturæ hic est rationis absolutio. *Turnebus*.

* Lamb. *obscuras, nec satis apertas intelligentias inchoavit*

70 *Et rerum plurimarum obscuras & necessarias intelligentias enodavit*] Non placet doctis hæc lectio vulgata, quia non vere dicitur natura *enodasse intelligentias rerum*, quas Cicero alibi dicit eam solum *inchoasse* & *adumbrasse*. Sic infra in cap. 22. *rerum omnium quasi adumbratas intelligentias animo ac mente concepit*. Et in cap. 10. *quæ in animis imprimuntur, de quibus ante dixi, inchoatæ intelligentiæ, similiter in omnibus imprimuntur*. Equidem cum video Victorium sic edi-

necessarias intelligentias [71] enudavit, quasi fundamenta quædam scientiæ. Figuramque corporis habilem & aptam ingenio humano dedit: nam cum cæteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad cælique quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit. Tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret: nam & oculi nimis arguti [72], quemadmodum animo affecti simus, loquuntur: & is, qui appellatur *vultus*, qui nullo in animante esse, præter hominem, potest, indicat mores: cujus vim [73] Græci norunt, nomen omnino non habent. Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis [74], orationis vim, quæ conciliatrix est humanæ maxime societatis. Neque enim omnia sunt hujus disputationis ac temporis: & hunc locum satis, ut mihi videtur, in iis

edidisse *nec satis intelligentias enudavit*, totam sententiam ad hunc modum reformandam esse judico, *& rerum plurimarum obscuras nec satis* enodatas *intelligentias*, sc. attribuit homini; nam vox *attribuit* ex præcedentibus repetenda videtur. *Enodatas* idem valet quod *explicatas*; & eo sensu Cicero hanc vocem usurpat in Top. c. 7. ubi ait ἔννοιαν sive *intelligentiam esse insitam & ante perceptam cujusque formæ cognitionem*, enodationis *indigentem*. Pearcius.

71 *Intelligentias*] Intelligentias hic vocat notiones mente perceptas ex Stoicorum sententia, id est, conformationes insignitas in animo & impressas. Cicero in Top. cap. 7. *notionem* quoque Stoicos sequens appellat, *quam Græci*, ut ait, ἔννοιαν & πρόληψιν *dicunt: eamque* ait esse *insitam & ante perceptam cujusque formæ cognitionem, enodationis indigentem*. Id enim est quod hic ait, *non satis enodatas esse primas intelligentias*; enodationis enim indigent. Magis enim enucleandæ sunt definitionibus, præceptis, usu vitæ, ac cognitione philosophiæ. Itaque huc illud ex III. Officiorum cap. 20. pertinet: *Explica atque excute intelligentiam tuam, ut videas quæ sit in ea species, forma, & notio viri boni*. Rursum cap. 19. *Si quis voluerit animi sui complicatam rationem evolvere*. Ergo illud in Top. cap. 2. hinc explicandum est, non satis intellectum, *Definitio adhibetur, quæ quasi involutum evolvit id de quo quæritur*. Nam ad complicatas & involutas notiones referendum est. Stoici autem communes intelligentias, & insitas præceptiones, principia philosophiæ esse putaverunt: eas vocarunt κοινὰς ἐννοίας, & ἐμφύτους προλήψεις. Extat Plutarchi liber περὶ κοινῶν ἐννοιῶν, in quo contra Stoicos differit, quod cum communes intelligentias principia philosophiæ profiteantur esse, eorum tamen philosophia communibus notionibus maxime repugnare refragarique videatur. Falso autem quidam affirmant πρόληψιν apud Platonem inveniri, cujus vocabuli primus auctor Epicurus fuit. Recordatio autem illa Platonis in Phædone & Menone nihil ad hunc locum pertinet, præsertim cum nihil de animorum migratione in corpora hic disputatum sit. Scribitur etiam hic *enudavit*. Turnebus.

72 *Oculi arguti*] Nimis mobiles & agiles, ut digiti arguti. *Idem*.

73 *Cujus vim Græci norunt*] Nonnulli hunc locum exagitant, neque Græcis vernaculam deesse dictionem quæ vultum declaret, ajunt, ac πρόσωπον idem declarare affirmant. *Idem*. Vultus est *voluntas, quæ pro motu animi in facie ostenditur*: facies, *ipsa oris species*; ut ait Nonius, cap. 5. *Davisius*.

74 *Moderationem vocis*] Quam nostro arbitratu regimus & moderamur & flectimus. Eam enim varie vel intendimus, vel remittimus, eaque vocis est moderatio. *Turnebus*.

iis libris, quos legiſtis, expreſſit Scipio. Nunc quoniam hominem, quod principium [75] reliquarum rerum eſſe voluit, generavit & ornavit Deus, perſpicuum [76] ſit illud (ne omnia diſſerantur) ipſam per ſe naturam longius progredi: quæ etiam nullo docente profecta ab iis, quorum, ex prima & inchoata intelligentia, genera cognovit [77], confirmat ipſa per ſe rationem & perficit.

X. ATT. Dii immortales, quam tu longe juris principia repetis! atque ita, ut ego non modo ad illa non properem, quæ exſpectabam a te de jure civili, ſed facile patiar te hunc diem vel totum in iſto ſermone conſumere. Sunt enim hæc majora, quæ aliorum cauſa fortaſſe complecteris, quam ipſa illa, quorum hæc cauſa præparantur. MAR. Sunt hæc quidem magna, quæ nunc breviter attinguntur: ſed omnium, quæ in hominum doctorum diſputatione verſantur, nihil eſt profecto præſtabilius, quam plane intelligi nos ad juſtitiam eſſe natos, neque opinione [78], ſed natura conſtitutum eſſe jus. Id jam patebit, ſi hominum inter ipſos ſocietatem conjunctionemque perſpexeris. Nihil eſt enim unum uni tam ſimile, tam par, quam omnes inter noſmetipſos ſumus. Quod ſi depravatio conſuetudinum, ſi opinionum varietas non imbecillitatem animorum torqueret, & flecteret quocumque cœpiſſet: ſui nemo ipſe tam ſimilis eſſet, quam omnes ſunt omnium. Itaque quæcumque eſt hominis definitio, una in omnes valet.

Quod

75 *Quod principium*] Inepti ſunt qui *principium* ad *hominem* referunt, & principium finem interpretantur, & *reliquas res* accipiunt ea quæ ſunt hominis cauſa creata, cum *principium* ad *generavit* & *ornavit* referendum ſit hoc modo: *Nunc quoniam hominem generavit & ornavit Deus, quod principium reliquarum rerum eſſe voluit:* id eſt, reliquarum rerum quas in ſequenti oratione complectar. *Idem*.

76 *Perſpicuum ſit illud*] Pro perſpicuo notoque ponatur, quod alio loco diſſeretur. *Idem*.

77 *Genera cognovit*] Species & formas rerum cognovit ex præcepta notione, quam imbecillam confirmat & inchoatam abſolvit: quæ quidem eſt confirmatio & perfectio rationis atque naturæ in homine. Deus enim hominibus rationem donavit, quæ inchoata eſt, poſtea confirmatur & perficitur. *Idem*.

78 *Neque opinione*] A philoſophis diſputabatur a naturane an ab opinione jus eſſet profectum. Hinc in Topicis, cap. 21. Cicero ſcribit, *Ut ſi quæratur a naturane jus profectum ſit, an ab aliqua quaſi conditione hominum & pactione*. Atque adeo idem de toto genere virtutis quærebatur, ut in Topicis, cap. 21. *Ecquidnam honeſtum ſit, ecquid æquum revera, an hæc tantum opinione ſint*. Iſta ab utilitate, ac proinde ab opinione, profecta Epicurei cenſebant, in quos diſputabit. *Idem*.

Quod argumenti ſatis eſt, nullam diſſimilitudinem eſſe in genere. Quæ ſi eſſet, non una omnes definitio contineret. Etenim ratio, qua una præſtamus belluis, per quam conjectura valemus, argumentamur, refellimus, diſſerimus, conficimus aliquid, concludimus, certe eſt communis; doctrina differens [79], diſcendi [80] quidem facultate par. Nam & ſenſibus eadem omnia comprehenduntur: & ea, quæ movent ſenſus, itidem movent omnium: quæque in animis imprimuntur, de quibus ante dixi, inchoatæ intelligentiæ, ſimiliter in omnibus imprimuntur: interpreſque eſt mentis oratio, verbis diſcrepans, ſententiis congruens. Nec eſt quiſquam gentis ullius, qui * ducem nactus [81], ad virtutem pervenire non poſſit.

XI. Nec ſolum in rectis, ſed etiam in pravitatibus [82], inſignis eſt humani generis ſimilitudo. Nam & voluptate capiuntur omnes: quæ etſi eſt illecebra turpitudinis, tamen habet quiddam ſimile naturalis boni. Lenitate eſt enim & ſuavitate delectans; ſic ab errore mentis, tanquam ſalutare aliquid, adſciſcitur. Similique inſcitia mors fugitur, quaſi diſſolutio naturæ: vita expetitur, quia nos, in quo nati ſumus, continet: dolor in maximis malis ducitur, cum ſua aſperitate, tum quod naturæ interitus videtur ſequi: propterque honeſtatis & gloriæ ſimilitudinem, beati, qui honorati ſunt, videntur: miſeri autem, qui inglorii. Moleſtiæ [83], lætitiæ, cupiditates, timores, ſimiliter omnium mentes pervagantur: nec, ſi opiniones aliæ ſunt apud alios, idcirco, qui canem & felem, ut deos, colunt, non eadem ſuperſtitione, qua cæteræ gen-

79 *Doctrina differens*] Hominibus ad percipiendum & diſcendum vis ac facultas ingenii par eademque conceſſa eſt; doctrina tamen excolitur & augetur ratio. Hic facultas ingenii eruditorum & idiotarum differre videtur. *Idem*.

80 *Diſcendi quidem* facultate *par*] Hæc lectio prorſus eſt abſona. Harlejan. ſec. ab emendatrice manu, & editio pervetus habent, *diſcendi quidem facultas par*. Melius quidem; nam vel eo modo reſcribendum, vel, *facultates pares*, quod mallem. *Daviſius*.

* Man. Lamb. Grut. *qui ducem naturam nactus*.

81 *Ducem nactus*] Nactus præceptorem, nactus doctorem. Ratione enim & doctrina virtus indiget, ut ſcribitur tertia Tuſculana. *Turnebus*.

82 *In pravitatibus*] Stoicis omnes perturbationes vitioſæ ſunt, & pravæ, non item Peripateticis & Platonicis. Vide Tuſcul. IV. *Idem*.

83 *Moleſtiæ*] Hæ quatuor generales ſunt perturbationes, quibus multæ ſubjiciuntur formæ. Atque hic nihil eſt confuſum, ut quidam cenſent, ſi quid agatur quis attendat. *Idem*.

gentes, conflictantur. Quæ autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum & beneficii memorem diligit? quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non adspernatur, non odit? Quibus ex rebus cum omne genus hominum sociatum inter se esse intelligatur, illud extremum [84] est, quod recte vivendi ratio meliores efficit. Quæ si approbatis, pergam ad reliqua: sin quid requiritis, id explicemus prius. ATT. Nos vero nihil: ut pro utroque respondeam.

XII. MAR. Sequitur igitur, ad participandum alium ab alio, communicandumque inter omnes, justos natura nos esse factos. Atque hoc in omni hac disputatione sic intelligi volo, quod dicam [85] naturam esse: tantam autem esse corruptelam malæ consuetudinis, ut ab ea tanquam igniculi extinguantur a natura dati, exorianturque & confirmentur vitia contraria. Quod si [86], quo modo est natura, sic judicio, homines *humani* (ut ait poeta) *nihil a se alienum putarent*, coleretur jus æque ab omnibus. Quibus enim ratio a natura data est, iisdem etiam recta ratio data est: ergo & lex, quæ

est

84 *Extremum est*] Ut bene dicendi ratio est rethorica, ita recte vivendi ratio est philosophia. Sensum non vident qui hic *rationem* legem interpretantur. *Idem*. Ex hoc loco me non expedio: quo enim spectat illud *meliores?* num ad *homines?* at pro iis supra usurpaverat *genus hominum*. Deinde, quomodo intelligendi *meliores?* an simpliciter? at de eo non est sermo. Non quæritur, quomodo fiant boni, sed quomodo a natura ipsa censeantur sociati. Hoc enim egerat toto loco Cicero, ut a similitudine hominum a natura ipsa in animis, sensibus, voluntatibus circa quasvis res, sive bonas sive malas producta, sociatos eos demonstraret. Quare suspicor illud *meliores* de societate oportere accipi, velut diceret, tanto fore quemque magis idoneum ad societatem, alterique magis conjunctum, quo magis utatur recta ratione vivendi, hoc est, magis sit homo. *Scheffer*.

85 *Quod dicam naturam esse*] Id quod dico, natura est, non corruptela nec consuetudo, id est, de natura loquor, non consuetudine, nec de vitiis quæ succreverunt. Itaque hic *natura* est quod natura insitum est nobis, & quod naturale est. *Turn.* Locus est corruptus, cui Manutius, Lambinus, & Davisius frustra conati sunt mederi. Lego *sic intelligi volo*, jus *quod dicam*, natura *esse*. De *jure* enim hic Cicero loqui velle videtur, & vere dicitur *jus* esse *natura* oriundum, ut Noster dicit in c. 13. *Videtur, mihi quidem certe, ex natura ortum esse jus; & nisi separatim hoc ipsum*, natura *esse* jus *disputarint*: sic enim ibi legit Davisius, ut & Lambini Mſ. non (ut vulgo) *naturæ*: sic etiam in c. 15. *ita fit, ut nulla sit omnino justitia, si neque natura est;* &c. ta. *quo facilius jus in natura esse positum intelligi possit*. Fin. III. 21. Jus *autem, quod ita dici appellarique possit, id esse* natura: ubi pro vulgato *naturam* Davisius recte edidit *natura*; quoniam (ut ait) φύσει τὸ δίκαιον εἶναι, μὴ θέσει contendebant Stoici. *Pearcius*.

86 *Quod si*] Locus est ex Heautontimorumeno Terentii. Id est, si homines non sua tantum curarent, sed aliorum negotia ad se pertinere putarent, & pro suis haberent, humana societas non violaretur. Vide de Off. I. 9. *Turneb.*

est recta ratio in jubendo & vetando : si lex , jus quoque . At omnibus ratio . Jus igitur datum est omnibus . Recteque Socrates exsecrari eum solebat , qui primus [87] utilitatem a natura sejunxisset . Id enim querebatur caput esse exitiorum omnium . Unde est illa Pythagorea vox [88] *** Ex quo perspicitur , cum hanc benevolentiam tam late longeque diffusam vir sapiens in aliquem pari virtute præditum contulerit , tum illud effici , quod quibusdam incredibile videatur , sit autem necessarium , ut nihilo sese plus , quam alterum diligat . Quid enim est , quod differat , cum sint cuncta paria ? Quod si interesse quippiam tantulum modo potuerit , jam amicitiæ nomen occiderit : cujus est ea vis , ut , simul atque sibi aliquid , quam alteri , maluerit , nulla sit . Quæ præmuniuntur omnia reliquo sermoni disputationique nostræ , quo facilius jus in natura esse positum , intelligi possit . De quo cum perpauca dixero , tum ad jus civile veniam , ex quo hæc omnis nata est oratio .

XIII. QUINT. Tu vero jam perpauca scilicet ! Ex iis enim , quæ dixisti , Attico videtur , mihi quidem certe , ex natura ortum esse jus . ATT. An mihi aliter videri possit , cum hæc jam perfecta sint : primum , quasi muneribus deo-

87 *Qui primus utilitatem a natura sejunxisset*] Non recte hic videntur *utilitas* & *natura* sibi ipsis opponi ; nam poterit quis a *natura utilitatem* aliquando sejungere , & tamen Socraticam istam execrationem non mereri . Davisius igitur legit *utilitatem a* jure *sejunxisset* ; pro quo ego malim *qui primus utilitatem a* naturæ jure *sejunxisset* : ut Noster in c. 14. dicit , *quum .... defensionem facinoris a* naturæ jure *aliquo quæreret* . Pearcius. Socrates exsecrabatur illos , qui *utilitatem a natura* , idest ab honestate , quæ illi natura cohæret , sejunxissent ; ut est in l. 3. Offic. c. 3. *Facciolatus* .

88 *Pythagorea vox , τὰ τῶν φίλων κοινὰ , καὶ φιλίαν ἰσότητα*] Græcas has voces nulli Mss. codices retinent : duo autem qui sunt in D. Marci bibliotheca satis antiqui , unus Latinis , alter Longobardicis literis exaratus , illarum loco habent hæc verba , *de amicitiis locus* . Quam adnotatiunculam quandam fuisse in margine ab aliquo collocatam credimus ; postea autem ab imperitis librariis in ordinem verborum Ciceron.s importune translatam . Græca tamen verba ubi invenimus , reliquimus ; quamvis certi non simus , an illa sint quæ Cicero intelligit . Acutioribus igitur ingeniis hoc judicandum relinquemus . Utramque tamen Pythagoræ fuisse sententiam , & ab illo primum pronuntiatam , a Laertio in ejus vita didicimus ; qui Timæum hoc tradere his verbis affirmat , Εἶπέ τε πρῶτος , ὥς φησι Τίμαιος , κοινὰ τὰ φίλων εἶναι , καὶ φιλίαν ἰσότητα . *Victorius* . Hujusmodi nihil hoc in loco videtur posuisse Tullius ; quod , iis receptis , haud bene connectitur oratio . Non tamen ullus dubito , quin Græca quædam Pythagoræ sint a Cicerone prolata ; nec enim est , ut alio modo possimus lacunæ rationem reddere . *Davisius* . Omnino retinendum est hoc loco Græcum proverbium τὰ τῶν φίλων κοινὰ , de quo itidem l. 1. Offic. c. 16. vide ejus explicationem , quæ huc maxime pertinet , in Dialogo de Amicit. c. 14. *Facciolatus* .

rum nos esse instructos & ornatos: secundo autem, unam esse hominum inter ipsos vivendi parem communemque rationem: deinde omnes inter se naturali quadam indulgentia & benevolentia, tum etiam societate juris contineri? Quæ cum vera esse, recte, ut arbitror, concesserimus; qui jam licet nobis a natura leges & jura sejungere?

MAR. Recte dicis: & res sic se habet. Verum philosophorum more, non veterum [89] quidem illorum, sed eorum, qui quasi officinas instruxerunt sapientiæ; quæ fuse olim disputabantur ac libere, ea nunc articulatim distincteque dicuntur: nec enim satisfieri censent huic loco, qui nunc est in manibus, nisi separatim hoc ipsum, naturæ esse jus [90], disputarint. ATT. Et scilicet tua libertas disserendi amissa est: aut tu is es, qui in disputando non tuum judicium sequare, sed auctoritati aliorum pareas? MAR. Non semper, Tite: sed iter hujus sermonis quod sit, vides. Ad respublicas firmandas, & ad stabiliendas vires, sanandos populos, omnis nostra pergit oratio. Quocirca vereor committere, ut non bene provisa & diligenter explorata principia ponantur: nec tamen ut omnibus probentur, (nam id fieri non potest) sed ut iis, qui omnia recta atque honesta per se expetenda duxerunt, & aut nihil omnino in bonis numerandum, nisi quod per seipsum laudabile esset, aut certe nullum habendum magnum bonum, nisi quod vere laudari sua sponte posset. His omnibus (sive in Academia vetere cum Speusippo, Xenocrate, Polemone manserunt: sive Aristotelem & Theophrastum, cum illis re congruentes, genere docendi paulum differentes, secuti sunt: sive, ut Zenoni visum est, rebus non commutatis, immutaverunt vocabula: sive etiam Aristonis [91] difficilem atque arduam,

89 *Veterum*] Ineptum sit Thaletem, Democritum, Heraclitum, Anaxagoram intelligere, qui & physici appellabantur, & de philosophia morali, cujus auctor & inventor Socrates fuit, non disputabant. Veteres igitur philosophos intelligo Academicos veteres & Peripateticos. *Turneb.*

90 *Naturæ esse jus*] Malim *natura esse jus*, φύσει εἶναι τὸ δίκαιον; ac ita Lambino teste, dant quidam MS. *Davisius.*

91 *Aristonis*] Aristo Chius, cujus in Zenonis vita Diogenes Laertius meminit, rejecta præceptoris Zenonis opinione, nihil bonum præter virtutem, nihil malum præter vitium, dixit, ac in rebus mediis, ea momenta quæ Zeno posuit, nulla esse judicavit. Quin & summum bonum esse dixit, in rebus mediis neutram in partem moveri, quam ἀδιαφορίαν vocabat. *Turnebus.*

arduam, ſed jam tamen fractam & convictam ſectam ſecuti ſunt, ut, virtutibus exceptis atque vitiis, cætera in ſumma æqualitate ponerent) his omnibus hæc, quæ dixi, probantur. Sibi autem indulgentes, & corpori deſervientes, atque omnia, quæ ſequantur in vita, quæque fugiant, voluptatibus & doloribus ponderantes, etiam ſi vera dicunt, (nihil enim opus eſt hoc loco litibus) in hortulis ſuis jubeamus dicere, atque etiam ab omni ſocietate reipublicæ, cujus partem nec norunt ullam, nec unquam noſſe voluerunt, pauliſper faceſſant, rogemus. Perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam, hanc ab Arceſila & Carneade recentem, exoremus, ut ſileat. Nam ſi invaſerit in hæc, quæ ſatis ſcite nobis instructa & compoſita videntur, nimias edet ruinas. Quam quidem ego placare cupio, ſubmovere non audeo.. * * *

XIV. Nam & in iis [92] ſine illius ſuffimentis expiati ſumus. At vero ſcelerum in homines atque impietatum nulla expiatio eſt. Itaque pœnas luunt, non tam judiciis, (quæ quondam nuſquam erant, hodie multifariam nulla ſunt; ubi ſunt tamen, perſæpe falſa ſunt) quam conſcientia: ut eos agitent [93] inſectenturque furiæ, non ardentibus tædis, ſicut in fabulis, ſed angore conſcientiæ, fraudiſque cruciatu. Quod ſi homines ab injuria pœna, non natura arcere deberet, quænam ſollicitudo vexaret impios, ſublato ſuppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax unquam fuit, quin aut abnueret a ſe commiſſum eſſe facinus, aut juſti ſui doloris cauſam aliquam fingeret, defenſionemque facinoris a naturæ [94] jure

92 *Nam & in iis*] Hoc capite argumentatur jus natura eſſe: facta tamen hic nonnulla labes eſt; nam principium deeſt. Quod ad hunc locum attinet, perdifficile eſt augurari, qua de re loquatur. Suſpicor tamen fere eum de conſcientia agere, cujus tacito judicio jus natura eſſe confirmatur. Cum autem *illius ſuffimenta* dicit, Epicurum, ut opinor, intelligit, qui ſe prædicabat homines mortis & deorum metu tanquam expiaſſe, id eſt, liberaſſe: qua in re ſe nihil egere dicit ejus ſuffimentis, id eſt, monitis, cum meliora habeat. Eaque fortaſſe cauſa hujus loci mutilandi fuit, quod neſcio quid de inferis & religione audacius hic Cicero loquebatur. *Idem*.

93 *Ut eos agitant inſectanturque furiæ*] Ita Daviſius legit, præeunte Turnebo, ſed tandem ſuam ſententiam bene mutante. Fatetur tamen Daviſius codices MSſ. habere *agitent inſectenturque*. Quæ lectio vera eſt, & ſe veram eſſe oſtendet, ſi in præcedentibus pro *Itaque* legamus *Itaque*, id eſt, *Et ita*. Vide jam totum locum, *Itaque pœnas luunt* (*non tam judiciis, quæ ... perſæpe falſa ſunt*) *ut eos agitent inſectenturque furiæ &c.* Conſtructio eſt, *ita pœnas luunt, ut furiæ eos agitent*. Pearcius.

94 *A natura jura aliqua quæreret*] Ita Victorius, & ita codices omnes: pro quo re- ponit

jure aliquo quæreret. Quæ si appellare audent impii, quo tandem studio colentur a bonis? Quod si pœna, si metus supplicii, non ipsa turpitudo, deterret ab injuriosa facinorosaque vita: nemo est injustus; at incauti potius habendi sunt improbi.

Tum autem qui non ipso honesto movemur, ut boni viri simus, sed utilitate aliqua atque fructu, callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testem & judicem? quid in deserto loco nactus, quem multo auro spoliare possit, imbecillum atque solum? Noster quidem hic natura justus vir ac bonus, etiam colloquetur, juvabit, in viam deducet: is vero, qui nihil alterius causa facit, & metitur suis commodis omnia, videtis, credo, quid sit acturus. Quod si negabit se illi vitam erepturum, & aurum ablaturum, nunquam ob eam causam negabit, quod id natura turpe judicet; sed quod metuat, ne emanet, id est, ne malum habeat. O rem dignam, in qua non modo docti, verum etiam agrestes erubescant!

XV. Jam vero [95] illud stultissimum, existimare omnia justa esse, quæ scita sint in populorum institutis, aut legibus. Etiamne, si quæ leges sint tyrannorum? Si triginta illi Athenis [96] leges imponere voluissent, aut, si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco hæ leges justæ haberentur? Nihilo, credo, magis illa, quam interrex noster

ponit Davisius *a natura* aut *jure aliquo quæreret*. Cum enim sequitur, quæ *si appellare audent impii*, censuit ille (opinor) duas saltem res memoratas præcessisse. At eam lectionem, quam Lambinus excogitavit, Gruterusque recepit libens amplector, *a naturæ jure aliquo quæreret*: neque enim verisimile est, ut Cicero diceret aliquem quærere defensionem facinoris a *natura*: sed potius eum, qui vellet suum dolorem justum videri, defensionem quærere ab aliquo *naturæ jure*. Nec quem moveat, quod *jure* vox est singularis numeri, *quæ* vero est pluralis: videntur enim voces conjunctæ *jure aliquo* vim habere pluralis numeri, cum non de uno & certo jure, sed de uno quovis ex pluribus intelligendæ sint. Recte igitur sequitur, *quæ si appellare audent impii*: scilicet jura, ex quorum numero fuit istud jus aliquod, a quo quærerent defensionem suam. *Idem*.

95 *Jam vero illud*] Consentaneum est iis qui jus opinione niti, non natura constare putant, quæ Epicureorum sententia est, ut omnia quæ sita sunt in populorum legibus, justa esse credant. In eos igitur hic disputat, qui jus nihil aliud esse censent, quam quod lege cautum est: ut hominum institutis, non natura constare videatur. Hic locus uberius a Platone in Minoe tractatur. *Turnebus*.

96 *Triginta illi Athenis*] Athenienses a Lacedæmoniis bello diuturno profligati, & ad extremum gravi obsidione ad deditionem compulsi, triginta rectores accipere coacti sunt: qui sese tandem tyrannos fecerunt, ac Atheniensium libertatem oppresserunt. *Idem*.

ſter tulit, ut dictator [97] quem vellet civium, indicta cauſa, impune poſſet occidere. Eſt enim unum jus, quo devincta eſt hominum ſocietas, & quod lex conſtituit una: quæ lex eſt recta ratio imperandi atque prohibendi: quam qui ignorat, is eſt injuſtus, ſive eſt illa ſcripta uſpiam, ſive nuſquam. Quod ſi juſtitia eſt obtemperatio ſcriptis legibus inſtitutiſque populorum, & ſi, ut iidem [98] dicunt, utilitate omnia metienda ſunt: negliget leges, eaſque perrumpet, ſi poterit, is, qui ſibi eam rem fructuoſam putabit fore. Ita fit ut nulla ſit omnino juſtitia; ſi neque natura eſt, & ea, quæ propter utilitatem conſtituitur, utilitate alia convellitur.

Atqui, ſi natura confirmatura [99] jus non erit, virtutes omnes tollantur. Ubi enim liberalitas, ubi patriæ caritas, ubi pietas, ubi aut bene merendi de altero, aut referendæ gratiæ voluntas poterit exſiſtere? nam hæc naſcentur ex eo, quod natura propenſi ſumus ad diligendos homines: quod fundamentum juris eſt. Neque ſolum in homines obſequia, ſed etiam in deos cæremoniæ religioneſque tolluntur: quas non metu, ſed ea conjunctione, quæ eſt homini cum deo, conſervandas puto.

XVI. Quod ſi populorum juſſis [1], ſi principum decretis, ſi ſententiis judicum, jura conſtituerentur; jus eſſet latrocinari: jus, adulterare: jus, teſtamenta falſa ſupponere, ſi hæc ſuffragiis, aut ſcitis multitudinis probarentur. Quæ ſi tanta poteſtas

97 *Ut dictator*] Eam opinor legem intelligit, qua ſummum in cives imperium citra provocationem dictatori permittebatur, ut indicta etiam cauſa in eos animadverteret: nam quibus Coſſ. creatus ſit dictator, hiſtorici fere non produnt, ut tum interregnum fuiſſe videatur. Vel eam potius intelligit (atque hoc verius puto) quam L. Flaccus interrex de Sylla tulit, ut omnia quæcumque ille feciſſet, eſſent rata. Cic. in Rullum Oratione III. cap. 2. *Omnium legum iniquiſſimam diſſimillimamque legis eſſe arbitror eam, quam L. Flaccus interrex de Sylla tulit, ut omnia quæcumque ille feciſſet eſſent rata.* Idem.

98 *Ut iidem dicunt*] Epicureos notat, quorum duo capita comparat & collidit, jus ab inſtitutis ortum eſſe, & ab utilitate profectum: nam utilitate perrumpentur leges & inſtituta. Qui de Thraſymacho hic loquuntur, omiſſo Epicuro, a ſenſu aberrant. *Idem*.

99 *Si natura confirmatura*] Si a natura ſtirps juris removeatur, & utilitati adſcribatur, ſecuturam ait non tantum juris everſionem, verum etiam virtutum omnium, præſertim earum quæ hominum ſocietatem tuentur. Earum enim, ut juris, ſi origo in utilitate ponatur, ſubverſio manifeſta conſequitur. *Idem*.

1 *Populorum juſſis*] Proprie. Nam populus jubere dicebatur, ſenatus decernere, quem nomine principum intelligit (ut in lib. de Oratore I. 7. *Cum igitur vehementius inveheretur in cauſam* principum *conſul Philippus*) judices ſententiam ferre. *Idem*.

testas est stultorum sententiis atque jussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur: cur non sanciunt, ut, quæ mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis ac salutaribus? aut cur, cum jus ex injuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? Atqui nos legem bonam a mala, nulla alia nisi naturæ norma dividere possumus. Nec solum jus & injuria a natura dijudicantur, sed omnino omnia honesta ac turpia. Nam & communis intelligentia [2] nobis notas [3] res efficit, easque in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia.

Hæc autem in opinione existimare, non in natura posita, dementis est. Nam nec arboris, nec equi virtus quæ dicitur, (in quo abutimur nomine) in opinione sita est, sed in natura. Quod si ita est; honesta quoque & turpia natura dijudicanda sunt. Nam si opinione universa virtus, eadem ejus etiam partes [4] probarentur. Quis igitur prudentem, &, ut ita dicam, catum [5], non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa judicet? Est enim virtus perfecta ratio: quod certe in natura est. Igitur omnis honestas eodem modo.

XVII. Nam ut vera & falsa, ut consequentia & contraria, sua sponte, non aliena judicantur: sic constans & perpetua ratio vitæ, quæ est virtus, itemque inconstantia [6], quod est vitium,

2 *Communis intelligentia*] Ea est prima quædam animi notio & præceptio, quæ in animis nostris inchoavit sensum honesti. *Κοινὰς ἐννοίας* vocant Stoici, de quibus extat commentarius Plutarchi in Stoicos. Communis autem notio Stoicis principium est scientiæ & *κριτήριον*. Dicitur etiam *πρόληψις*, quæ est *ἔννοια φυσικὴ τῶν καθόλου*, id est, *notio naturalis universarum rerum*. Idem.

3 *Nobis notas res efficit*, easque *in animis nostris inchoavit*] Cum præcesserit *efficit*, præsentis temporis vox, Davisius ex tribus MSS. protulit *inchoat*, ut particula *que* copulet similia tempora: quod eodem modo necessarium duxit propter sequens verbum *ponantur*. At quamvis grammaticæ sic satis consuluit, non item sensui loci: cur enim eæ res *notæ* esse dicantur, quæ postea solum dicuntur esse *inchoatæ*? Hoc qui videt, mecum (opinor) censebit legendum esse *nobis notas res efficit* eas, quas *in animis nostris inchoavit*. Sic tandem & latinitati & sententiæ satis provisum erit. *Pearcius*.

4 *Partes*] Id est species: nam formam generis, quo facilius intelligatur, Cicero in Topicis cap. 3. ait, se interdum *partem* solere appellare. Virtus autem universa, ipsum genus est, id est generalis virtus. *Turnebus*.

5 *Catum*] Catum Varro lib. VI. L. L. acutum, non sapientem interpretatur; ut *cata signa* apud Ennium, & *egregie cordatus homo catus Ælius Sextus*: & apud Lucilium *cata dicta*. Hic tamen est prudens, sapiens, peritus, contra quam Varroni videatur. Est autem Sabinum vocabulum. Utitur eo Plautus initio Pœnuli, *Quae tu sapienter, docte, cordate, & cate*. Idem.

6 *Inconstantia*] Inconstantiam, ut in Tusculanis, hic vocat defectionem a recta mente, aversam a rationis præscriptione: quæ vitiorum & perturbationum origo est, ut constantia virtutum. *Idem*.

vitium, ſua natura probatur. Nos ingenia [7] juvenum, non item ad ingenia; natura virtutes & vitia, quæ exſiſtunt ab ingeniis, judicabuntur? An ea non aliter? honeſta & turpia non ad naturam referri neceſſe erit? Quod laudabile [8] bonum eſt, in ſe habeat quod laudetur neceſſe eſt. Ipſum enim bonum, non eſt opinionibus, ſed natura. Nam ni ita eſſet, beati quoque opinione eſſent: quo quid dici poteſt ſtultius? Quare cum & bonum, & malum natura judicetur, & ea ſint principia [9] naturæ: certe honeſta quoque & turpia ſimili ratione dijudicanda, & ad naturam referenda ſunt.

Sed perturbat nos opinionum varietas, hominumque diſſenſio: & quia non idem contingit in ſenſibus, hos natura certos putamus: illa, quæ aliis ſic, aliis ſecus, nec iiſdem ſemper uno modo videntur, ficta eſſe ducimus. Quod eſt longe aliter. Nam ſenſus noſtros non parens, non nutrix, non magiſter, non poeta, non ſcena depravat, non multitudinis conſenſus abducit a vero. Animis omnes tenduntur inſidiæ, vel ab iis, quos modo enumeravi, qui teneros & rudes cum acceperunt, inficiunt, & flectunt, ut volunt: vel ab ea, quæ penitus in omni ſenſu implicata inſidet, imitatrix boni, voluptas, malorum autem mater omnium; cujus blanditiis corrupti, quæ natura bona ſunt, quia dulcedine hac & ſcabie [10] carent, non cernimus ſatis.

7 *Nos ingenia juvenum, non item ad ingenia &c.*] Corruptus plane eſt locus, quem ut ſanarent, multum laborаruot editores, ſtudio tameo (opinor) hactenus inani. Ex veſtigiis Mſſ. ſic cenſeo eum refingendum eſſe, *Nos ingenia juvenum natura judicamus: non item virtutes & vitia, quæ exiſtunt ab ingeniis, judicabuntur? An ea non aliter? Honeſta & turpia non ad naturam referri neceſſe erit?* Scilicet locum verborum *natura* & *non item* mutavi; inſerui verbum *judicamus* ex tribus Mſſ. & omiſi voces *ad ingenia*, quæ gloſſam ſapiunt. Porro, *item* hic idem valet ac ſi vox *natura* repetatur; & poſt verba *an ea non aliter* ſubintelligo verba *quam ad naturam referenda ſunt*. Pearcius.

8 *Quod laudabile*] Ut bonum natura judicatur, ita laudabile bonum, quod honeſtum eſt, eadem natura judicabitur: alioqui cum beatitudo a virtute proficiſcatur, opinione, non natura beati homines eſſent. Stoicis autem omne bonum laudabile eſt. Cicero lib. III. de Finibus, cap. 8. *Quod eſt bonum, omne laudabile eſt: quod autem laudabile eſt, omne eſt honeſtum: bonum igitur quod eſt, honeſtum eſt*. Peripateticis & Academicis non omne bonum laudabile eſt. *Turnebus*.

9 *Sint principia naturæ*] Duo rerum principia ſtatuebat Pythagoras, bonum & malum: ſed oon iu eam ſententiam hic accipio, verum omnis laudis, virtutis, officii, honeſtatis, contrariorumque hæc principia eſſe, eaque oaturæ, non opinionis nec judicii. *Idem*.

10 *Scabie*] Titillatione & pruritu, cujuſmodi ſcabioſis ſeſe fricantibus gignitur, unde a ſcabendo ſcabies nomen habet. *Idem*.

XVIII. Sequitur (ut conclusa mihi jam hæc sit omnis ratio) id quod ante oculos ex iis est, quæ dicta sunt, & jus, & omne honestum sua sponte esse expetendum. Etenim omnes viri boni ipsam æquitatem & jus ipsum amant; nec est viri boni errare, & diligere quod per se non sit diligendum. Per se igitur jus est expetendum & colendum. Quod si jus est: etiam justitia. Sic in ea [11] reliquæ quoque virtutes per se colendæ sunt. Quid liberalitas [12]? gratuitane est, an mercenaria? si sine præmio [13] benigna est, gratuita: si cum mercede, conducta: nec est dubium, quin is, qui liberalis benignusve dicitur, officium, non fructum sequatur. Ergo item justitia nihil expetit [14] præmii, nihil pretii. Per se igitur expetitur. Eademque omnium virtutum causa, atque sententia est. Atque etiam si emolumentis, non sua sponte virtus expenditur, una erit virtus, quæ malitia rectissime dicetur. Ut enim quisque maxime ad suum commodum refert quæcumque agit, ita minime est vir bonus; ut, qui virtutem præmio metiuntur, nullam virtutem, nisi malitiam putent. Ubi enim beneficus, si nemo alterius causa benigne facit? ubi gratus, si non eum ipsum, cui referunt gratiam, cernunt grati? ubi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se amatur toto pectore, ut dicitur? qui etiam deserendus & abjiciendus est, desperatis emolumentis & fructibus: quo quid potest dici immanius? Quod si amicitia per se colenda est, societas quoque hominum, & æqualitas, & justitia, per se expetenda. Quod ni ita est, omnino justitia nulla est. Id enim injustissimum ipsum est, justitiæ mercedem quærere.

XIX.

11 *Sic in ea reliquæ quoque virtutes*] Hæc vetus & bonorum librorum scriptura est, estque hæc sententia plane Stoica: nam Stoici in una virtute etiam reliquas inesse cernique censent. Sunt enim virtutes ipsæ inter se colligatæ & implicatæ, & qui unam habet, reliquas habet. *Idem*.

12 *Gratuita*] Gratuita est liberalitas, quæ tantum officii gratia benigne facit. Sic Sallustius Fragm. Hist. lib. I. cap. 14. *Ubi malos præmia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est*. Idem.

13 *Si sine præmio*] Citatur hic locus a Lactantio lib. VI. cap. II. ubi Ciceronem quoque carpit, qui hujus præcepti oblitus, in Officiis liberalitatem prope mercenariam faciat. Hunc etiam locum uberrime tractat Seneca lib. IV. de Beneficiis, ubi beneficium dare, & invicem gratiam referre, per se expetenda contra Epicureos confirmat. *Idem*.

14 *Nihil expetit*] Lego, *exprimit*, id est extorquet, præmii scilicet causa. Non intellexerunt vulgo hoc vocabulum, itaque ex eo fecerunt, *expetit*. Noster in Orat. pro Quint. cap. 24. *Extorquendum est invito, atque ingratiis, quod non debet; eripiendum atque exprimendum est*. Scheffer.

XIX. Quid vero de modeſtia, quid de temperantia, quid de continentia, quid de verecundia, pudore, pudicitiaque dicemus? infamiæne [15] metu non eſſe petulantes: an legum & judiciorum? Innocentes ergo & verecundi ſunt, ut bene audiant? & ut rumorem bonum colligant, erubeſcunt, & pudet impudica loqui? Ac me nimirum iſtorum philoſophorum pudet, qui nullum [16] vitium vitare, niſi judicio ipſo notatum, putant.

Quid enim? poſſumus eos, qui a ſtupro arcentur infamiæ metu, pudicos dicere, cum ipſa infamia propter rei turpitudinem conſequatur? Nam quid aut laudari rite, aut vituperari poteſt, ſi ab ejus natura receſſeris, quod aut laudandum, aut vituperandum putes? An corporis pravitates, ſi erunt perinſignes, habebunt aliquid offenſionis: animi deformitas non habebit? cujus turpitudo ex ipſis vitiis facillime percipi poteſt. Quid enim fœdius avaritia, quid immanius libidine, quid contemptius timiditate, quid abjectius tarditate & ſtultitia dici poteſt? Quid ergo? eos, qui ſingulis vitiis excellunt, aut etiam pluribus; propter damna, aut detrimenta, aut cruciatus aliquos, miſeros eſſe dicimus, an propter vim turpitudinemque vitiorum? Quod item ad contrariam laudem in virtute dici poteſt.

Poſtremo, ſi propter alias res virtus expetitur, melius eſſe aliquid, quam virtutem, neceſſe eſt. Pecuniamne igitur? an honores? an formam? an valetudinem? quæ &, cum adſunt, perparva ſunt; &, quam diu affutura ſint, certum ſciri nullo modo poteſt. An (quod turpiſſimum dictu eſt) voluptatem? at in ea quidem ſpernenda & repudianda, virtus vel maxime cernitur. Videtiſne, quanta ſeries rerum ſententiarumque ſit: atque ut ex alio alia nectantur? Quin labebar longius, niſi me retinuiſſem.

15 *Infamiæne metu non eſſe petulantes*] Deeſſe videtur aliquid ad ſupplendam ſententiam, cui rei non ſatisfacit (opinor) ſubintellecta vox *dicemus*. Fortaſſe Cicero ſcripſit, *infamiane metu* ſatis eſt *non eſſe petulantes, an legum & judiciorum*. Senſus eſt: qui vel infamiæ, vel legum & judiciorum metu ab impudicitia abſtinent, non poſſunt non petulantes dici. *Pearcius*.

16 *Nullum judicium*] Id eſt neminem vitia vitare, niſi quæ infamia aut pœna notata ſunt. Judicium dicit: quia proxime de pudicitia verba fecerat, quam qui parum honeſte habebat, lege Scantinia in judicium vocari poterat. *Turnebus*.

XX. QUINT. Quo tandem ? libenter enim, frater, ad istam orationem tecum prolaberer. MAR. Ad finem bonorum, quo referuntur, & cujus apiſcendi cauſa ſunt facienda omnia: controverſam rem, & plenam diſſenſionis inter doctiſſimos, ſed aliquando tamen [17] judicandam. ATT. Qui iſtud fieri poteſt, L. Gellio [18] mortuo ? MAR. Quid tandem id ad rem? ATT. Quia me Athenis audire ex Phædro meo memini, Gellium, familiarem tuum, cum pro conſule [19] ex prætura in Græciam veniſſet, Athenis philoſophos, qui tum erant, in locum unum convocaſſe, ipſiſque magnopere auctorem fuiſſe, ut aliquando controverſiarum aliquem facerent modum. Quod ſi eſſent eo animo, ut nollent ætatem in litibus conterere, poſſe rem convenire, & ſimul operam ſuam illis eſſe pollicitum, ſi poſſet inter eos aliquid convenire. [20] MAR. Joculare iſtud quidem, Pomponi, & a multis ſæpe deriſum: ſed ego plane vellem me arbitrum inter antiquam Academiam & Zenonem datum. ATT. Quo tandem iſtuc modo ? MAR. Quia de re una ſolum diſſident, de cæteris mirifice congruunt. ATT. Ain' tandem ? unane eſt ſolum diſſenſio ? MAR. Quæ quidem ad rem pertineat, una: quippe cum antiqui omnes [21], quod

17 *Aliquando tamen judicandam*] Id eſt dijudicandam, quod in libris de Finibus fecit. Ex hoc loco colligimus hos libros ante libros de Finibus eſſe ſcriptos, &, ut opinor, ante bellum civile, abſolutis jam libris de Repub. *Idem*.

18 *Gellio*] L. Gellii Cicero in Bruto, cap. 47. meminit: quem *non vendibilem oratorem*, multarum tamen rerum peritum fuiſſe dicit: cumque illic familiarem ſuum vocat. Meminit & hujus Plutarchus in Cicerone, quem ait Ciceroni, ob patefactam conjurationem, civicam coronam decreviſſe. Sed & pro Seſtio a Cicerone *vir clariſſimus & fortiſſimus conſul* dicitur. Conſul autem fuerat anno ab urbe condita DCLXXXI. cum Q. Lentulo, cum quo etiam cenſor fuit, ut ab Aſconio ſcribitur. *Idem*.

19 *Pro conſule*] Miſſus enim in provinciam fuerat loco conſulis: tametſi non ex conſulatu. *Proconſul* autem & *pro conſule* differunt, quod quidam ignorarunt, qui idem eſſe putaverunt, ut *proprætor* & *proprætore*. Nam proconſul tum erat qui conſulatum geſſerat, & ex conſulatu provinciam obtinebat: & proprætor qui ex prætura. Pro conſule qui loco conſulis, etiam ſi nec conſulatum geſſiſſet, & privatus eſſet. Sic privatus Pompejus pro conſule mittitur, non proconſul: & L. Gellius ex prætura mittitur pro conſule in conſularem provinciam; nondum enim conſulatum geſſerat: & Piſo apud Salluſtium quæſtor mittitur pro prætore in Hiſpaniam. Verba Salluſtii ſunt, Catil. cap. 19. *Poſtea Piſo citeriorem Hiſpaniam quæſtor pro prætore miſſus eſt adjutante Craſſo*. L. autem Gellius cum hæc ſcriberentur mortuus erat. *Idem*.

20 *Convenire*] Si inter eos de arbitro conveniret, ſi compromiſſum in arbitrum aliquem facerent, aut arbitrum a magiſtratu peterent. Ridiculum hoc erat, quod putaret ut lites, ſic controverſiam de Finibus honoraria arbitri opera diſceptari & componi poſſe. *Idem*.

21 *Cum antiqui omnes*] Antiqui Academici bonum, quod ſecundum naturam eſſet, poſue-

quod secundum naturam esset, quo juvaremur in vita, bonum esse decreverint: hic, nisi quod honestum esset, nihil putarit bonum. ATT. Perparvam vero controversiam dicis, ac non eam, quæ dirimat omnia? MAR. Probe quidem sentis, si re, ac non verbis [22] dissiderent.

XXI. ATT. Ergo assentiris Antiocho [23] familiari meo, (magistro [24] enim non audeo dicere) quocum vixi, & qui me ex nostris pæne convellit hortulis, deduxitque in Academiam perpauculis [25] passibus. MAR. Vir iste fuit ille quidem prudens & acutus, & in suo genere perfectus, mihique, ut scis familiaris: cui tamen ego assentiar in omnibus, necne; mox videro: hoc dico, controversiam totam istam posse sedari.

ATT. Qui istud tandem vides? MAR. Quia, si, ut Chius Aristo dixit, solum bonum esse diceret, quod honestum esset, malumque, quod turpe; cæteras res omnes plane pares, ac ne minimum quidem, utrum adessent, an abessent, interesse: valde a Xenocrate & Aristotele, & ab illa Platonis familia discreparet: essetque inter eos de re maxima, & de omni vivendi ratione dissensio. Nunc vero cum decus, quod antiqui summum bonum esse dixerunt, hic solum bonum dicat: item dedecus, quod illi summum malum, hic solum: divitias, valetudinem, pulchritudinem, commodas res appellet, non bonas: paupertatem, debilitatem, dolorem, incommodas, non malas: sentit idem, quod Xenocrates, quod Aristoteles; loquitur alio modo. Ex hac autem non rerum, sed verborum discordia, controversia nata est de finibus: in qua quoniam

posuerunt; & bene vivere, naturæ convenienter vivere. Zeno autem nihil bonum nisi honestum statuit. Cicero autem libro quarto de Finibus a Peripateticis, qui omnino in eadem in qua Academici hæresi sunt, Stoicos verbis, non re dissentire ostendit. *Idem*.

22 *Non verbis*] Ut cum commoda dicere malunt Stoici quam bona, incommoda quam mala: cum legenda & sumenda dicunt commoda fortunæ & corporis, non expetenda: cum incommoda non sumenda, non autem fugienda. *Idem*.

23 *Antiocho*] Hic Philonis discipulus relicta nova Academia in veterem remigravit, ac librum de Peripateticorum & Stoicorum concordia edidit. Cicero lib. 1. de Naturæ Deorum, cap. 7. Hujus auditor Pomponius, alioqui Epicureus, aliquando fuit: ac propemodum se ab eo ex Epicuri hortulis in Academiæ spatia pertractum ait. *Idem*.

24 *Magistro enim*] Propter condiscipulos Epicureos, qui istud acerbe ferrent, si eum magistrum agnosceret, & Epicuri sectam relinqueret, id dicit. *Idem*.

25 *Perpauculis passibus*] Nam in spatiis Academiæ Academici inambulantes disputabant. Hinc illud Horatii lib. II. epist. II. 45.

Atque inter sylvas Academi quærere verum. Idem.

niam uſucapionem [26] XII tabulæ inter quinque pedes eſſe voluerunt [27], depaſci [28] veterem poſſeſſionem Academiæ ab hoc acuto homine non ſinemus; nec Mamilia lege ſinguli, ſed ex iis tres arbitri [29] fines regemus.

QUIN. Quamnam igitur ſententiam dicimus? MAR. Requiri placere terminos, quos Socrates [30] pegerit: iiſque parere. QUIN. Præclare, frater, jam nunc a te verba uſurpantur civilis juris & legum: quo de genere exſpecto diſputationem tuam. Nam iſta quidem magna dijudicatio eſt, ut ex te ipſo ſæpe cognovi. Sed certe res ita ſe habent, ut ex natura [31] vivere, ſummum bonum ſit, id eſt, vita modica [32], &

26 *Uſucapionem*] Hunc locum *Alciatus* ita ex *Aggeno Urbico* & *Julio Nypſo* declarat. *Lege duodecim tabul. cautum erat, ut inter vicinorum prædia conſtitutis finibus, quinque pedum ſpatium relinqueretur, qua ire, agere, uterque dominus poſſet, itemque ut circumverti aratrum poſſet*. Id ſpatium uſucapi eadem lege prohibebatur: deinde poſt decemviros lata eſt lex Manilia, vel Mamilia, ut in libris ſcriptis reperio: quæ, quoties de his quinque pedibus controverſia eſſet, eligi arbitrum agrimenſorem aut finitorem juſſit; qui fines eos regeret & conſtitueret. Ultra vero quinque pedes, quoniam lis non finalis, ſed proprietatis eſt, prætor adeundus erat. Jocus autem eſt ex ambiguo, de finibus agrorum & bonorum. *Idem*.

27 *Inter quinque pedes eſſe voluerunt*] Alciatus *noluerunt* probat, legis auctoritate adductus, cujus hæc verba ſunt de controverſiis agrorum: *De rigore controverſia eſt finitimæ conditionis, quoties inter duos pluresve terminos ordinatos, ſive quæ alia ſigna ſecundum legem Maniliam*, vel *Mamiliam*, ut reperio, *intra quinque pedes agitur*. Sed *intra quinque pedes* eſt controverſia, cum de illis quinque finalibus pedibus lis eſt; *Inter quinque pedes*, cum de poſſeſſione, prædio, agro, inter quinque pedes, id eſt, inter limites clauſo, lis eſt. Nam nunc agitur de poſſeſſione & fundo Academiæ, quem Zeno uſucapere conatur. Biennio enim lege duodecim Tab. fundus uſucapiebatur: nullo tempore uſucapiebantur limites quinum pedum: etiam ſi quis, verbi gratia, limitem viginti annis araſſet & ſeviſſet. Quod afferunt de Solonis lege, hunc locum non illuſtrat. *Intra* & *voluerunt* ſi legas, id eodem ſenſu accipi poterit. *Idem*.

28 *Depaſci veterem*] Academiæ agro velut uſucapto frui Zenonem non ſinemus. Nam plane ſentit idem quod Academici veteres, eorumque ſententiam uſurpat, mutatis tantum vocabolis loquitur alio modo. Poſſeſſiones ſunt agri late patentes vel publici, vel privati. Hic qui *depaſci* abſumi depaſcendo interpretantur, ſenſum non vident: qui enim agrum poſſidet, in agrum pecus ſuum immittere poteſt, in alienum agrum non poteſt: inde translatio ducta. *Idem*.

29 *Ex iis tres arbitri fines regemus*] Celeberrimus autem JCtus Aimarus Ranconetus (ut auctor eſt Turnebus Adverſ. IV. 24.) legit *e* XII. *tres arbitri fines regemus*. Sic etiam magnus ille Cujacius Obſerv. V. 21. & ſic edidit Lambinus. Mutatio ſane eſt exigua, mentique Ciceronis congrua. Receptam tamen lectionem nullus equidem moveo; cum pronomen ad XII. tabulas, quarum ſupra meminit noſter, commode queat referri. *Davisius*. Hic autem arbitri ſunt, quos dicimus *commiſſarios*. Turnebus.

30 *Quos Socrates*] Termini quos Socrates pegit, poſſeſſionem Academicorum terminabunt, qui ab eo ſtatim exorti ſunt; oſtendentque a Zenone aliorum verborum obtentu uſurpatam Academicorum poſſeſſionem. *Idem*.

31 *Ut ex natura*] Secundum naturam, quod a Socrate acceptum tenuerunt Academici, & probarunt Stoici, ut utrorumque eadem ſit ſententia. Dicitur eodem modo, *e natura vivere, e virtute vivere*, pro *ſecundum naturam, ſecundum virtutem*. Idem.

32 *Vita modica*] Cicero lib. II. de Finibus, cap. II. *Secundum naturam vivere*, inſer-

& apta virtute perfrui: aut naturam sequi, & ejus quasi lege vivere, id est, nihil, quantum in ipso sit: prætermittere, quo minus ea, quæ natura postulet, consequatur, quod inter hæc velit virtute tanquam lege vivere. Quapropter hoc dijudicari [33] nescio an unquam, sed hoc sermone certe non potest, si quidem id, quod suscepimus, perfecturi simus.

XXII. ATT. At ego huc declinabam nec invitus. QUIN. Licebit alias: nunc id agamus, quod cœpimus, cum præsertim ad id nihil pertineat hæc de summo malo bonoque dissensio. MAR. Prudentissime, Quinte, dicis: nam quæ a me adhuc dicta sunt [34], * * *

QUIN. Nec Lycurgi leges, nec Solonis, neque Charondæ [35],

terpretatur esse *virtute adhibita frui primis a natura datis*. Lib. autem III. Offic. cap. 3. sic scribit, *Etenim quod summum bonum a Stoicis dicitur, convenienter naturæ vivere, id habet hanc ut opinor sententiam, cum virtute congruere semper, cætera autem quæ secundum naturam essent, ita legere, si ea virtuti non repugnarent*. Lib. II. de Finibus, cap. II. *convenienter* naturæ vivere dicit esse *e virtute, id est, honeste vivere*. *Quod* Stoici *ita interpretabantur: vivere cum intelligentia earum rerum, quæ natura convenirent, eligentem ea quæ secundum naturam essent, rejicientemque contraria*. Interpretatio Stoica, cum virtuti adjungat fructum earum rerum quæ naturæ conveniunt, ab Academicorum sententia nihil discrepat. Stoici tamen hæc externa & corporis commoda sumenda, legenda, eligenda dicunt, non expetenda: contrariaque rejicienda, non fugienda, quo antea modo etiam ipse loquebatur de morte & vita; cum hanc errore homines expetere diceret, illam fugere. Academici autem ea in rebus expetendis & fugiendis numerant. *Vitam* hic appellat emolumenta & commoda, quæ secundum naturam sunt, & quibus ad vitam degendam est opus. Nam sic vita & hic, & in prima Academica, cap. 5. accipitur his verbis: *constituebantque extremum esse rerum expetendarum & finem bonorum, adeptum esse omnia e natura & animo & corpore & vita*: id enim est adeptum esse omnia quæ secundum naturam sunt animi, corporis, fortunæ bona. *Modicam* addit quod earum rerum modus naturalis sit, & quod beati etiam esse possimus sine divitiis, opibus, honoribus, gratia. Hæc enim a natura recedunt. *Vitam aptam virtute* vult, ex virtute scilicet pendentem, ut V. Tuscul. cap. 14. *Non sane optabilis quidem ista, inquit, rudentibus apta fortuna*. Aut potius bonis modice suppeditatam. Ut apud Horatium lib. I. Od. XII. 43.

.... *Et avitus* apto
Cum lare fundus.

Et apud Catullum Carm. XXVIII. 2.

Aptis *sarcinulis & expeditis*.

Significat enim, ut opinor, *Horatius* parvum & concinnum larem: & Catullus, curtas & adstrictas sarcinas. In codice scripto hic reperi *& aperta virtute*. Quidam *aptam virtuti* legunt; quod non probo. *Idem*.

33 Quapropter hoc *dijudicari &c.*] Bene a Davisio notatur vocem *quapropter* hic nullum proprium locum habere; non enim ex eo, quod dixit Quintus, sequitur istam causam *dijudicari* non potuisse. Monet idem in suis MSS. occurrere vel *& per hoc*, vel *ac per hoc*; unde ille legendum voluit, *at vero hoc*. Ego potius sic sententiam restituo, Inter hæc *dijudicari nescio an unquam* &c. Scilicet voces *inter hæc* ex præcedente sententia, ubi sensum turbant, ad hunc locum reducendas esse opinor. *Pearcius*.

34 *Nam quæ a me adhuc dicta sunt*] Locum totum ita restituebat Lambinus: *Nam quæ a me adhuc dicta sunt, e media philosophia ducta sunt. Tu autem alicujus civitatis leges fortasse desideras*. Quintus. *Equidem nec Lycurgi &c.*

dæ [35], neque Zaleuci, nec noſtras XII tabulas, nec plebiſcita deſidero: ſed te exiſtimo cum populis, tum etiam ſingulis hodierno ſermone leges vivendi & diſciplinam daturum. MAR. Eſt hujus vero diſputationis, Quinte, proprium id, quod exſpectas: atque utinam eſſet etiam facultatis meæ! Sed profecto ita ſe res habet, ut, quoniam vitiorum emendatricem legem eſſe oportet, commendatricemque virtutum, ab ea vivendi doctrina ducatur. * Ita fit, ut mater omnium bonarum artium ſapientia ſit: a cujus amore Græco verbo philoſophia nomen invenit: qua nihil a diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præſtabilius hominum vitæ datum eſt. Hæc enim una nos cum cæteras res omnes, tum, quod eſt difficillimum, docuit, ut noſmet ipſos noſceremus: cujus præcepti tanta vis, tanta ſententia eſt, ut ea non homini cuipiam, ſed Delphico deo tribueretur.

Nam qui ſe ipſe norit, primum aliquid ſentiet ſe habere divinum, ingeniumque in ſe ſuum, ſicut ſimulacrum aliquod, dedicatum putabit; tantoque munere deorum ſemper dignum aliquid & faciet, & ſentiet: &, cum ſe ipſe perſpexerit, totumque tentarit, intelliget, quemadmodum a natura ſubornatus in vitam venerit, quantaque inſtrumenta habeat ad obtinendam adipiſcendamque ſapientiam: quoniam principio rerum omnium quaſi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit: quibus illuſtratus, ſapientia duce, bonum virum, & ob eam ipſam cauſam cernat ſe beatum fore.

XXIII. Nam cum [36] animus, cognitis perceptiſque virtutibus, a corporis obſequio indulgentiaque diſceſſerit, voluptatemque, ſicut labem aliquam decoris, oppreſſerit, omnemque mor-

35 *Charondæ*] Charondas Thaletis Mileſii diſcipulus (ut quidam cenſent, reprehendit *Ariſtoteles*) Catanenſis, Catanenſibus civibus ſuis & Chalcidicis Siciliæ & Italiæ civitatibus leges tulit. Eum *Thurium* a Thuriis civitate Italiæ Valerius appellat, lib. VI. cap. 5. 4. extern. Errant qui in Valerio pro *Thurio Tyrium* emendant. Hujus legibus etiam Mazaceni uſi ſunt, ut ait Strabo, lib. XII. Zaleucus Locris Epizephyriis Italiæ populis leges ſcripſit. *Turnebus*.

* Vict. *Ita ſit mater omnium bonarum rerum ſapientia*.

36 *Nam cum animus*] Qui ſapientiæ compotes ſunt, ii beati ſunt. Sapientia autem rerum divinarum & humanarum cognitionem complectitur: cujus pars una eſt de vita & moribus, quæ ethice: altera de natura & rebus occultis, quæ phyſice: tertia de diſſerendo, & quid verum, quid falſum, quid conſentaneum, quid repugnans judicando, quæ dialectica vocatur: quas omnes partes hic attingit. *Idem*.

mortis dolorisque timorem effugerit, societatemque caritatis coierit cum suis, omnesque natura conjunctos, suos duxerit, cultumque deorum, & puram religionem susceperit, & exacuerit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem, ad bona deligenda, & rejicienda contraria: quæ virtus ex providendo est appellata prudentia: quid eo dici, aut excogitari poterit beatius?

Idemque cum cælum, terras, maria, rerumque omnium naturam perspexerit, eaque unde [37] generata [38], quo recurrant, quando [39], quo modo [40] obitura, quid in iis mortale & caducum, quid divinum æternumque [41] sit, viderit, ipsumque ea moderantem & regentem pæne prehenderit, seseque non unis circumdatum mœnibus, popularem alicujus definiti loci, sed civem totius mundi, quasi unius urbis, agnoverit: in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conspectu & cognitione naturæ, dii immortales! quam ipse se noscet; quod Apollo præcepit Pythius? quam contemnet, quam despiciet, quam pro nihilo putabit ea, quæ vulgo ducuntur amplissima?

XXIV. Atque hæc omnia, quasi sepimento [42] aliquo, vallabit disserendi ratione, veri & falsi judicandi scientia, & arte quadam intelligendi, quid quamque rem sequatur, & quid sit cuique contrarium. Cumque se ad civilem societatem natum senserit, non solum illa subtili disputatione [43] sibi uten-

37 *Unde generata*] Ad deflagrationem respexit. Nam hæc omnia censent Stoici tandem aliquando exustum iri. Itaque non est huc advocandus Aristoteles, qui cælum, terram, mare, neque exordium habuisse, neque finem abitura credit. *Idem*.

38 *Generata*] Ignis Stoicis principium est & semen omnium rerum, unde omnia generantur, & quo revertuntur. *Idem*. Vide de Nat. D. lib. II.

39 *Quando*] Rata quædam & definita censent exustionis tempora: non tamen sunt ea hominibus cognita. *Idem*.

40 *Quo modo*] Per exustionem scilicet in ignem habitura. *Idem*.

41 *Æternum*] Stoicis æterna est materia, & deus, quem per materiam pervadere, & eam informare censent: atque adeo ignis ipse rerum semen. Animos etiam humanos æternos & immortales Cicero existimat: qua de re inter Stoicos est variatum. *Idem*. Vide Tuscul. I.


42 *Sepimento*] Stoicorum more, qui philosophiam agro feraci comparabant, cujus sepem dialecticam esse dicebant: fructum, ethicen: terram aut arbores, physicen; auctore Laertio, VII. 40. *Idem*.

43 *Disputatione*] Disputationem perpetuæ orationi hic opponit. Propria enim est disputatio dialecticorum, ut perpetua oratio oratorum: & dialecticus disputator dici potest: διάλεξις, disputatio; διαλεκτική, prudentia disputandi. Sed & dialogi eadem est origo, qui dialecticorum & philosophorum, ut

dum putabit, ſed etiam fuſa latius perpetua oratione, qua regat populos, qua ſtabiliat leges, qua caſtiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros: qua præcepta ſalutis & laudes apte ad perſuadendum edat ſuis civibus: qua hortari ad decus, revocare a flagitio, conſolari poſſit afflictos: factaque & conſulta fortium & ſapientum, cum improborum ignominia, ſempiternis monumentis prodere. Quæ cum tot res tantæque ſint, quæ ineſſe in homine perſpiciantur ab iis, qui ſe ipſi velint noſſe, earum parens eſt, educatrixque ſapientia.

ATT. Laudata quidem a te graviter & vere. Sed quorſus hoc pertinet? MAR. Primum ad ea, Pomponi, de quibus acturi jam ſumus; quæ tanta eſſe volumus: non enim erunt, niſi ea fuerint, unde illa manant, ampliſſima. Deinde facio & libenter, &, ut ſpero, recte, quod eam cujus ſtudio teneor, quæque me eum, quicumque ſum, effecit, non poſſum ſilentio præterire. ATT. Vero facis & merito, & ipſe: fuitque id, ut dicis, in hoc ſermone faciendum.

ut Lucianus ait, proprius erat; veterumque ſunt & appellati, oratio in interrogatione illorum philoſophorum, qui dialectici habiti & reſponſione erat poſita. *Idem*.



DE

DE LEGIBUS,

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Civitatis jus, aut ad res & rationes hominum, aut ad religiones & ceremonias Deorum, comparatum est. Hoc divinum, illud humanum dicimus. Sed cum divini potior sit & antiquior cura, (Deum enim ut colamus in lucem editi sumus, religionemque ac pietatem natura nobis insevit) Cicero merito a religionis constitutione incepit, & eam in hunc librum contulit. Cujus disputationem ab ultima lege, quæ mens Dei est ratione cogentis & vetantis: & ab humana, quæ ratio est sapientis, legi divinæ consentiens, ut a capite, arcessit. Nam ab his, ut fontibus, jura nostra fluunt, eoque referri debent. Addit deinde, Platonis more, legis prooemium: ei legem de religione subjungit, quam a Numæ Pontificumque Rom. decretis educit. Postremo hujus suasionem & explicationem reddit. TURNEB.

I. ATTICUS. Sed visne, quoniam & satis jam ambulatum est, & tibi aliud dicendi initium sumendum est, locum mutemus, & in insula, quæ est in Fibreno [1], (nam opinor illi alteri flumini nomen esse) sermoni reliquo demus operam, sedentes? MAR. Sane quidem. Nam illo loco libentissime soleo uti, sive quid mecum ipse cogito, sive aut scribo, aut lego. ATT. Equidem qui nunc primum huc venerim, satiari non queo: magnificasque villas, & pavimenta marmorea, & laqueata tecta contemno. Ductus vero aquarum, quos isti Nilos & Euripos [2] vocant, quis non

1 *In Fibreno*] Arpinatem Ciceronis villam duo fluvii alluebant, Fibrenus & Liris, eamque amœnissimam reddebant & saluberrimam. *Turneb.*

2 *Nilos & Euripos*] Nili autem & Euripi erant aquæductus & alvei operis sumptuosi, qui

cum hæc videat, irriferit? Itaque, ut tu paulo ante de lege & de jure differens, ad naturam referebas omnia, sic in his ipsis rebus, quæ ad requietem animi delectationemque quæruntur, natura dominatur. Quare antea mirabar, (nihil enim his in locis nisi saxa & montes cogitabam: idque ut facerem, & orationibus inducebar tuis, & versibus) sed mirabar, ut dixi, te tam valde hoc loco delectari. Nunc contra miror, te, cum Roma absis, usquam potius esse. MAR. Ego vero, cum licet plures dies abesse, præsertim hoc tempore anni, & amœnitatem hanc & salubritatem sequor; raro autem licet. Sed nimirum me alia quoque causa delectat, quæ te non attingit ita. ATT. Quæ tandem ista causa est? MAR. Quia, si verum dicimus, hæc est mea, & hujus fratris mei germana patria: hinc enim orti stirpe antiquissima: hic sacra, hic genus, hic majorum multa vestigia. Quid plura? hanc vides villam, ut nunc quidem est, lautius ædificatam patris nostri studio; qui cum esset infirma valetudine, hic fere ætatem egit in literis. Sed hoc ipso in loco cum avus viveret, & antiquo more parva esset villa, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum. Quare inest nescio quid, & latet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet: siquidem etiam ille sapientissimus vir, Ithacam [3] ut videret, immortalitatem scribitur repudiasse.

II. ATT. Ego vero tibi istam justam causam puto, cur huc libentius venias, atque hunc locum diligas. Quin ipse, vere dicam, sum illi villæ amicior modo factus, atque huic omni solo, in quo tu ortus & procreatus es. Movemur enim nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus, aut admiramur, adsunt vestigia. Me quidem ipsæ illæ nostræ Athenæ non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus delectant, quam recordatione summorum virorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus:

si, qui aquam fluviorum in morem deductam conciperent: quodque fluviorum & freti angusti, quale Euboicum erat, similitudinem haberent, ideo delicati illi splendidis nominibus Nilos & Euripos vocabant. *Idem*.

3 *Ithacam ut videret*] Cicero lib. 1. de Orat. cap. 44. *Cujus rei tanta vis ac natura est, ut Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam sapientissimus vir immortalitati anteponeret*. Homerus Odyss. A, 56. *Idem*.

tus: studioseque eorum etiam sepulcra contemplor. Quare istum, ubi tu es natus, plus amabo posthac locum.

MAR. Gaudeo igitur, me incunabula pæne mea tibi ostendisse. ATT. Equidem me cognosse admodum gaudeo. Sed illud tamen quale est, quod paulo ante dixisti; hunc locum (idem ego te accipio dicere Arpinum) germanam patriam esse vestram? Numquid duas habetis patrias? an est illa [4] una patria communis? nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma, sed Tusculum. MAR. Ego mehercule & illi, & omnibus municipibus duas esse censeo patrias: unam [5] naturæ, alteram civitatis: ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est. Itaque, cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris [6]: ut vestri Attici, priusquam [7] Theseus eosdem migrare ex agris, & in astu [8], quod appellatur, omnes se conferre jussit, & Sunii [9] erant iidem & Attici: sic nos & eam patriam ducimus, ubi nati; & illam, qua excepti sumus. Sed necesse est, caritate eam præstare in qua reipublicæ nomen & universæ civitatis est: pro qua mori, & cui

4 *An est illa una patria communis*] Cum quatuor Mss. a Davisio citatis & cum edit. Ven. 1471. lego, *An est una illa patria communis?* mutato ordine verborum *illa* & *una*: sensus enim postulat, ut vox *una*, non *communis*, sit prædicatum (ut dicitur) sententiæ. Quasi diceret Cicero: Illa patria communis, illa, quæ omnes nos Romanos continet, annon est *una?* Interrogativa particula *an* in hoc loco idem valet ac *annon*. Sic in Offic. I. 15. an *imitari agros fertiles debemus, qui multo plus afferunt, quam acceperunt?* De Fin. V. 14. an *ea, quæ per vinitorem antea consequebatur, & per se ipsum curabit?* Non igitur opus fuit, ut Davisius vocem *non* hic inserendam esse contenderet. *Pearcius.*

5 *Unam naturæ*] Municipium in quo sunt nati. *Turnebus.*

6 *Alteram juris*] Romam, in quam sunt suscepti communicata municipiis civitate. *Idem.*

7. *Priusquam Theseus*] Lege, *postquam*, nisi plane ab historia & veritate discedas. *Passerat.* Annotavit hoc ipsum *Pet. Faber*, ad Luculli cap. 36.

8 *In ἄστυ*] Id est, Athenas. Terentius in palliata comœdia Eun. Act. V. Sc. VI. 17. *An in astu venit?* Turnebus.

9 *Et Sunii erant iidem & Attici*] Sic a multis annis editur. Attamen ne minime quidem dubito quin vitiosa sit hæc lectio: nam, quod *Ursinus* etiam notavit, non *Sunii*, sed Σουνιεῖς, erant dicendi. Ascensius repræsentavit *Symphrantides ex Atticis*, unde συμφρατέρες finxit. Joach. vero Camerarius συμφρητίδες vel συμφρατρίδας. Paulus denique Manutius conjecit, συμφράτορας *esse ex Atticis*. At harum vocum nulla satis est Græca, & *civis Atticus* Atheniensem denotat. Harleian. pr. exhibet *& symphaantidem & aTticis:* reliqui *& symphrantidem*, vel *& sui phrantidem, ex Atticis*. Cogitabam *& sui vici*, vel *pagi, erant iidem, & Attici*: nec a sensu forsan aberrabam; licet quæ fuerit Tullii manus, δημότας dici non queat. Certe tradunt scriptores Atticam *vicatim* & κατὰ κώμας ante Thesei tempora fuisse habitatam. Adi Valerium Maximum lib. V. cap. 3. & Isocratem in Helenæ Encom. *Davis.*

cui nos totos dedere, & in qua noſtra omnia ponere, & quaſi conſecrare debemus. Dulcis autem non multo ſecus eſt ea, quæ genuit, quam illa, quæ excepit. Itaque ego hanc meam eſſe patriam prorſus nunquam negabo, dum illa ſit major, & hæc in ea contineatur.

III. ATT. Recte igitur Magnus ille noſter, me audiente, poſuit in judicio, cum pro Balbo tecum ſimul diceret, rempublicam noſtram juſtiſſimas huic municipio gratias agere poſſe, quod ex eo duo ſui conſervatores [10] exſtitiſſent: ut jam videar adduci, hanc quoque, quæ te procreavit, eſſe patriam tuam. Sed ventum in inſulam eſt. Hac vero nihil eſt amœnius. Etenim hoc quaſi roſtro finditur Fibrenus, & diviſus æqualiter in duas partes latera hæc alluit, rapideque dilapſus cito in unum confluit, & tantum complectitur, quod ſatis ſit modicæ palæſtræ loci. Quo effecto, tanquam id habuerit operis ac muneris, ut hanc nobis efficeret ſedem ad diſputandum, ſtatim præcipitat in Lirem, &, quaſi in familiam patriciam [11] venerit, amittit nomen obſcurius, Liremquè multo gelidiorem facit. Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, cum ad multa acceſſerim, ut vix pede tentare id poſſim: quod in Phædro Platonis facit Socrates. MAR. Eſt vero ita: ſed tamen huic amœnitati, quemadmodum ex Quinto ſæpe audio, Thyamis [12] Epirotes tuus ille nihil, opinor, conceſſerit. QUINT. Eſt ita, ut dicis: cave enim putes Attici noſtri Amaltheo plataniſque illis quidquam eſſe præclarius. Sed, ſi videtur, conſidamus hic in umbra, atque ad eam partem ſermonis, ex qua egreſſi ſumus, revertamur. MAR. Præclare exigis, Quinte. At ego effugiſſe arbitrabar: & tibi horum nihil deberi poteſt. QUINT. Ordire igitur: nam hunc tibi totum dicamus diem.

MAR. *A Jove Muſarum primordia*,

ſicut

10 *Duo ſui conſervatores*] Marius & Cicero. *Turnebus*.

11 *In familiam patriciam*] Qui in adoptionem arrogabatur, familiæ prioris nomen relinquebat, & a patris naturalis poteſtate in adoptivi manum & nomen tranſibat; idque multo magis ſi ex obſcura familia in nobilem tranſiret. Sic T. Pomponius Atticus a Cæcilio avunculo adoptatus, T. Cæcilius Pomponianus Atticus eſt vocatus. Sic qui donabantur libertate, patronorum nomen ſumebant. *Idem*.

12 *Thyamis*] Vide Turnebi Adverſ. xx. 16.

ſicut in Arati carmine orſi ſumus. QUINT. Quorſum iſtuc? MAR. Quia nunc itidem ab eodem, & a cæteris diis immortalibus ſunt nobis agendi capienda primordia. QUINT. Optime vero, frater: & fieri ſic decet.

IV. MAR. Videamus igitur rurſus, priuſquam aggrediamur ad leges ſingulas, vim naturamque legis, ne, cum referenda ſint ad eam nobis omnia, labamur interdum errore ſermonis, ignoremuſque vim ſermonis ejus, quo jura nobis definienda ſint. QUINT. Sane quidem, hercule: & eſt iſta recta docendi via.

MAR. Hanc igitur video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum mundum regeret, imperandi, prohibendique ſapientia. Ita principem legem illam & ultimam, mentem eſſe dicebant, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis dei: ex qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte eſt laudata. Eſt enim ratio, menſque ſapientis, ad jubendum, & ad deterrendum idonea.

QUINT. Aliquoties jam iſte locus a te tactus eſt: ſed ante quam ad populares leges venias, vim iſtius cæleſtis legis explana, ſi placet: ne æſtus nos conſuetudinis abſorbeat, & ad ſermonis morem uſitati trahat. MAR. A parvis [13] enim, Quinte, didicimus, SI IN JUS VOCAT, atque ejuſmodi alias, leges nominare. Sed vero intelligi ſic oportet, & hæc, & alia juſſa ac vetita populorum, vim non habere ad recte facta vocandi, & a peccatis avocandi: quæ vis non modo ſenior eſt, quam ætas populorum & civitatum, ſed æqualis illius, cælum atque terras tuentis & regentis dei. Neque enim eſſe mens divina ſine ratione poteſt, nec ratio divina non hanc

13 *A parvis enim, Quinte, didicimus*, Si in jus Vocat, *atque ejuſmodi alias, leges nominare.*] Erat, qui mendoſam putaret eſſe hanc vocem, *alias*, reſcriberetque, *alia*. Levis hæc mutatio ſenſum efficit fortaſſe planiorem, in hunc modum: Olim cum eſſemus pueri, *didicimus* hoc ex XII. tabulis, Si in jus Vocat, *& ejuſmodi alia, leges nominare*. Sed tamen ſine hac mutatione, & retenta voce *alias*, ſtat eadem ſententia; ſi modo cogitationem referas ad *populares leges*, quarum mentio & nomen anteceſſit. Cæterum, de hoc verſiculo, *Si in jus Vocat*, vide Gravinam, Orig. Juris, lib. II. qui eſt de Jure naturali Gentium, & XII. Tabularum, cap. 67. *Anonymus*.

hanc vim in rectis pravisque sanciendis habere: nec, quia nusquam erat scriptum, ut contra omnes hostium copias in ponte unus assisteret, a tergoque pontem interscindi juberet, idcirco minus Coclitem [14] illum rem gessisse tantam, fortitudinis lege atque imperio putabimus: nec, si regnante Tarquinio nulla erat Romæ scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sex. Tarquinius [15] vim Lucretiæ, Tricipitini filiæ, attulit. Erat enim ratio profecta a rerum natura, & ad recte faciendum impellens, & a delicto avocans: quæ non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum, cum orta est: orta autem simul est cum mente divina. Quamobrem lex vera atque princeps, apta ad jubendum, & ad vetandum, ratio est recta summi Jovis.

V. QUINT. Assentior, frater, ut quod est rectum, verum [16] quoque sit, neque cum literis, quibus scita scribuntur, aut oriatur, aut occidat. MAR. Ergo ut illa divina mens, summa lex est; item cum in [17] homine est perfecto, & in mente sapientis. Quæ sunt autem varie, & ad tempus descripta populi, favore magis, quam re, legum nomen tenent. Omnem enim legem, quæ quidem recte lex appellari possit, esse laudabilem, quibusdam talibus argumentis docent. Constat profecto ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum quietam & beatam, conditas esse leges: eosque, qui primum ejusmodi scita sanxerint, populis ostendisse, ea se scripturos atque laturos, quibus illi adscriptis susceptisque, honeste beateque viverent: quæque ita compo-

posi-

14 *Coclitem illum*] Historia narratur a Livio lib. II. cap. 10.

15 *Sex. Tarquinius*] Livius ab urbe condita lib. I. cap. 58.

16 *Verum quoque*] Veræ legis nomen & potestatem obtineat, non autem jussa & vetita populorum. *Rectum* autem dicit id quod perfectum est, quod absolute justum & sincerum. Hoc enim nomen in perfectione officii ponit, ut scribit lib. I. Offic. cap. 3. Sententia est: Quod omnes numeros justitiæ & æquitatis & virtutis habet, id demum veræ legis nomen obtinet, non istæ leges populares. *Turnebus*.

17 *Item cum in homine*] Itidem in mente sapientis vera & summa lex est, cum in homine est perfectum, id est, cum ad absolutionem & perfectionem homines pervenerunt, in quibus inchoata sunt ista, ut in sapiente, perfecta, quemadmodum in Jove. Existimant autem eandem in homine & Deo rationem & virtutem esse Stoici. Scribitur etiam hunc in modum locus iste, *Item cum in homine est perfecta*, quod erit, cum divina mens & ratio est perfecta in homine: quam scripturam etiam valde probo. Alii legunt, *Quod in homine est perfectum*: quod etiam laudo. *Idem*.

posita sanctaque essent, eas leges videlicet nominarunt. Ex quo intelligi par est, eos, qui perniciosa & injusta populis jussa descripserint, cum contra fecerint, quam polliciti professique sint, quidvis potius tulisse, quam leges: ut perspicuum esse possit, in ipso nomine legis interpretando inesse vim & sententiam justi, & juris legendi.

Quæro igitur a te, Quinte, sicut illi solent; Quo si civitas careat, ob eam ipsam causam, quod eo careat, pro nihilo habenda sit, id estne numerandum in bonis? QUINT. Ac maximis quidem. MAR. Lege autem carens civitas, anne ob ipsum habenda nullo loco? QUINT. Dici aliter non potest. MAR. Necesse est igitur, legem haberi in rebus optimis. QUINT. Prorsus assentior.

MAR. Quid, quod multa perniciose, multa pestifere sciscuntur in populis, quæ non magis legis nomen attingunt, quam si latrones [18] aliqua consessu suo sanxerint? Nam neque medicorum præcepta dici vere possent, si quæ inscii imperitique pro salutaribus mortifera conscripserint: neque in populo lex, cuicuimodi [19] fuerit illa, etiam si perniciosum aliquid populus acceperit. Ergo est lex justorum injustorumque distinctio, ad illam antiquissimam, & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos.

VI. QUINT. Præclare intelligo: nec vero jam esse ullam legem puto non modo habendam, sed ne appellandam quidem. MAR. Igitur tu Titias [20] & Apuleias leges nullas putas? QUINT. Ego vero ne Livias [21] quidem. MAR. Et

18 *Latrones*] Vulgati, *latores*, a quibus discedere audemus, cum sana & minime dubia videatur alia lectio, quam indicat Justus Lipsius, Antiquæ Lect. lib. II. cap. 2.

19 *Cuicuimodi*] Id est cujuscunque modi, quod pro *cujuscujusmodi*, id est cujuscunque modi, a Cicerone usurpatum in oratione pro Roscio cap. 34. annotat Priscianus lib. XIII. *Vereor enim, cuicuimodi es, Rosci, ne ita hunc videar voluisse servare, ut tibi non pepercerim.* Turnebus.

20 *Titias*] Minime dubito quin eæ significentur leges, quas Sextus Titius & L. Apulejus Saturninus, invita nobilitate, plebis commodo & voluntati servientes, pertulerunt; quas postea senatus, quod non modo parum utiles reip. verum etiam exitiosæ viderentur, sustulit. *P. Manutius.*

21 *Ne Livias quidem*] M. Livius Drusus trib. pl. fautor primum senatus, socios & populos Italicos ad senatus causam defendendam spe civitatis Romanæ sollicitavit.

Agra-

recte, quæ præsertim uno versiculo senatus, puncto temporis, sublatæ sint : lex autem illa, cujus vim explicavi, neque tolli, neque abrogari potest.

QUINT. Eas tu igitur leges rogabis videlicet, quæ nunquam abrogentur? MAR. Certe, si modo acceptæ a vobis duobus erunt. Sed, ut vir doctissimus fecit Plato, atque idem gravissimus philosophorum omnium, qui princeps de republica conscripsit, idemque separatim de legibus ejus, id mihi credo esse faciendum; ut priusquam ipsam legem recitem, de ejus legis laude dicam. Quod idem & Zaleucum [22], & Charondam fecisse video; cum quidem illi non studii & delectationis, sed reipublicæ causa leges civitatibus suis scripserint. Quos imitatus Plato, videlicet hoc quoque legis putavit esse, persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere. QUINT. Quid, quod Zaleucum istum negat ullum fuisse Timæus [23]? MAR. At Theophrastus [24] auctor haud deterior, mea quidem sententia; meliorem multi nominant: commemorant vero ipsius cives, nostri clientes [25], Locri. Sed sive fuit, sive

Agrarias deinde leges per vim & contra auspicia, & frumentarias offenso senatu, ac postremo judicialem legem tulit. Itaque Philippus Cos. obtinuit a senatu, ut omnes ejus leges uno senatusconsulto tollerentur. Decretum est enim contra auspicia esse latas. *Turn.*

22 *Zaleucum*] Qui Locris leges scripsit, ut Charondas Thuriis, quorum meminit Valerius lib. VI. cap. 5. & Diodorus Bibliothecæ lib. XII. *Idem*.

23 *Timæus*] Timæus historicus acerbissimus in omnes convitiator fuit. Aristotelem omni genere contumeliæ vexavit, eoque progressus vesaniæ est maledicendo, ut pro Timæo, a reprehendendo, Epitimæus diceretur. Is acriter Theophrastum reprehenderat, quod Locrorum legislatorem Zaleucum fuisse scripsisset: quem nullum omnino fuisse contendebat. Sed Theophrasti sententiam & auctoritatem Cicero pluris quam Timæi facit. *Idem*.

24 *Theophrastus auctor haud deterior, mea quidem sententia: meliorem multi nominant:*] Et Lipsio & Davisio hæc videntur esse corrupta: credo, quia nihil hic de Theophrasto, Zaleucum exstitisse testante, dicitur: unde Lipsius legit, *mea quidem sententia melior, cum multis nominat:* Davisius vero *mea quidem sententia melior; cum & multi nominant*. Equidem legendum censeo, *At Theophrastus, auctor haud deterior mea quidem sententia, (meliorem multi) nominat:* ut post vocem *multi* voces *censent esse* subintelliguntur. Cicero in Epist. ad Att. VI. 1. dicit, *Quis Zaleucum leges Locris conscripsisse non dixit? Num igitur jacet Theophrastus, si id a Timæo suo familiari reprehensum est?* Unde patet Atticum amantissimum fuisse operum Timæi: credibile est igitur Ciceronem hic, cum Atticus præsens fuerit, voluisse Theophrastum Timæo præferre, non suo, sed aliorum judicio. *Pearcius*. Offero lectori sequentem lectionem, quæ verior videtur, *Theophrastus auctor haud deterior, mea quidem sententia* melior multo, nominat: *commemorant vero*, &c. Miscell. Obs. *Vol.* IV.

25 *Clientes*] Tota illa ora a Vibone Brundusium usque in fide & clientela Ciceronis erat. Cicero pro Plancio: *Iter a Vibone Brundusium terra petere contendi, cum omnia illa municipia quæ sunt a Vibone Brundusium, in fide mea, Judices, essent*. Turnebus.

ſive non fuit, nihil ad rem. Loquimur, quod traditum eſt.

VII. Sit igitur jam hoc a principio perſuaſum civibus, dominos eſſe omnium rerum, ac moderatores deos: eaque quæ gerantur, eorum geri ditione, ac numine, eoſdemque optime de genere hominum mereri: &, qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri: piorumque & impiorum habere rationem. His enim rebus imbutæ mentes, haud ſane abhorrebunt ab utili, & a vera ſententia. Quid eſt enim verius, quam neminem eſſe oportere tam ſtulte arrogantem, ut in ſe rationem & mentem putet ineſſe, in cælo mundoque non putet? aut ea, quæ vix ſumma ingenii ratione comprehendat, nulla ratione moveri putet? Quem vero aſtrorum ordines, quem dierum noctiumque viciſſitudines, quem menſium temperatio, quemque ea, quæ gignuntur nobis ad fruendum, non gratum eſſe cogant; hunc hominem omnino numerare qui decet? Cumque omnia, quæ rationem habent, præſtent iis, quæ ſint rationis expertia; nefaſque ſit dicere, ullam rem præſtare naturæ omnium rerum: rationem ineſſe in ea confitendum eſt. Utiles eſſe autem opiniones has, quis neget, cum intelligat, quam multa firmentur jurejurando; quantæ ſalutis ſint fœderum religiones; quam multos divini ſupplicii metus a ſcelere revocarit; quamque ſancta ſit ſocietas civium inter ipſos, diis immortalibus interpoſitis tum judicibus, tum teſtibus?

Habes legis procemium: ſic enim hoc appellat Plato. QUINT. Habeo vero, frater: & in hoc admodum delector, quod in aliis rebus aliiſque ſententiis verſaris, atque ille: nihil enim tam diſſimile eſt, quam vel ea, quæ ante dixiſti, vel hoc ipſum legis exordium. Unum illud mihi videris imitari, orationis genus. MAR. Vellem fortaſſe: quis enim id poteſt, aut unquam poterit imitari? Nam ſententias interpretari perfacile eſt. Quod quidem ego facerem, niſi plane eſſe vellem meus. Quid enim negotii eſt, eadem prope verbis iiſdem converſa dicere? QUINT. Prorſus aſſentior. Verum, ut modo tute dixiſti, te eſſe malo tuum. Sed jam exprome, ſi placet, iſtas leges de religione.

MAR. Expromam equidem, ut potero: &, quoniam & locus & sermo familiaris est, legum leges voce proponam. QUINT. Quidnam id est? MAR. Sunt certa legum verba, Quinte, neque ita prisca, ut in veteribus XII sacratisque [26] legibus; & tamen, quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora, quam hic sermo est. Eum morem igitur cum brevitate, si potero, consequar. Leges autem a me edentur non perfectæ: nam esset infinitum: sed ipsæ summæ rerum atque sententiæ. QUINT. Ita vero necesse est. Quare audiamus.

VIII. MAR. *Ad divos adeunto caste.* [27]. *Pietatem adhibento. Opes amovento. Qui secus faxit, deus ipse vindex erit. Separatim nemo habessit* [28] *deos: neve novos, sed ne advenas, nisi publice adscitos* [29], *privatim colunto. Constructa a patribus delubra habento. Lucos* [30] *in agris habento, & larum sedes* [31]. *Ritus fami-*

26 *Sacratisque*] Quidam sacratas leges eas dicunt, quas plebs jurata in sacro monte scivit. Livius lib. II. ab urb. cond. cap. 33. *Sunt qui duos tantum in sacro monte creatos tribunos esse dicant; ibique sacratam legem latam per secessionem plebis.* Quidam eas, quibus sancitum est, ut si quis adversus eas fecerit, sacer alicui deorum sit, ut verbi gratia Cereri, erantque de plebis libertate. Proinde sacrosancta quædam in ea lege potestas erat, ut eam violari nefas omnino esset, idque capite expiaretur. Volsci ut majori animo bellum capesserent, omnisque vacatio tolleretur, lege sacrata delectum habuerunt. Livius lib. IV. cap. 26. *Nec ultra terror belli est dilatus, lege sacrata, quæ maxima apud eos vis cogendæ militiæ erat delectu habita.* Sacrabantur leges aut consecratione & obtestatione, aut pœnarum sanctione. Cicero pro Corn. Balbo: *Deinde sanctiones sacrandæ sunt aut genere ipso, ut obtestatione & consecratione legis, aut pœna, cum caput ejus qui contra facit, consecratur.* Idem.

27 *Adeunto caste*] Castimoniam corporis & animi lex requirit, sed in corpore potius observabatur. Ita ad sacrificium pura sacerdotum vestimenta esse oportebat, id est non obtita, non fulgurita, non funesta, non habentia maculam. Sic aqua corpus abluebant, & denarias interdum cæremonias observabant, & tricenarias, decemque continuis diebus vel triginta certis quibusdam rebus abstinebant. Sic puri mensteuo dicebantur, qui sacrorum causa toto mense in cæremoniis erant; id est, puri erant certis rebus carendo. Sic secubabant: & castimoniam in poculis & vasis quadam superstitione observabant. Columella XII. 4. *His autem omnibus placuit eum, qui rerum harum officium susceperit, castum esse continentemque oportere: quoniam totum in eo sit, ne contrectentur vascula vel cibi, nisi aut ab impube: aut certe abstinentissimo rebus venereis.* Itaque impuri a rebus sacris removebantur & arcebantur, lexque Numæ erat ne pellex aram Junonis tangeret. *Idem.*

28 *Habessit*] Id est, habuerit.

29 *Ascitos*] Ut ascitus est Æsculapius Epidauro, & Pessinunte accersita est mater deum. *Idem.*

30 *Lucos*] Silvæ erant fere in conspectu villæ fundique incæduæ, diis consecratæ, quas ferro temerare nefas erat. Plinius de Arboribus lib. XII. §. 2. *Hæc fuere numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc deo præcellentem arborem dicant: nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos & in iis silentia ipsa adoramus.* Erant etiam in urbe luci, non tantum in agris. *Idem.*

31 *Larum sedes*] Lares significat familiares & penates. Plautus: *Dii penates meum parentum, familiæ Lar pater.* Nam penates etiam erant civitatis & Lares. Lararium au-tem

familiæ patrumque servanto. Divos, & eos, qui cælestes semper habiti, colunto, & ollos, quos endo cælo [32] *merita vocaverint, Herculem, Liberum, Æsculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum. Ast olla* [33], *propter quæ datur homini adscensus in cælum, Mentem, Virtutem, Pietatem* [34], *Fidem, earumque laudum delubra sunto. Nec ulla vitiorum sacra solennia obeunto.*

Feriis [35] *jurgia amovento, easque in famulis* [36], *operibus patratis, habento. Itaque* [37], *ut ita cadat in annuis amfractibus* [38], *descriptum esto. Certasque fruges* [39], *certasque baccas sacerdotes publice libanto: hoc certis sacrificiis, ac diebus. Itemque alios* [40] *ad dies ubertatem* [41] *lactis, fœtusque servanto. Id quod ne* [42] *committi possit, ad eam rem & rationem, cursus annuos sacerdotes*

tem eorum sedes dicebatur; cum sedes hic sit ubi sedet signum statutumque est, ut hoc rursus libro cap. 17. *Vexari nostri Lares familiares, in eorum sedibus exædificatum templum licentiæ.* Lares, *deos domesticos* ioterpretatur Tertullianus in Apologetico cap. XIII. Colebantur & in compitis Lares, sed & io conspectu villarum & fundorum: qua de religione hæc lex iotelligitur. *Idem.*

32 *Endo cælo*] *Endo* pro *in* veteres usurpabant: sic *endoitium* pro *initio*, & *endoploranto* pro *imploranto*, & *endo procinctu* pro *in procinctu* dicebant. *Idem.*

33 *Ast olla*] *Ast* adversantis non est, verum copulantis. Earum autem laudum omnium, id est, rerum laudandarum & virtutum, Romæ delubra erant. *Idem.*

34 *Pietatem*] Pietati ædes ab Acilio consecrata est, eo loco, ubi quondam mulier habitavit, quæ patrem inclusum carcere mammis suis clam aluit. *Idem.*

35 *Feriis jurgia amovento*] Plato lib. XI. Legum, cum dixisset, *Ne quis cui convitium dicito*, subdit, *Quas ob res prorsus in templo nullus quicquam hujuscemodi unquam obloquatur, nec in publicis item sacris, nec rursus in ludis, aut foro rerum venalium, aut jure, aut denique in publico conventu.* Sed & Cicero ita se lib. I. de Divinat. cap. 45. explicat, *Rebusque divinis, quæ publice fierent*, &c. *Idem.*

36 *In famulis*] Familiam servorum feriari sinant absolutis operibus rusticis: ut Compitalibus, cum rem divinam in compito aut foco faciebant: ut Saturnalibus &c. Simile est dicendi genus *lessum funeris ergo habere.* Idem.

37 *Itaque, ut ita cadat*, &c.] Quod hic dicitur, non est consequens præcedentium; ooo igitur locum habet conjunctio *Itaque*. Cur etiam dicitur *ita cadat?* nihil enim vel in prioribus vel in sequentibus isti voci respondet. Ut sana sit lectio, mihi videtur sic scribendum esse, *Itaque, ut cadant in annuis amfractibus, descriptum esto*: id est, *ita descriptum esto, ut* (feriæ) *cadant*, &c. *Pearcius.*

38 *Annuis amfractibus*] In anni curriculis & fastis. Sic io VI. de Rep. *Nam cum ætas tua septenos octies solis amfractus reditusque converterit*, id est, aonos. *Turneb.*

39 *Certasque fruges*] Antiqui certis frugibus in sacrificiis utebantur, ut fere adoreo farre, ex quo libum persæpe, struem, aut molam cooficiebant: quæ etiam tanquam προθύματα in quibusdam sacris erant. Adde quod Plinius scribit, lib. XVIII. cap. 2. *Idem.*

40 *Alios ad dies*] Ad alias ferias, in quibus lacte vel lacteotibus hostiis opus est. *Idem.*

41 *Ubertatem*] Nam lacte Cereri libabatur. Virgilius Geor. I. 344.

Cui tu lacte favos, & molli dilue Baccho.

Nec fœtus illico sacris idooeus erat, verum ovis die septimo, suis decimo. *Idem.*

42 *Id quod ne*] In quo oe peccari possit, utque istarum rerum suppetat ubertas. Id *committi* dicitur, in quo delinquitur. Sic *sacrum commissum*, cum in religionem & sacra peccatum est. *Idem.*

dotes finiunto. Quæque quoique divo [43] decoræ grateæque sint hostiæ, providento: divisque [44] aliis alii sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto. Virgines Vestales in urbe custodiunto ignem foci [45] publici sempiternum.

Quoque hæc privatim [46] & publice modo rituque fiant, discunto ignari a publicis sacerdotibus. Eorum autem duo [47] genera sunto; unum, quod præsit cæremoniis & sacris: alterum, quod interpretetur fatidicorum & vatum effata incognita, cum senatus populusque adsciverit [48]. Interpretes [49] autem Jovis optimi maximi publici augures signis & auspiciis postea [50] vidento: disciplinam tenento.

Sacerdotes [51] vineta virgetaque, & salutem populi auguranto. Quique agent rem duelli, quique popularem, auspicium præmonento,

43 *Quæque quoique divo*] Singulis diis suæ quondam erant hostiæ, Cereri porca, Baccho caper, Neptuno taurus: nec aliena hostia deus placabatur. Idcirco Jovi tauro, verre, ariete facere non licebat. Jam aliis diis hostiæ lactentes, aliis majores: aliis fœminæ, aliis mares immolabantur. *Idem*.

44 *Divisque aliis sacerdotes*] Nam pontifex omnibus religionibus ac cæremoniis publicis privatisque, nec non sacris ac rebus omnino divinis præest. Flamen autem unius dei est sacerdos, ut Dialis, Vulcanalis, Quirinalis. Erant præterea alii sacerdotes nec flamines, nec pontifices, ut Salii, & alii. Sed & sacerdotes erant illis diis, quibus suus flamen. Ordo autem is erat sacerdotum, ut omnium maximus rex esset, deinde Dialis, post hunc Martialis, mox Quirinalis, quinto loco pontifex max. qui judex & arbiter habebatur rerum divinarum & humanarum. Hic ex interpretatione Ciceronis legendum videtur *divisque ollis*. Sed & fuera nonnulli legunt *hemque* ollos *ad dies*. Idem.

45 *Ignem foci*] Focus domicilineum sacer est Vestæ, & in eo res divina Laribus plerumque fiebat. Eodem modo civitatem suum habere focum voluerunt, in quo perpetuus ignis a virginibus servaretur. Ipsa, *Cumque Vesta quasi focum urbis*, &c. Sex autem erant Vestales, quarum una dicebatur maxima, quæ & ætate & dignitate præstabat. Valerius, lib. 1. cap. 1. 7. *Idem*.

46 *Quoque hæc privatim*] Ne quis sine sacerdotibus religioni publicæ privatæque satisfacere se posse putet: itaque sacrificandi ritum ignarus discat, & sacerdotem consulat. *Idem*.

47 *Eorum autem duo*] Alii sacerdotes placandis diis præsunt, ut pontifices: alii prædictionibus interpretandis, quas *effata* vocat, ut decemviri, qui quoties senatus decreverat libros sibyllinos adibant, & sibyllæ effata interpretabantur. Sunt etiam *effata*, novissimæ preces augurum, quas post fines auspiciorum effabantur. *Idem*.

48 *Adsciverit*] Id est, sciverit, decreverit. Compositum pro simplici antiquo more. *Idem*.

49 *Interpretes autem*] Ut decemviri effata sibyllæ, ita Jovis sententiam interpretantur augures, quos lib. III. *Jovis consiliarios & administros esse datos ait*. Idem.

50 *Postea*] Deinde etiam augures ex signis disciplinæ suæ videant & augurentur. Nam præter placationem deorum & interpretationem effatorum, auspicia & auguria etiam debent accedere. *Idem*.

51 *Sacerdotes*] Sententia est, sacerdotes augurio capto divos exorent, ut novelleta & virgulta, vitesque fauste succrescant, a deisque salutem augurio precibusque populo impetrent. Sic Cato in lib. de Re Rustica cap. 141. *Mars pater, precor te, uti morbos visos invisosque, viduertatem vastitudinemque, calamitates intemperiasque prohibessis, defendas, averruncesque: uti tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire, beneque evenire sinas*. Virgetorum nomine arbores & frutices signi-

nento, ollique obtemperanto. Divorumque [52] *iras providento, iisque apparento* [53]. *Cœlique* [54] *fulgura regionibus ratis temperanto: urbemque, & agros, & templa* [55] *liberata, & effata habento: quæque augur injusta, nefasta, vitiosa, dira defixerit* [56], *irrita infectaque sunto: quique non paruerit, capitale esto.*

IX. *Fœderum, pacis, belli, induciarum oratores, feciales* [57], *judices duo sunto. Bello* [58] *disceptanto. Prodigia, portenta ad Etru-*

significantur, ut apud Maronem Georg. II. 2. nomine *virgultorum*. Salutis autem augurium erat hujusmodi, ut si deus annueret, populo salutem peterent. Perinde ac si nefas esset, vel salutem petere, nisi explorata per auguria numinis voluntate. Cicero, de Divin. I. 47. *Tibi P. Claudius augur consuli nunciavit, addubitato salutis augurio*, &c. Idem.

52 *Divorumque iras*] Providento num irati dii sint: ut neque domi, neque militiæ, quicquam agendum sit, averso & irato numine. *Idem.*

53 *Apparento*] Id est parento, ut nihil geratur deo irato. Sic supra *asciverit* pro *sciverit*, more prisco. *Idem.*

54 *Cœlique fulgura*] Tuscorum literæ in sedecim partes cælum divisere, ex quibus octo ab exortu sinistras dixere; totidem e regione, dextras: ab illis prospera, ab his infausta fulgura mittuntur. Ad augures autem, de quibus hic agitur, id etiam pertinet. Cicero lib. III. de Leg. cap. 19. de augure: *Cœlique partes sibi definitas esse traditas*. In templis etiam augurum partes sunt quatuor, sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septentrionem. In fulguribus autem ea aruspices & augures considerabant, quæ Lucretius attigit lib. VI. 86. &c. *Idem.*

55 *Templa liberata & effata*] Templa regiones sunt, aut agri, certo carmine ab augure lituo finiti & notati, unde in omnes cæli partes ad augurium captandum liber erat aspectus. *Liberata*, inquit Festus, *antiqui pro effata, id est locuta, dixere*. Hic tantum pro liberis & parentibus accipi potest. Festus Pompejus item *minora templa esse*, ait, *cum ab auguribus loca aliqua tabulis aut linteis, ne una amplius ostio pateant, certis verbis definita sunt*. In templis autem liber quoquoversum aspectus erat, ut interdum augures ea quorum altitudo auspiciis obesset, demoliri juberent. Ideoque summissiorem aliis ædem Honoris C. Marius fecit, ne si forte officeret publicis auspiciis, augures eam demoliri cogerent. De effatis sic Varro, lib. V. *Hinc effata dicuntur, quod augures finem auspiciorum cælestium extra urbem agris sunt effati*. Idem.

56 *Defixerit*] Verbum male ominosum dirumque, quod, ut opinor, a sagis quibusdam ductum est, carmine & veneficio, vel nomina hominum vel speciem defigentibus ad noxam. Ovidius Amor. lib. III. Eleg. VII. 29.

Sagaque Phœnicea defixit nomina cera,
Et medium tenues in jecur urget acus.

Seneca de beneficiis, lib. VI. cap. 35. *Execraris enim illum, & caput sanctum dira imprecatione defigis*. Plinius H. N. XXVIII, 2. *Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit*. Idem.

57 *Feciales, judices*] Collegium fecialium his rebus quas lex memorat, præerat, ut Livius & Dionysius explicant. Dionysius autem eos dici posse græce putat [illegible]; & a Numa institutos dicit, sumpto ab Æquicolis exemplo, apud quos, ut Valerius in Fragm. de nominum ratione §. 10. scribit, *primus Sertor Resius jus feciale instituit*. Libri scripti *Judices bisunto*. Ut suspicer scribendum esse *duo sunto*, adducor auctoritate Livii: qui ita lib. IX. cap. 5. scribit, *Ubi si ex fœdere acta res esset, præterquam duorum fecialium nomina non extarent*. Idem. Non video quare illud *duo* debeat placere. Varro memorat quatuor ad hoc negotium, alii plures. In antiquis libris legitur, *judices ne sunto*, ex quo facio, *feciales judicesque sunto*. Scheffer.

58 *Bello* (lege, *bella*: typographus Verburgianam editionem secutus aberraverat) *disceptanto*]. Jus fecialium esse ait Dionysius, etiam disceptare, justone & pio bello res repeti possint. *Turnebus.*

Etruscos [59] *& haruspices, si senatus jusserit, deferunto: Etruriaque* [60] *principes disciplinam doceto. Quibus divis creverint* [61], *procuranto* [62]*: iidemque fulgura atque obstita* [63] *pianto. Nocturna mulierum sacrificia ne sunto, præter olla* [64], *quæ pro populo rite fiant. Neve quem initianto* [65], *nisi ut assolet Cereri, Græco sacro* [66].

Sacrum [67] *commissum, quod neque expiari poterit, impie commissum est: quod expiari poterit, publici sacerdotes expianto. Ludis publicis* [68], *quod sine curriculo & sine certatione corporum fiat, popularem lætitiam in cantu & fidibus, & tibiis moderanto: eamque cum divum honore jungunto. Ex patriis ritibus optuma colunto. Præter Idææ* [69] *matris famulos, eosque justis diebus*

59 *Etruscos & haruspices*] Deleta particula, quæ conjungendi vim habet, legendum censeo, *Etruscos haruspices*. Muretus, in Catil. III. 8.

60 *Etruriaque principes*] Vide Cic. de Divin. I. 41. & Val. Max. I. I. Sensus est, ut quibus de rebus consulti fuerint Etrusci, ex disciplina sua doceant principes, id est, senatum: ut libro primo *principum decreta* dixit. *Turnebus*.

61 *Creverint*] Id est, decreverint, constituerint. Varro de lingua Latina lib. VI. *Idem*.

62 *Procuranto*] Sacrificium quod fit ad depulsionem & expiationem monstrorum & portentorum, procuratio dicitur: & ea gratia rem divinam facere est monstra procurare. *Idem*.

63 *Obstita*] *Obstitum* Cloatius & Ælius Stilo esse ajunt violatum, tactumque de cælo, quæ significatio hic convenit. Cincius eum qui deo deæque obstiterit, id est, qui viderit quod videri nefas est. Est & *obstitum*, obliquum & mendosum. Lucretius, IV. 519. *Idem*.

64 *Præter olla*] Præter sacrificium Bonæ Deæ, quod noctu pro populo fiebat. Cicero: *Credo enim te audivisse cum apud Cæsarem pro populo fieret, venisse ea muliebri vestitu virum*. Hoc autem sacrum *Damium* dicebatur, ex contrario, quod minime esset δημόσιον id est publicum, & Bona Dea Δαμία, & ejus sacerdos Δαμιάτρια. Publica porro sacra pro populo, pagis, curiis fiunt: privata pro singulis hominibus, familiis, gentibus. Quidam scribunt etiam a Romulo pervigilationes nocturnas sublatas lege lata fuisse. *Idem*.

65 *Initianto, nisi*] Vel, ut receptum est, vel non, ut in Græcia, noctu, sed interdiu. Tolluntur autem initia Samothracum, Bacchanalium, & alia hac lege. Initia vocantur ab initiis vitæ, inventis a Cerere legibus & frugibus, in quarum rerum memoriam fiebant, cum ante ferino ritu homines vitam sibi propagarent. *Idem*.

66 *Græco sacro*] *Græca sacra*, inquit Festus, *Cereris festa sunt ex Græcia translata, quæ ob inventionem. Proserpinæ matronæ colebant*. Idem.

67 *Sacrum commissum*] Peccatur in sacra diesque festos, prudenter vel imprudenter. Prudentia impia est nec expiari potest: contemptum enim habet religionis & scelus. Imprudentia expiatur. *Idem*.

68 *Ludis publicis*] Id est in ludis publicis theatralibus. Ludos autem publicos more Romano, circo & cavea dividit: qua in re, extra curricula circensia & pugilationem luctationemque, quæ circi sunt, approbat: in theatralibus & scenicis ludicris, quæ sunt caveæ, moderationem adhibendam musicæ censet, ne illius corruptela animi effœminentur & depraventur. Sic Græci dividunt ludos in gymnicos & musicos. In gymnicis est luctatio & pugilatio & curricula: in musicis comœdiæ & tragœdiæ, & alia. Legem autem hanc a Platone sumpsit. *Idem*.

69 *Idææ matris*] Sic appellabatur mater magna, ab Ida monte. Lucretius, II. 611.

Idæam vocitant matrem, &c.

Stipem lex summovet, quoniam superstitione animos implet, & exhaurit domos. Olim nam-

bus [70] *, ne quis stipem cogito. Sacrum, sacrove* [71] *commendatum qui clepserit rapseritque, parricida* [72] *esto. Perjurii pœna divina exitium; humana, dedecus. Incestum pontifices supremo supplicio sanciunto. Impius ne audeto placare donis* [73] *iram deorum. Caute* [74] *vota reddunto. Pœna violati juris esto. Ne quis agrum* [75] *consecrato. Auri, argenti, eboris sacrandi modus esto. Sacra privata* [76]*, perpetua manento. Deorum manium* [77] *jura, sancta sunto. Hos leto datos* [78]*, divos habento. Sumptum in ollos luctumque minuunto.*

X. ATT. Conclusa quidem est a te magna lex, sane quam brevi-

namque Isidis sacerdotes, aliique divinarione quadam & cæremonia non exiguum æs colligebant, & pravam religionem inducebant, quod genus homines æruscatores fere vocabant. In hujusmodi homines Plato X. de Legibus animadvertit. Idæam autem matrem ex Pessinunte advectam Nasica hospitio excepit. Megalensibus ejus famuli Galli stipem cogebant. Hujus stipis Varro meminit lib. IV. Lucretius eadem de re, II. 626. Ovidius, Fast. IV. 350. *Idem.*

70 *Justis diebus*] Diebus illis, quibus est eis jus cogendæ stipis. *Idem.*

71 *Sacrum sacrove commendatum*] Id autem *sacro commendatur*, quod in sacro deponitur: nam *commendare nihil aliud est quam deponere*. Verba sunt Ulpiani Digg. lib. L. Tit. XVI. leg. 186. *Davisius.*

72 *Parricida esto*] Festus in *Parici Quæstores*: Parricida *non utique is, qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcumque hominem. Id autem fuisse indicat lex Numæ Pompilii regis his composita verbis*: Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, parricida esto. Vult igitur noster, ut is *qui sacrum sacrove commendatum clepsit rapsitque*, pari pœnæ subjiciatur ac si parricidii reus fuisset. Parricida vero, seu, quod eodem redit, homicida, impune potuit occidi. Vide Barn. Brissonium Form. lib. II. *Idem.*

73 *Placare donis*] Ne rem divinam facere ausit. Hæc lex ex Platone est. *Turneb.*

74 *Caute*] Diligenter vota redduoto quibus se obligarint. *Idem.*

75 *Agrum*] Agri consecrati sunt aut sacri, ut quæ hodie vocamus prædia ecclesiastica & sacra. Clodius domum Ciceronis consecravit. L. Ninnius omnia bona P. Clodii consecravit. Imperatores sæpe agros captos consecrarunt, etiam urbes, ut Carthaginem Africanus. Interdum Cereri caput cum bonis sacrabatur. Lex Papiria vetuit ne cujus ædes injussu populi consecrarentur. Nunc ne agri consecrentur cavet Cicero, a Platone sumpta lege. *Idem.*

76 *Sacra privata*] Nam jurisconsulti rationes quasdam interimendorum sacrorum invenerant. Ideo id sancit. Cicero pro Muræna, cap. XII. *Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio senes ad coemptiones faciendas interimendorum sacrorum causa reperti sunt.* Idem.

77 *Deorum manium*] Augustinus lib. IX. de civitate Dei cap. XI. Platonicos ait, *animos hominum dæmonas esse arbitrari, & ex hominibus fieri Lares, si meriti sunt boni, Lemures seu Larvas, si mali: Manes autem deos dici, cum incertum est bonorum eos seu malorum esse meritorum.* Hic tamen deos manes, animos humanos corpore liberatos appellat, ut sepulcris inscribebatur D. M. Nam veterum opinio mortuorum animos consecravit, eisque parentavit denicalibus feriis, quas nunc lex & sepulturæ jura sanciunt. *Idem.*

78 *Hos leto datos*] Non concoquo illud *hos*, nec enim habet quo referatur. Nam ad deos manes qui retulerit, monstrare debet eos leto dari. Quare suspicor illud *hos* compendium scripturæ esse, ac significare *homines*. Scheffeus. Lego *suos leto datos, divos habento*. Servius in Æn. V. 47. *Apud Romanos defunctorum* parentes *dei a filiis vocabantur*. Rescribendum puto, *Apud Romanos defunctorum parentum manes, dei a filiis vocabantur*. Quod certe factum. Adeundi sunt præstantissimi viri If. Casaubonus ad Suetonii Julium cap. 88. & Des. Heraldus ad Arnobii lib. II. *Davisius.*

breviter: &, ut mihi quidem videtur, non multum discrepat ista constitutio religionum a legibus Numæ [79], nostrisque moribus. MAR. An censes, cum in illis de republica libris persuadere videatur Africanus, omnium rerumpublicarum nostram veterem illam fuisse optimam, non necesse esse optimæ reipublicæ leges dare consentaneas? ATT. Immo prorsus ita censeo. MAR. Ergo adeo exspectatæ leges, quæ genus illud optimum reipublicæ contineant: &, si quæ forte a me hodie rogabuntur, quæ non sint in nostra republica, nec fuerint, tamen erant fere in more majorum, qui tum, ut lex, valebat.

ATT. Suade [80] igitur, si placet, istam ipsam legem, ut ego, UTI ROGAS [81], possim edicere. MAR. Ain' tandem, Attice, non es edicturus aliter? ATT. Prorsus majorem quidem rem nullam sciscam aliter. In minoribus, si voles, remittam hoc tibi. MAR. Atque mea quidem sententia est. At, ne longum [82] fiat, videte. ATT. Utinam quidem! quid enim agere malumus?

MAR. *Caste* jubet lex adire ad deos, animo videlicet, in quo sunt omnia: nec tollit castimoniam corporis: sed hoc oportet intelligi, cum multum animus corpori præstet; observeturque, ut casto corpore adeatur, multo esse in animis id servandum magis. Nam illud vel adspersione aquæ, vel dierum numero tollitur: animi labes nec diuturnitate vanescere, nec amnibus ullis elui potest.

Quod autem *pietatem* adhiberi, *opes* amoveri jubet: significat probitatem gratam esse deo; sumptum esse removendum. Quid

79 *Numæ*] Qui religionem & cæremonias Romanæ reip. constituerat. Populi tamen Romani religio, ut Cicero scribit, cum in sacra & auspicia divisa esset, adjunctumque esset tertium, si quid prædictionis causa ex portentis & monstris sibyllæ interpretes aruspicesque monuissent, Romulus auspicia, Numa sacra constituerat. *Turnebus*.

80 *Suade*] Ut leges quæ ferebantur, suadebantur. Sic legem Maniliam Cicero suasit. Lex enim quæ promulgata fuerat, cum dies ferundæ venerat, in concione a præcone recitabatur: deinde privati eam suadebant: mox a latore sitella deferebatur, ac sortes æquabantur, tribuumque sortitio fiebat: postremo in suas tribus populus ad suffragium ferendum discedebat. *Idem*.

81 *Uti rogas*] In suffragio ferendo rem probanti tabella dabatur, cui inscriptum erat, *Uti rogas*. Cicero ad Att. I. 14. *Operæ Clodianæ pontes occuparant, tabellæ ministrabantur ita, ut nulla daretur Uti rogas*. Idem. Vid B. Brissonium, Form. lib. 2.

82 *Ne longum*] Videte ne, dum omnes suaderi vultis, vobis odiosus & molestus sim prolixitate. *Idem*.

Quid eſt enim, cum paupertatem divitiis etiam inter homines eſſe æqualem velimus, cur eam, ſumptu ad ſacra adhibito, deorum aditu arceamus? præſertim cum ipſi deo nihil minus gratum futurum ſit, quam non omnibus patere ad ſe placandum & colendum viam. Quod autem non judex, ſed deus ipſe *vindex* conſtituitur; præſentis pœnæ metu religio confirmari videtur. Suoſque deos, aut novos, aut alienigenas coli, confuſionem habet religionum, & ignotas cæremonias etiam ſacerdotibus. Nam a patribus acceptos deos ita placet coli, ſi huic legi paruerunt ipſi. Patrum delubra eſſe in urbibus cenſeo: nec ſequor magos [83] Perſarum; quibus auctoribus Xerxes inflammaſſe templa Græciæ dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia deberent eſſe patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum eſſet & domus.

XI. Melius Græci, atque noſtri: qui, ut augerent pietatem in deos, eaſdem illos, quas nos, urbes incolere voluerunt. Affert enim hæc opinio religionem utilem civitatibus: ſiquidem & illud bene dictum eſt a Pythagora, doctiſſimo viro, Tum maxime & pietatem, & religionem verſari in animis, cum rebus divinis operam daremus: & quod Thales, qui ſapientiſſimus in ſeptem fuit, Homines exiſtimare oportere, omnia quæ cernerentur, deorum eſſe plena: fore enim omnes caſtiores, veluti qui in fanis eſſent maxime religionis. Eſt enim quadam opinione ſpecies deorum in oculis, non ſolum in mentibus. Eandemque rationem luci habent in agris. Neque ea, quæ a majoribus prodita eſt cum dominis, tum famulis, poſita in fundi villæque conſpectu, religio Larum repudianda eſt. Jam ritus familiæ patrumque ſervare, id eſt (quoniam antiquitas proxime accedit ad deos) a diis quaſi traditam religionem tueri. Quod autem ex hominum genere conſecratos, ſicut Herculem & cæteros, coli lex jubet, indicat omnium quidem animos immortales eſſe, ſed fortium bonorumque divinos.

83 *Magos Perſarum*] Hac de re conſulendus Herodotus eſt. Magi autem apud Perſas, philoſophi ſunt ac ſacerdotes, quorum auctor Zoroaſter fuit. Perſæ porro nec aras, nec ſimulacra, nec delubra ædificabant: ſed celſiſſimis quibuſque in jugis victimas immolabant. *Idem*.

vinos. Bene vero, quod Mens, Pietas, Virtus, Fides, consecratur manu: quarum omnium Romæ dedicata publice templa sunt; ut illa qui habeant, (habent autem omnes boni) deos ipsos in animis suis collocatos putent. Nam illud vitiosum [84] Athenis, quod, Cylonio [85] scelere expiato, Epimenide Crete suadente, fecerunt Contumeliæ fanum & Impudentiæ. Virtutes enim, non vitia consecrare decet. Araque vetus stat in Palatio, Febris: & altera Exquiliis, Malæ Fortunæ: quæ omnia [86] ejusmodi detestanda & repudianda sunt. Quod si fingenda nomina Vicæ Potæ [87], fingenda potius a vincendo, at-

que

84 *Nam illud vitiosum*] Ante hæc verba quiddam deesse perspicuum est, quod ex Lactantio patet. Is enim libro primo cap. 20. sic ait, *Magnum Cicero audaxque consilium suscepisse Græciam dicit, quod Cupidinum & Amorum simulacra in gymnasiis consecrasset. Adulatus est videlicet Attico, & hominem irrisit familiarem*. Deinde subdit. *Virtutes enim oportere, non vitia consecrari*. Quæ manifestum est hoc Ciceronis loco citari. *Idem*.

85 *Cylonio scelere*] Historiam ita scribit Thucydides lib. 1. *Cylon quidam Atheniensis fuit Olympionices, vetusta nobilitate, magnaque potentia. Ipsi Delphis oraculum consulenti respondit deus, uti maximis Jovis feriis Athenarum arcem occuparet. Is postquam Olympia quæ in Peloponneso celebrantur, advenere, arcem invasit. Quod ubi cognitum est, Athenienses ex agris populariter in eum ad opem urbi ferendam concurrerunt, ac sedentes juxto obsederunt. Cæterum qui cum Cylone obsessi erant, & ab annona & ab aqua misere conflictabantur. Cylon igitur ejusque frater clam fugam faciunt: reliqui ad aram, quæ in arce erat, supplices consident: quos sedibus extractos Atheniensium custodes, ut in æde jamjamque animam acturos viderunt, ne quid sceleris admitterent, extra abductos obtruncarunt; sed & quosdam, qui ad Eumenidum aras consederant, in transitu jugularunt. Inde piaculares deaque sacri ipsi posterique eorum vocati sunt*. Igitur & Athenienses illos exegerunt, & Lacedæmonius postea Cleomenes cum Atheniensibus per seditionem; vivosque non solum pepulere, sed & sublata mortuorum ossa abjecere. Cæterum Epimenides Athenas scelere Cylonio expiavit XLIV. Olympiade. Hujus rei meminit primo Leg. Plato. *Idem*.

86 *Quæ omnia ejusmodi detestanda atque repudianda*] Libri vulgati sic habent, *malæ Fortunæ, detestataque, omnia ejusmodi repudianda sunt*. Veteres sic: *malæ Fortunæ, detestataque omnia ejusmodi*, &c. Unde Adr. Turnebus in commentar. ad hunc locum, legendum putat, *malæ Fortunæ, detestataque omnia ejusmodi repudianda sunt*. Muretus sic, *quæ detestata omnia ejusmodi repudianda sunt*. Alii delendum censent, ut alienum, hoc *detestataque* seu *detestatæque*: ut post vocem *Fortunæ* sequatur deinceps, *quæ omnia ejusmodi*, &c. Idem Turnebus libro Adversar. XIV. sententia mutata, sic legi mavult, *quæ omnia ejusmodi detestanda atque repudianda sunt*. Lambinus.

87 *Vicæ Potæ*] Haud aliter Victorius, Manutius, Lambinus, sed Gruterus, *Vicepotæ*. Legendum, *Vice Potæ*. Quod primus, ni fallor, docuit Nicolaus Faber, quem bonarum artium præceptorem habuit Galliæ rex Ludovicus XIII. Hæc igitur ille in Notis ad Senecæ A'ποκολοκύντωσιν. *Vice Potæ*, „ sive „ dei, sive deæ, ut numen obsoletum, ita „ apud auctores obliteratum pæne nomen est. „ Primum id corruptum latere apud Ciceronem lib. II. de Legibus, itemque apud „ Livium & Plutarchum, me docuit vir clarissimus atque ornatissimus Henricus Memmius, prolatisque, quibus instructissimam „ habet bibliothecam, manuscriptis exemplaribus probavit. Ciceronis locus ita vulgo habetur: *Quod si fingenda sunt nomina „ vice potæ, & potius vincendi potiundique*: „ & quæ sequuntur. Manuscripta vero sic „ exhibent. *Quod si fingenda sunt nomina, „ Vicæ Potæ potius vincendi, potiundique, „ statassandi, quæ cognomina Statoris, & in„ victi Jovis, rerumque expetendarum nomi„ no* &c. quo modo etiam legit codex anti-

„ quus

que potiundo, sistendoque cognomina Statoris, & Invicti Jovis: rerumque expetendarum nomina, Salutis, Honoris, Opis, Victoriæ: quoniamque exspectatione rerum bonarum erigitur animus, recte etiam a Calatino Spes consecrata est: Fortunaque sit vel *Hujusce diei*, nam valet in omnes dies; vel *Respiciens* [88], ad opem ferendam; vel *Fors*, in quo incerti casus significantur magis; vel *Primigenia*, a gignendo comes. Tum [89] ***

XII. Feriarum [90] festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium & jurgiorum; in servis, operum & laborum; quas compositor anni conferre debet & ad perfectionem operum * rusticorum. Quod tempus [91], ut sacrificiorum libamen-

„ quus, qui aliquando fuit F. Petrarchæ, tunc autem amicissimi F. Pithœi P. fratris vere in literis Castorum. Rectius tamen levi mutatione legamus: *Quod si fingenda sunt nomina, Vicæ Potæ potius vincendi, potiundique, sistendique cognomina Statoris, & invicti Jovis, rerumque expetendarum nomina, Salutis, Honoris, Opis, Victoriæ*. Ἀπὸ κοινοῦ enim repetendum est, *fingenda sunt*; idque verum esse ex præcedentibus cuique patebit. Livius etiam, lib. II. cap. 7. de domo Poplicolæ loquens scribit: *Delata confestim materia infra Veliam est, ubi nunc Vicæ Potæ est*. Plutarchus in Poplicola, de eadem re: κατασκεδάσαι οἰκίαν ἐκείνης μετριωτέραν, ὅπου νῦν ἱερόν ἐστι Βίκας πόκας ἐπονομαζόμενον. Nec movere nos debet, quod Plutarchus *Pocam* nominavit; quemadmodum etiam ex quibusdam exemplaribus Livii legitur, & in suo exaratum fuisse adnotavit doctissimus Rhenanus. Corrupto enim vocabulo, ita vulgo vocati potuit. Non enim de mendo Plutarchi lectio argui potest: cum sex Mss. codices Regiæ bibliothecæ, & tres amplissimi illius viri, quorum etiam unus Florentiæ editus ab Juntis anno 1517. summo consensu ita legant. *Vica Pota* igitur, seu *Vica Poca*, vis est & numen vincendi potiundique, dicta, quemadmodum Anna Peranna vis & numen annandi & perannandi. Ut enim satis non est annare, nisi perannes: ita parum est vincere, nisi victoria potiaris & fruaris. Hactenus Nicolaus Faber. *Olivetus*.

88 *Vel respiciens*] Respicientis Fortunæ ædes Romæ fuit juxta templum Jovis victoris. Respiciens dicitur, quæ nos respicit, ut opem ferat. Ad respicientem Fortunam venusse sic in Captivis allusit Plautus, Act. IV. Sc. II. 54. HE. *Respice*. ER. *Fortuna quod tibi nec facit, nec faciet, Hoc me jubet*. Turn.

89 *Tum* ***] Desunt alia *fortunæ* cognomina: variis enim insignita fuit hæcce dea, quod Inscriptionum Gruterianarum docebit Index. Vide sis & B. Brissonium Form. lib. I. *Davisius*.

90 *Feriarum*] Festi dies latius quam feriæ patent: cum ludi festi dies sint, non tamen feriæ. Itaque speciei genus adjunxit, cum de feriis tamen tantum intelligat, de quibus lex cavet. *Turnebus*.

* Lamb. *rusticorum & ad remissionem animorum: per quod tempus*

91 *Quod tempus*] Diligenter habenda ratio intercalandi anni. Intercalatio etenim in sacris ad duo confert: tum ut feriæ anniversario & suo tempore redeant, tum ut libamenta, quæ feriis quibusque offerenda sunt, suo tempore habeantur. Nam per imperitiam intercalandi, & libidinem pontificum æstivæ interdum feriæ, hiemales fiebant: & hibernæ, æstivæ: nec tum propria reveriri libamenta poterant. Qua de re consulito Macrobium lib. I. cap. 13. 14. Anno autem nondum correcto a Julio Cæsare (hæc enim ante bellum civile scripta sunt post lib. de Rep.) alternis annis mensis intercalatis interponebatur, ut lunæ cursus qui menses metiebatur, cum sole congrueret. Hic quidam *ad quod tempus* legunt, quod non perinde probo. *Idem*.

menta ferventur, fœtufque pecorum, quæ dicta in lege funt, diligenter habenda ratio intercalandi eft: quod instititutum perite a Numa [92], pofteriorum pontificum negligentia diffolutum eft. Jam illud ex inftitutis pontificum & harufpicum non mutandum eft, quibus hoftiis immolandum cuique deo, cui majoribus [93], cui lactentibus, cui maribus, cui fœminis. Plures autem deorum omnium, finguli fingulorum facerdotes, & refpondendi juris [94], & confitendarum [95] religionum facultatem afferunt. Cumque Vefta [96], quafi focus urbis, ut Græco nomine eft appellata, (quod nos prope idem Græcum interpretatum nomen tenemus) confpecta fit; ei colendæ virgines [97] præfint, ut adviligetur facilius ad cuftodiam ignis, & fentiant mulieres in natura fœminarum [98] omnem caftitatem pati.

Quod

92 *A Numa*] Nam Valerius Antias Numam primum auctorem intercalationis fuiffe facrorum caufa ait. Junius Servium regem: Tuditanus decemviros. Aftipulatur Cicero Antiati, ut Livius, qui quidem ita fcribit: *Atque omnium primum ad curfum lunæ in duodecim menfes defcribit annum: quem, quia tricenos dies fingulis menfibus luna non explet, defuntque dies folido anno, qui folftitiali circum agitur orbe, intercalares menfibus interponendo ita difpenfavit, ut vigefima quarta quoque anno ad metam eandem folis, unde orfi effent, plenis annorum omnium fpatiis dies congruerent.* Numa etiam Janum geminum dedicatat, cujus effigies digitis ita compofitis erat, ut CCCLXV. dierum notas haberet. *Idem*.

93 *Cui majoribus*] Ut Neptuno taurus major hoftia immolatur: Robigo, lactens catellus: Matri Deum, fœmina, ut porca: Libero patri mas, ut hircus. *Quæ eft enim caufa*, inquit Arnobius lib. 7. *ut ille tauris deus, hædis alius honoretur aut ovibus, hic lactentibus porculis, alter intonfis agnis; hic virginibus buculis, capris ille cornutis, hic fterilibus vacculis, at ille ingentibus fcrophis, hic albentibus, ille atris, alter fœminei generis, alter vero animantibus mafculinis?* Major hoftia lactenti opponitur, quæ adolevit, ut homines majores & minores ab ætate dici folent. *Idem*.

94 *Refpondendi juris*] Juris pontificii refpondendi munus ad pontifices folos pertinebat: iidem etiam de jure civili refpondebant, nec foli tantum. Sed & pontifices de religione & cæremoniis, & alii facerdotes de jure fuarum cæremoniarum & facrorum finguli refpondebant. *Idem*.

95 *Confitendarum*] Illa defcriptio facerdotum ad confeffionem religionum impellet. *Idem*.

96 *Cumque Vefta*] Legunt, *Cumque Vefta, quafi forum urbis ... complexa fit*, Lamb. & Grut. Vefta a Græcis Ἑστία dicitur: quæ dictio ἐσχάρα quoque, id eft, focum fignificat. Idem fere Cicero lib. II. de Nat. Deor. cap. 27. *Nam Veftæ nomen a Græcis; ea eft enim quæ ab illis Ἑστία dicitur. Vis autem ejus ad aras & focos pertinet. Itaque in ea dea, quæ eft rerum cuftos intimarum, omnis & precatio & facrificatio extrema eft.* Turnebus.

97 *Virgines*] Quatuor initio erant Veftales, poftea fex. Inextinctum cuftodiebant ignem Romæ, ut æternus in Græciæ prytaneis fervabatur. Is tamen quotannis menfe Martio Romæ accendi folebat. Macrobius Saturn. lib. I. cap. 12. *Hujus etiam die prima, ignem novum Veftæ aris accendebant, ut incipiente anno, cura denuo fervandi novati ignis inciperet.* Idem.

98 *In natura fœminarum omnem caftitatem pati*] Cum vix dici poffit, quo fenfu intelligendum fit illud *pati caftitatem*, correctione opus effe cum doctis multis exiftimo. Davifius legit *probari*, vice *pati*; at hoc non videtur fatis effe; leve enim eft dicere, virgines Veftales ideo conftitutas effe, ut ofteude-

Quod ſequitur vero, non ſolum ad religionem pertinet, ſed etiam ad civitatis ſtatum, ut ſine iis, qui ſacris publice præſunt, religioni privatæ ſatisfacere non poſſint. Continet [99] enim, reipublicæ conſilio & auctoritate optimatium ſemper populum indigere. Deſcriptioque ſacerdotum nullum juſtæ religionis genus prætermittit. Nam ſunt ad placandos deos alii conſtituti, qui ſacris præſint ſolennibus: ad interpretanda alii prædicta vatum; neque multorum [1], ne eſſet infinitum, * neque ut ea ipſa, quæ ſuſcepta publice eſſent, quiſquam extra collegium noſſet.

Maximum autem & præſtantiſſimum in republica jus [2] eſt augurum, & cum auctoritate conjunctum. Neque vero hoc, quia ipſe augur, ita ſentio, ſed quia ſic exiſtimare nos eſt neceſſe. Quid enim majus eſt, ſi de jure quærimus, quam poſſe a ſummis imperiis & ſummis poteſtatibus comitiatus, & concilia, vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? quid gravius, quam rem ſuſceptam dirimi, ſi unus augur ALIO DIE dixerit? quid magnificentius, quam poſſe decernere, ut magiſtratu ſe abdicent conſules? quid religioſius, quam cum populo, cum plebe agendi jus, aut dare, aut non dare? quid, legem, ſi non jure rogata eſt, tollere? ut Titiam decreto colle-

derent caſtitatem in fœminis eſſe *probatam*: immo potius dici debuit, eam eſſe neceſſariam, eſſe requiſitam & expetitam. Lambinus potiorem conjecturam memoravit *a natura fœminarum* omnium *caſtitatem* peti: Rectius, ſi unica mutatione legiſſet, *in natura fœminarum omnem caſtitatem* peti. Id eſt, in ſexu fœmineo experi, requiri, vel poſtulari omnis generis caſtitatem, eam quæ eſt animi, & quæ corporis: nam hæc ſic diſtinguuntur in cap. 10. *Obſervetur, ut caſto corpore adeatur, multo eſſe in animie id ſervandum magis*. Pearcius. Probo illud *pati*. Pro *omnem* tamen malo ex vulgatis *omnium*, poſt quod comma ſcribo. Senſus: Hæc ideo ſic inſtitui ut mulieres ſentiant, eſſe in natura fœminarum omnium, habereque hoc omnes ab ipſa natura, ut poſſint pati caſtitatem, id eſt, caſtitatem ferre, ſervare, tueri. *Scheffer*.

99 *Continet enim rempublicam*] Statum civitatis id maxime continet. Pontifices autem & ſacerdotes ex optimatibus ſunt & principibus civitatis, cum ex ſenatoribus creentur: & lege Romuli ſacra & auſpicia tantum erant penes patricios, quanquam poſtea plebejis promiſcua facta, ſenatoribus tamen & optimatibus. *Turn.*

1 *Neque multorum ne eſſet infinitum, neque ne ea ipſa*] Lambinus ſic edidit, *neque multorum ne eſſet infinitum, neque* paucorum librorum, ne *ea ipſa*. Non equidem inficias eo, quin locus mihi depravatus videatur: haud enim de *vatibus* loquitur, ut Turnebus voluit, ſed de *ſacerdotibus*, qui *fatidicorum & vatum effata incognita* declararent. Forſan *neque* multi tamen, *ne eſſet infinitum:* neve *ea ipſa .... quiſquam extra collegium noſſet*. Daviſius.

2 *Jus*] Poteſtas & munus augurum, qui initio tres fuere, ut tres antiquæ tribus, Rhamnenſes, Titienſes, Luceres, ſuum quæque augurem haberent. Poſtea numero multiplicati ſunt, ita tamen ut ſemper impares eſſent. *Turnebus*.

collegii; ut Livias, consilio Philippi, consulis & auguris: nihil domi, nihil foris per magistratus gestum, sine eorum auctoritare posse cuiquam probari?

XIII. ATT. Age, jam ista video, fateorque esse magna: sed est in collegio vestro inter Marcellum [3] & Appium, optimos augures, magna dissensio; (nam eorum ego in libros incidi) cum alteri placeat, auspicia ista ad utilitatem esse reipublicæ composita; alteri disciplina vestra quasi divinare videatur prorsus posse. Hac tu de re, quæro quid sentias. MAR. Egone? divinationem, quam Græci *μαντικὴν* appellant, esse censeo, & hujus hanc ipsam partem, quæ est in avibus cæterisque signis disciplinæ nostræ; quod, cum summos deos esse concedamus, eorumque mente mundum regi, & eorundem benignitatem hominum consulere generi, & posse nobis signa rerum futurarum ostendere, non video cur esse divinationem negem. Sunt autem ea, quæ posui, ex quibus id, quod volnmus, efficitur & cogitur. Jam vero permultorum exemplorum & nostra est plena respublica, & omnia regna, omnesque populi, cunctæque gentes, augurum prædictis multa incredibiliter vera cecidisse. Neque enim Polyidi [4], neque Melampodis [5], neque Mopsi [6]., neque Amphiarai, neque Calchantis, neque Heleni tantum nomen fuisset, neque tot nationes id ad hoc tempus retinuissent, Arabum, Phrygum, Lycaonum, Cilicum, maximeque Pisidarum, nisi vetustas ea cer-

ta

3 *Inter Marcellum & Appium*] Appius Pulcher de augurali disciplina ad Ciceronem scripserat. Cicero, lib. III. Fam. Ep. 4. Idem manes elicere & consulere solebat. Vide Tusc. I. 16. Hic autem cum Marcello in auguratu collega Ciceronis fuit. Cic. II. de Divin. 35. *Idem*.

4 *Neque enim Polyidi*] Quidam *Polletis* hic legunt, qui sequi Suidam videntur, qui *Pollera* quendam scripsisse *ὁδίων οἰωνῶν*, quod quasi tu *viatorium augurium* dicas prodit. Et rursum quendam ejusdem nominis, qui *οἰωνοσκοπικά*, id est, *auguralia* conscripserit. Ciceronem tamen *Polyidi* scripsisse contenderim, etiam suffragante veteri libro. Hujus siquidem Homerus, ut optimi vatis, Iliad. N. *666*. meminit. *Idem*.

5 *Melampodis*] Melampus vaticinationis prudentissimus fuit. Hinc parœmia, *Symbolum Melampode vel Pollete eget*. Nam hi in conjectandis futuris sagacissimi fuerunt. Melampus autem ex eo vocatus fuit quod, cum expositus fuisset a matre & in densis arboribus depositus, ejus pedes extra opacum extantes atri redditi sint solis calore. Is cum catuli draconis, quem interfectum sepelierat, circum linxissent ejus aures, ad divinatinnem instinctus fuit, & vates optimus habitus est. *Idem*.

6 *Mopsi*] Mopsus vates egregius, Ampyci ex Chloride filius, ut ait interpres Apollonii: a quo proverbium, *Mopso certior*. Hunc & Amphilochum Argivorum reges fuisse scribit Cic. I. de Divin. 40. Amphiaraus, Calchas, & Helenus omnibus noti sunt. *Idem*.

ta esse docuisset: nec vero Romulus noster auspicato urbem condidisset, neque Attii Navii nomen memoria floreret tam diu, nisi hi omnes multa ad veritatem admirabilia dixissent. Sed dubium non est, quin hæc disciplina & ars augurum evanuerit jam & vetustate & negligentia. Itaque neque illi assentior, qui hanc scientiam negat unquam in nostro collegio fuisse: neque illi, qui esse etiam nunc putat. Quæ mihi videtur apud majores fuisse dupliciter, ut ad reipublicæ tempus [7] nonnunquam, ad agendi [8] consilium sæpissime pertineret.

ATT. Credo, hercle, ita esse, istique rationi potissimum assentior. Sed redde cætera. MAR. Reddam vero, &, si potero, brevi.

XIV. Sequitur enim de jure [9] belli: in quo & suscipiendo, & gerendo, & deponendo, jus ut plurimum valet, & fides: horumque ut publici interpretes essent, lege sancimus. Jam de haruspicum religione, de expiationibus & procurationibus [10] satis superque in ipsa lege dictum puto. ATT. Assentior, quoniam omni hæc in religione [11] versatur oratio. MAR. At vero, quod sequitur, quomodo aut tu assentiare, aut ego reprehendam, sane quæro, Tite.

ATT. Quid tandem est? MAR. De nocturnis sacrificiis mulierum. ATT. Ego vero assentior; excepto præsertim in ipsa lege solenni sacrificio [12] ac publico. MAR. Quid ergo aget Jaccchus Eumolpidæque [13] vestri [14], & augusta illa mysteria,

7 *Ad reip. tempus*] Nam ad tempus reipubl. semper comparatum augurum collegium existimabat Marcellus, non ad agendi consilium, quod servando de cælo auspicandoque dies vitiare, & concilia & comitia dirimere solerent ex reipub. usu, & religionem animis objicere. Nam sic *tempus* a Cicerone sæpe usurpatur. *Idem*.

8 *Agendi consilium*] Ad explorandam signis & auspiciis voluntatem deorum in rebus agendis, consilioque ex scientia augurali, & divinatione imperiis & potestatibus dando. Itaque si ad agendi consilium pertinebat, erat in ea divinandi quædam disciplina. *Idem*.

9 *Sequitur de jure*] Jus fecialium significat ab Anco constitutum, ut vult Livius, cum jam tamen a Numa ante collegium fecialium iostitutum esset, si Dionysio credimus. *Idem*.

10 *Procurationibus*] Vide supra, ad pag. 143.

11 *In religione*] Cui parendum potius quam contradicendum est: quod alioqui ab Epicureo non admodum religioso dicitur. *Idem*.

12 *Excepto sacrificio*] Bonæ Deæ, quod pro populo fiebat a Vestalibus noctu. *Idem*.

13 *Jacchus Eumolpidæque*] Eumolpus Eleusinius Musæi poetæ filius, Orphei discipulus, versificator fuit. Hic initiandi ritum invenit, & de sacris Cereris & mysteriis conscri-

siquidem sacra nocturna tollimus? non enim populo Romano, sed omnibus bonis firmisque populis leges damus. ATT. Excipis, credo, illa, quibus ipsi initiati sumus. MAR. Ego vero excipiam. Nam mihi cum multa eximia divinaque videntur Athenæ tuæ peperisse, atque in vita hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis [15], quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem, & mitigati sumus: *Initia*que ut appellantur, ita re vera principia vitæ cognovimus: neque solum cum lætitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore [16] moriendi. Quid autem mihi displiceat in nocturnis, poetæ indicant [17] comici. Qua licentia [18] Romæ data, quidnam egisset ille, qui in sacrificium cogitatam libidinem intulit, quo ne imprudentiam quidem oculorum adjici fas [19] fuit? ATT. Tu vero istam Romæ legem rogato: nobis [20] nostras ne ademeris.

XV. MAR. Ad nostra igitur revertor: quibus profecto diligentissime sanciendum est, ut mulierum famam multorum oculis lux clara custodiat, initienturque [21] eo ritu Cereri, quo Romæ

scripsit. Ab eo Eumolpidæ, mysteriorum illorum sacerdotes, vocantur. Per Jacchum vero initia intelligit, in quibus etiam Jacchus, id est Liber, colebatur. Vide lib. II. de Nat. Deor. cap. 24. Atque erat initiatorum vox Ἴακχ' ὦ Ἴακχε, ut est apud Aristophanem in Ranis. Alii interpretantur Ἴακχον hymnum in Liberum patrem & canticum. Ac sane illud canticum illamque vocem initiatorum Cicero intelligere videtur. Interpres Aristophanis ad Ranas vers. 326. Εἰκάς, inquit, dies unus mysteriorum erat, in quo Ἴακχον canebant. *Idem.*

14 *Vestri*] Alii, *nostri*: quod si probatur, etiam Cicero initiatus fuit: quod suspicari quis ex prima Tusculana posset, cap. 13. ubi ait, *Reminiscere, quoniam es initiatus, quæ tradantur mysteriis, tum denique quam hoc late pateat intelliges*. Nam quæ tradantur mysteriis nisi initiatus scire non potuisset. Sed & de se Atticus & Cicerone mox dicere videtur, *Excipis, credo, illa quibus ipsi initiati sumus*. Quin etiam Romæ initiari Cereri solebant, non tamen noctu. Nam Romani mysteria Cereris susceperant. Cic. in Verrem, V. 72. *Idem.*

15 *Mysteriis*] Θεσμοφόρια sunt Cereris legiferæ sacra, quæ Latini *Cereris initia* dicunt, in memoriam legum & frugum a Cerere inventarum. *Idem.*

16 *Cum spe meliore*] Credebant enim Athenienses melius esse initiatis apud inferos: eosque larga & perenni luce frui, & choros ducere. Reliquos autem in cœno volutari, ut ex Aristophanis Ranis intelligi potest, & ex Diogene Laertio, lib. VI. §. 39. *Idem.*

17 *Poetæ indicant*] Quorum sæpe comœdiæ argumenta habent stupratarum Cereris pervigilationibus puellarum. Plautus Aulular. Prol. vers. 36.

Qui illam stupravit nocte Cereris vigiliis.
Idem.

18 *Qua licentia*] Nocturnarum pervigilationum. Clodium notat, qui in opertum Bonæ Deæ ingressus est, quod homini non licebat. *Idem.*

19 *Adjici fas*] Opinio erat oculos amitti ab iis qui ea sacra vidissent. Cicero de Aruspicum responsis, *Aut quod oculos, ut opinio illius religionis est, non perdidisti*. Idem.

20 *Nobis*] Atheniensibus. *Idem.*

21 *Initienturque*] Interdiu, non ut Athenis,

mæ initiantur. Quo in genere severitatem majorum senatus vetus auctoritas de Bacchanalibus [22], [?], & consulum, exercitu adhibito, quæstio animadversioque declarat. Atque omnia nocturna, ne nos duriores forte videamur, in media Græcia Diagondas [23] Thebanus lege perpetua [24] sustulit. Novos vero deos, & in his colendis nocturnas pervigilationes sic Aristophanes, facetissimus poeta veteris comœdiæ, vexat, ut apud eum Sabazius [25], & quidam alii dii peregrini judicati, e civitate ejiciantur. Publicus [26] autem sacerdos imprudentiam consilio expiatam metu liberet; audaciam in admittendis religionibus fœdis damnet, atque impiam judicet.

Jam ludi publici quoniam sunt cavea circoque divisi; sint corporum certationes, cursu, & pugilatione, luctatione, curriculisque equorum usque ad certam victoriam circo constitutis [27]:

nis, noctu. Proinde initia Atheniensium laudat; quæ etiam Romani acceperant: ne noctu fiant præcipit, mulierum pudicitiæ metuens. *Idem.*

22 *Bacchanalibus*] Sp. Posthumio & Martio Philippo coss. Bacchanalia sacrum Græcum & nocturnum, scelerumque omnium seminarium, investigata, ac multorum pœna sublata sunt. Auctor Livius lib. XXXIX. cap. 9. *Idem.*

23 *Diagondas Thebanus*] Nec facti nec hominis ulla, quod sciam, restat memoria. Pagondæ quidem Bœotarchæ meminere Thucydides & alii. Dubito tamen an hic legendum sit Pagondas Thebanus, ut statuit Joan. Meursius Lect. Attic. III. 23. *Davisius.*

24 *Perpetuo*] Citra exceptionem. Nos autem excepimus sacrum Bonæ Deæ. Lex enim perpetua, est lex generalis, & ut loquimur, universalis. *Turnebus.*

25 *Sabazius*] Comœdia in qua Aristophanes Sabazium ejecit, nunc non extat. Cæterum Sabazius a Barbaris Liber pater dicitur, a σαβάζειν quod est bacchari. Ad hæc σάβοι, loca ei dicata, Fanaticique ejus sacerdotes nuncupabantur. De Sabazio Cicero, lib. III. de Nat. Deor. cap. 23. *Idem.*

26 *Publicus*] Id est, sacrum commissum, quod expiari possit, expiet, ut, si quid in sacra admissum sit imprudentia. *Idem.*

27 *Circo constitutis*] Hic locus manifesto corruptus est, cum in eo neque sensus neque canones grammatici inveniantur: & criticorum conjecturæ huc usque videntur longe a scopo aberrasse. Turnebus & Lambinus legunt *constitutæ*, ut cum verbo *certationes* conveniat, & Davisius legit *ad certam victoriam in circo*: constituti sint caveæ cantus *voce*, *ac fidibus*, *& tibiis*, &c. Sed facile est visu, utramque conjecturam nullam esse. Locus, nisi fallor, legi debet, *Jam ludi publici, quoniam sunt caveo circoque divisi, sint corporum* certatione (*cursu*, *& pugilatione*, & *luctatione*) *curriculisque equorum usque ad certam victoriam circo constitutis*: caveæ *cantu ac fidibus & tibiis*, *dummodo ea moderata sint*, *ut lege præscribitur*. Hanc esse veram lectionem primæ partis, conjicio ex capite 9. ubi hæc lex ita exprimitur, *Ludis publicis*, *quod sine curriculo*, *& sine certatione* (aut potius *sive curriculo*, *sive certatione*, ut Manutius edidit) *corporum fiat*, *popularem lætitiam in cantu*, *& fidibus*, *& tibiis moderanto*. Hic duo generalia exercitiorum genera, circo convenientium, simul nominantur; & cum *certatio corporum* includat *cursum*, *pugilationem*, & *luctationem*, tria hæc verba parenthesi inclusi. In mea lectione *circo* est dativus casus, & *certatione corporum*, *curriculisque equorum constitutis circo* significat, eas esse destinatas circo: tunc *caveæ* respondebit *circo*, & sensus ultimæ partis periodi hic erit *cantum*, *& fides*, *& tibias* esse destinatas *caveæ*, &c. Nota me rejicere verbum

cavea [28], cantu, voce ac fidibus & tibiis: dummodo ea moderata sint, ut lege præscribitur. Assentior enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos. Quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem. Namque & incitat languentes, & languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit: civitatumque hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vocum servare modum: quarum mores lapsi ad mollitiem, pariter sunt immutati cum cantibus; aut hac dulcedine corruptelaque depravati, ut quidam putant; aut, cum severitas eorum ob alia vitia cecidisset, tum fuit in auribus animisque mutatis etiam huic mutationi locus. Quamobrem ille quidem sapientissimus Græciæ vir, longeque doctissimus, valde hanc labem veretur. Negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum. Ego nec tam valde id timendum, nec plane contemnendum puto. Illa quidem, quæ solebant quondam compleri severitate jucunda Livianis [29] & Nævianis modis; nunc, [a] ut eadem exsultent, cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus torqueant. Graviter olim ista vindicabat vetus illa Græcia longe providens, quam sensim pernicies illapsa civium animos, malis studiis, malisque doctrinis repente totas civitates everteret: si quidem illa severa Lacedæmon nervos jussit, quod plures [30] quam septem haberet, in Timothei [31] fidibus demi.

XVI.

bum *voce*, ob rationes a Manutio adductas. Dicit enim, in uno veteri sui codice non reperiri; & esse manifestam glossam in vocem præcedentem *cantu*; & mentionem ejus non fieri capite 9. loco mox laudato. *Miscel. Obs. Vol. IV.*

28 *Cavea*] In theatro scenici & musici. Actio autem comœdiarum & tragœdiarum ad musicam pertinet. Itaque ludi scenici & musici iidem sunt: & musicorum nomine hic Cicero actionem etiam fabularum, quæ docetur, complectitur. *Turnebus*.

29 *Livianis & Nævianis*] Ut Plato Ægyptios laudat, apud quos neque pictura, neque choreæ, nec musica immutabatur, sed iisdis poemata semper canebantur: sic Cicero quoque modos antiquos probat, quales a Livio Andronico & Nævio, antiquis poetis, compositi erant. Ii enim cantica scripserant, quæ in ludis publicis & supplicationibus quandoque cani solebant. *Idem*.

a Lamb. *videtis, ut exultent*

30 *Quod plures*] Rescribendum videtur: *quos plures*. Davisius.

31 *Timothei*] Timotheus Milesius fidicen, decimam & undecimam chordam lyræ adjecit, & priscam musicam mollitie effœminavit. Vixit Euripidis & Philippi Macedonis ætate. Athenæus lib. Dipnosoph. XIV. paulo diversius hanc historiam refert: nimirum, *Timotheum Milesium plerisque organum magadem nervorum constructione, quam deceret, numerosius habere visum: eumque idcirco apud Lacedæmonios in judicium vocatum, quod* pra-

XVI. Deinceps in lege est, ut de ritibus patriis colantur optimi: de quo cum consulerent Athenienses Apollinem Pythium, quas potissimumm religiones tenerent; oraculum editum est, *Eas quæ essent in more majorum*. Quo cum iterum venissent, majorumque morem dixissent sæpe esse mutatum, quæsivissentque, quem morem potissimum sequerentur e variis: respondit, *Optimum*. Et profecto ita est, ut id habendum sit antiquissimum & deo proximum, quod sit optimum. Stipem sustulimus, nisi eam, quam ad paucos dies propriam Idææ Matris excepimus: implet enim superstitione animos, & exhaurit domos. Sacrilego pœna est, neque ei soli, qui sacrum abstulerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum: quod & nunc multis fit in fanis. Alexander in Cilicia deposuisse apud Solos [32] in delubro pecuniam dicitur; & Atheniensis Clisthenes [33] Junoni Samiæ, civis egregius, cum rebus timeret suis, filiarum dotes credidit. Sed jam de perjuriis: de incestis nihil sane hoc quidem loco disputandum est.

Donis impii ne placare audeant deos, Platonem audiant, qui vetat dubitare, qua sit mente futurus deus, cum vir nemo bonus ab improbo se donari velit. Diligentia votorum satis in lege dicta est, ac voti sponsio, qua obligamur deo. Pœna vero violatæ religionis justam recusationem non habet. Quid ego hic sceleratorum utar exemplis? quorum sunt plenæ tragœdiæ. Quæ ante oculos sunt, ea potius attingantur. Etsi hæc commemoratio vereor ne supra [34] hominis fortunam esse videa-

priscam musicam labefactaret: cumque quidam supervacaneas ejus chordas abscindere pararet, ostendisse quendam illic Apolloniscum, cui eadem constructione, parique nervorum numero lyra esset; cumque ita dimissum. Produnt etiam Ephoros Terpandrum multasse, quod in cithara, præter necessitatem, unam chordam intendisset: sed & ejus citharam ad rei memoriam, in paxillo suspensam fuisse. Idem etiam Phryni factum ab Ephoris esse Plutarchus auctor est in libello περὶ προκοπῆς. *Turneb.*

32 *Apud Solos*] Ita Ciliciæ urbs juxta Issum vocatur. Solebant autem veteres suas templis divitias committere: quasi & religione, & deum fide servarentur. Herodianus lib. 1. cap. 44. cum Romæ templum Pacis, Commodo regnante, arsisset, multos ex opulentis egenos esse factos refert. In eos autem qui rem sacro commendatam abstulissent, cum sacrilegii pœna olim constituta esset, Antoninus postea voluit, ut dumtaxat furti pœna animadverteretur. Hic alii *apud solem* legunt, id est, in delubro solis. *Idem*.

33 *Atheniensis Clisthenes*] Hujus Clisthenis meminit Herodotus lib. v. quem Athenis ejectum cum piacularibus fuisse a Cleomene prodit. Meminit & Aristoteles III. Politicon. Ab eo remp. Atheniensem, expulsis tyrannis, optime constitutam fuisse scribit Isocrates in Areopagitico. *Idem*.

34 *Supra hominis*] Vereor tamen ne insolentius me efferre videar in hac re, & supra

videatur: tamen, quoniam mihi sermo est [a] apud vos [35], nihil reticebo: velimque hoc, quod loquar, diis immortalibus gratum potius videri, quam grave. ***

XVII. Omnia tum perditorum civium scelere, discessu meo, religionum jura polluta sunt: vexati nostri Lares familiares: in eorum sedibus exædificatum templum licentiæ [36]: pulsus a delubris is, qui illa servarat. Circumspicite celeriter animo, (nihil enim attinet quemquam nominari) qui sint rerum exitus consecuti. Nos, qui illam custodem urbis, omnibus ereptis nostris rebus ac perditis, violari ab impiis passi non sumus, eamque ex nostra domo in ipsius patris [37] domum detulimus, judicia senatus, Italiæ, gentium denique omnium, conservatæ [38] patriæ consecuti sumus: quo quid accidere potuit homini præclarius? Quorum scelere religiones tum prostratæ afflictæque sunt, partim ex illis distracti ac dissipati jacent: qui vero ex iis & horum scelerum principes fuerunt, & præter cæteros in omni religione impii, non solum vita cruciati [39] atque dedecore, verum etiam sepultura ac justis exequiarum [40] caruerunt.

QUINT. Equidem ista agnosco, frater, & meritas diis gratias ago: sed nimis sæpe secus aliquanto videmus evadere.

MAR.

pra hominem me extollere, qui in mea caussa violatam religionem impiis noxæ fuisse commemoraturus sum, & meam pietatem diis cordi fuisse ex nobili & glorioso reditu ostensurus. *Idem*.

a Vict. Man. *apud deos* Grut. *apud eos*

35 *Apud vos*] Libri veteres habent *apud eos:* quod est, apud deos, de quorum violata religione agit, & quos paulo ante appellavit, cum dixit, *Ne placare impii audeant deos*. Hic alii emendant *apud deos*. Qui apud deos loquitur, verum dissimulare non debet, arrogantiæ metu. Mihi etiam placet Æmari Ranconeti viri clarissimi emendatio, ut *apud vos* legatur, quemadmodum supra dixit. *Quoniam & sermo & locus familiaris est*. Idem.

36 *Templum Licentiæ*] De Clodio loquitur: is enim domum Ciceronis incendit, & in area templum libertatis construxit; quam contumelioso nomine licentiam vocat noster. Vide sis Orat. post reditum in Sen. cap. VII. de Harusp. Respons. cap. VIII. pro Domo cap. 41. 42. 51. *Davisius*.

37 *In ipsius patris domum detulimus*] Ex sua domo Minervam Tullius in Capitolium transtulerat. Dion. lib. 38. & 45. Vide & lib. XII. Fam. epist. 25. *Idem*.

38 *Conservatæ patriæ*] Hæc lectio nihil habet in se vitii. Sed cum Paris. repræsentet *de servata patria;* sic ob præstantiam codicis illius omnino legerim. De re ipsa vide Ciceronis Orat. post reditum in Senatu, cap. 9. 10. & pro Domo cap. 28. *Idem*.

39 *Vita cruciati*] Quos sua vita suique mores cruciarint & ulti sint. *Turn.* Vereor ut recte dicatur *vita cruciati*; quapropter suspicor legendum esse potius *non solum vitæ cruciati dedecore:* sic enim loquitur noster in Orat. pro A. Cluentio c. 4. *non sine summo dedecore vitæ ac turpitudine*. Pearcius.

40 *Justis exequiarum*] Id ob Clodii cadaver ait, quod sine imaginibus, exequiis, pompa, laudatione, semiustulatum, dilaniandum prope canibus relictum est: ut in oratione pro Milone scribit. *Turnebus*.

MAR. Non enim, Quinte, recte existimamus, quæ pœna divina sit: & opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus. Morte, aut dolore corporis, aut luctu animi, aut offensione [41] judicii, hominum miserias ponderamus: quæ fateor humana esse & multis bonis viris accidisse. Sceleris autem est pœna tristis: & præter eos eventus, qui sequuntur, per se ipsa maxima est. Vidimus eos, qui nisi odissent patriam, nunquam inimici nobis fuissent, ardentes cum cupiditate, tum metu, tum conscientia: quid agerent, modo timentes; vicissim contemnentes religiones; judicia perrupta ab iisdem; corrupta hominum, non deorum. Reprimam jam, & non insequar longius; eoque minus, quo plus pœnarum habeo, quam petivi. Tantum ponam, erui duplicem pœnam esse divinam [42], quod constaret & ex vexandis vivorum animis; & ea fama mortuorum, ut eorum exitium & judicio vivorum & gaudio comprobetur.

XVIII. *Agri* autem *ne consecrentur*, Platoni prorsus assentior: qui, si modo interpretari potuero, his fere verbis utitur „ Terra igitur, ut focus domiciliorum, sacra deorum omnium est. Quocirca ne quis iterum idem consecrato. Aurum autem & argentum in urbibus & privatim, & in fanis invidiosa res [43] est. Tum ebur ex inani [44] corpore extractum, haud satis castum [45] donum deo. Jam æs atque ferrum, duelli instrumenta, non fani. Ligneum autem quodque [46] voluerit, uno e ligno dedicato, itemque lapideum, in delubris communibus. Textile ne operosius, quam „ mu-

41 *Offensione*] Condemnatione. Sic *offensio prælii* pro lege Manilia, est amissio victoriæ. *Idem*.

42 *Tantum ponam erui, duplicem esse pœnam divinam*] Jure displicet doctis illud *erui*, pro quo Lambinus legit *brevi*, & Davisius *rebus*. Codices vero fere habent *erui*, vel *merui*. Ego delendam esse censeo vocem *erui*, quæ ex voce *merui* videtur nata: suspicorque istud *merui* alteram fuisse lectionem pro *petivi* in fine præcedentis sententiæ; ut esset, *plus pœnarum habeo, quam* merui. *Pearcius*.

43 *Invidiosa res*] Quæ ad invidendum finitimos impellit populos, & ad bellum spe prædæ nonnunquam inferendum: sed & cives & exteros ad spolianda fana & diripienda. *Turneb.*

44 *Ex inani*] Ex inanimo corpore elephantis: id enim hic est *inane*. Ovidius Amor. Lib. III. Eleg. IX. 6.

Ardet in exstructo corpus inane rogo. Idem.

45 *Castum*] Quicquid enim ex cadavere est, funestum & inquinatum censebant. Sic ne lana quidem Pythagoras vestiebatur. *Idem*.

46 *Quodque*] Ex Platone *quod qui* legendum est. *Qui* enim pro *quis* sæpe dicitur, v. & s. sequente. *Idem*.

„ mulieris opus menstruum. Color autem albus, præcipue decorus deo est tum in cæteris, tum maxime in textili. „ Tincta vero absint, nisi a bellicis insignibus. Divinissima „ autem dona, aves & formæ ab uno pictore uno absolutæ „ die: itemque cætera hujus exempli dona sunto „. Hæc illi placent: sed ego cætera [47] non tam restricte præfinio, vel hominum vitiis, vel subsidiis temporum victus. Terræ cultum segniorem suspicor fore, si ad eam tuendam, ferroque subigendam, superstitionis aliquid accesserit.

ATT. Habeo ista. Nunc de sacris perpetuis, & de manium jure restat. MAR. O miram memoriam, Pomponi, tuam! at mihi ista exciderant. ATT. Ita credo: sed tamen hoc magis eas res & memini & exspecto, quod & ad pontificium jus & ad civile pertinent. MAR. Vero; & apertissima sunt istis de rebus & responsa & scripta multa: & ego in hoc omni sermone nostro, quod ad cumque legis genus me disputatio nostra deduxerit, tractabo, quoad potero, ejus ipsius generis jus civile nostrum: sed ita, locus ipse ut notus sit, ex quo ducatur quæque pars juris; ut non difficile sit, qui paulum modo ingenio possit moveri, quæcumque nova causa consultatiove acciderit, ejus tenere jus, cum scias a quo sit capite repetendum.

XIX. Sed jurisconsulti, sive erroris objiciendi causa, quo plura & difficiliora scire videantur: sive, quod similius veri est, ignoratione docendi, (nam non solum scire aliquid, artis est, sed quædam ars etiam docendi) sæpe, quod positum est in una cognitione, id in infinita dispartiuntur: velut in hoc ipso genere, quam magnum illud Scævolæ faciunt, pontifices ambo, & iidem juris peritissimi? Sæpe, inquit Publii filius, ex parte audivi, pontificem neminem bonum esse, nisi qui jus civile cognosset. Totumne? quid ita? quid enim ad pontificem, de jure parietum, aut aquarum, aut ullo [48] omni-

47 *Sed ego cætera*] Assentior Platoni, terram non esse consecrandam: cætera de quibus cavet, non tam restricte præfinio. *Idem*.

48 *Aut ullo omnino*] Puto legendum *aut luminum*. Jura enim parietum, aquarum, stillicidiorum, luminum conjuncta sunt. Illud vero *omnino* non satis assequor, præsertim cum sequatur, *Ergo quod cum religione conjunctum est*. Turneb. Quia hæc cum iis, quæ infra dicuntur, repugnant, Turnebus & Lam-

mnino? Ergo, quod cum religione conjunctum est. Id autem quantulum est? De sacris, credo, de votis, de feriis, de sepulcris, & si quid ejusmodi est. Cur igitur hæc tanta facimus, cum cætera parva sint? De sacris [49] autem, qui locus patet latius, hæc sit una sententia, ut conserventur semper, & deinceps familiis prodantur, &, ut in lege posui, *perpetua* sint *sacra*.

Hoc uno posito, hæc jura pontificum auctoritate consecuta sunt, ut, ne morte patrisfamilias sacrorum memoria occideret, iis essent ea adjuncta, ad quos ejusdem morte pecunia [50] venerit. Hoc uno posito, quod est ad cognitionem disciplinæ satis, innumerabilia nascuntur, quibus implentur jurisconsultorum libri. Quæruntur enim [51], qui adstringantur sacris. Heredum causa justissima est: nulla est enim persona, quæ ad vicem ejus, qui e vita emigraverit, propius accedat. Deinde qui morte testamentove ejus tantumdem capiat, quantum omnes heredes. Id quoque ordine: est enim ad id, quod propositum est, accommodatum. Tertio loco, si nemo sit heres, is, qui de bonis, quæ ejus fuerint cum moritur, usu ceperit plurimum possidendo. Quarto, si nemo sit qui ullam rem ceperit; de creditoribus ejus, qui plurimum servet. Extrema illa persona est, ut is, qui ei, qui mortuus sit, pecuniam debuerit, neminique eam solverit, perinde habeatur [52], quasi eam pecuniam ceperit.

XX. Hæc nos a Scævola didicimus; non ita descripta ab

 anti-

Lambinus rescribunt, *aut luminum*: Davisius vero, quod in MSS. & vet. edit. invenit *si ergo*, reponit *aut ullo omnino* simili? *Ergo quod* &c. At istud *ergo* non videtur hic locum habere; neque enim sequitur, pontificem debere ideo cognoscere id jus civile quod religionem spectat, quod non opus est ut cognoscat eam juris partem, quæ parietes & aquas spectat. Rectius (opinor) ad mentem Ciceronis scribendum esset, *aut ullo omnino*, nisi *quod cum religione conjunctum est?* Pearcius.

49 *De sacris*] De sacris privatis hoc loco differit, quæ pecuniam sequebantur, nec hominum morte interibant, sed heredibus iisve ad quos pecunia pervenisset, adjuncta erant. Ad ea sacra pertinere illud Plauti arbitror in Captivis Act. 1. Sc. IV. 8.

Sine sacris hereditatem sum adeptus effertissimam.

Et in Trinumo Act. 11. Sc. IV. 83.

Cœna hac annona est, sine sacris hereditas. Turnebus.

50 *Pecunia venerit*] Pecunia hic bona tam moventia, quam soli significat, ut apud jurisconsultos. *Idem*.

51 *Quæruntur enim*] Lego, *quærunt*, vel *quæritur*. Davisius.

52 *Perinde habeatur*] Id est, sacris obnoxius sit, quibus obstrictus erat ejus creditor. *Turnebus*.

antiquis. Nam illi quidem his verbis docebant, tribus modis ſacris adſtringi: hereditate: aut, ſi majorem partem pecuniæ capiat: aut, ſi major pars pecuniæ legata eſt, ſi inde quippiam ceperit. Sed pontificem ſequamur [53].

Videtis igitur omnia pendere ex uno illo, quod pontifices [54] pecuniam ſacris conjungi volunt: iiſdemque ferias & cæremonias adſcribendas putant. Atque etiam dant [55] hoc Scævolæ, quod eſt partitio: ut, ſi in teſtamento [56] deducta, ſcripta non ſit, ipſique minus ceperint, quam omnibus heredibus relinquatur, ſacris ne alligentur. In donatione hoc iidem ſecus interpretantur: & quod paterfamilias in ejus donatione, qui in ipſius poteſtate eſſet, approbavit, ratum eſt: quod eo inſciente factum eſt, ſi id is non approbat, ratum non eſt.

His propoſitis, quæſtiunculæ multæ naſcuntur: quas qui non intelligat, ſi ad caput referat [57], per ſe ipſe facile perſpiciat. Veluti ſi minus quis cepiſſet, ne ſacris alligaretur: ac poſt de ejus heredibus aliquis exegiſſet pro ſua parte id, quod ab eo, cujus ipſe heres eſſet, prætermiſſum fuiſſet: eaque pecunia non minor eſſet facta cum ſuperiore exactione, quam heredibus omnibus eſſet relicta: qui eam pecuniam exegiſſet, ſolum ſine coheredibus, ſacris alligari. Quin etiam cavent [58], ut, cui plus legatum ſit, quam ſine religione capere liceat, is per æs & libram [59] heredem teſtamenti ſolvat; propterea

quod

53 *Pontificem ſequamur*] Q. Scævolam, qui ſe propter juris civilis ſcientiam melius iſta explicare cenſet, quam pontifices veteres, quibus ignorantiam juris civilis objicit. *Idem*.

54 *Pontifices*] Nam ſupra dixit, „ Hoc poſito hæc jura pontificum auctoritate conſecuta ſunt, ut, ne morte patris familias ſacrorum memoria occideret, iis eſſent ea adjuncta ad quos ejuſdem morte pecunia venerit. „ In lege enim tantum erat cautum, ut ſacra privata perpetua manerent. *Idem*.

55 *Etiam dant*] De ſuo afferunt, ab antiquis non traditum pontificibus. *Idem*.

56 *Quod eſt partitio: ut, ſi in teſtamenta* &c.] Æmarus Ranconetus hic legendum cenſet, *partitionis caput*, ut mox infra. *Turnebus*. Totum locum ſic refingit libro IV. de Pecun. Vet. cap. 7. *Atque etiam dat hoc Scævola caput partitionis, ut ſi in teſtamenta deducta ſacra non ſint, ipſique minus ceperint, quam omnibus heredibus relinquatur, ſacris ne alligentur*, Gronovius. Exiſtimo legendum eſſe *quod eſt partitionis* caput: *ſi in teſtamenta, ut centum nummi deducerentur, ſcriptum ſit*. Utramque partem meæ conjecturæ firmant illa, quæ in cap. 21. occurrunt, *Partitionis caput ſcriptum caute, ut centum nummi deducerentur*. Pearcius.

57 *Si ad caput referas*] Caput vocat ſententiam perpetuam, ex qua jus pendet, ut, ſacrum ſemper pecuniam ſequi. Quod caput qui teneat, in quæſtiunculis non hæreat. *Turnebus*.

58 *Cavent*] Juriſconſultus enim cavere dicitur, cum alicui conſulit. *Idem*.

59 *Per æs & libram*] Hac ratione fit *mancipatio*, quæ non in homines ſolum, ſed etiam

quod eo loco res eſt, ita ſoluta hereditate, quaſi ea pecunia legata non eſſet.

XXI. Hoc ego loco multiſque aliis quæro a vobis, Scævolæ pontifices maximi, & homines, meo quidem judicio, acutiſſimi, quid ſit, quod ad jus pontificium civile appetatis [60]. Civilis enim juris ſcientia pontificium quodam modo tollitis. Nam ſacra cum pecunia, pontificum auctoritate [61], nulla lege, conjuncta ſunt. Itaque ſi vos tantummodo pontifices eſſetis, pontificalis maneret auctoritas: ſed quod iidem juris civilis eſtis peritiſſimi, hac ſcientia illam eluditis. Placuit P. Scævolæ & Coruncanio, pontificibus maximis, itemque cæteris, qui tantumdem caperet, quantum omnes heredes, ſacris alligari. Habeo jus pontificium. Quid huc acceſſit ex jure civili? Partitionis caput ſcriptum caute, ut centum nummi deducerentur. Inventa eſt ratio, cur pecunia ſacrorum moleſtia liberaretur. Quod ſi hoc, qui teſtamentum faciebat, cavere noluiſſet, admonet juriſconſultus hic quidem ipſe Mucius, pontifex idem, ut minus capiat, quam omnibus heredibus relinquatur. Superiores dicebant, qui quid cepiſſet, adſtringi. Rurſus ſacris liberantur. Hoc vero nihil ad pontificium jus, & e medio eſt jure civili, ut per æs & libram heredem teſtamenti ſolvant, & eodem loco res ſit, quaſi ea pecunia legata non eſſet, ſi is, cui legatum eſt, ſtipulatus eſt id ipſum, quod legatum eſt, ut ea pecunia ex ſtipulatione debeatur; ſitque ea non [62] ***

 *** do-

iam in res mobiles immobileſque legitimum parit dominium. Vide ſis Interpretes ad Caii Inſtit. lib. 1. Tit. vi. 3. & Barn. Briſſonium Select. Antiq. I. 7. necnon Form. lib. vi. pag. 513. Locum fuſius explicat J. Fr. Gronovius de Pec. Vet. IV. 7. pag. 306. Adde Joſ. Scaligerum ad Feſtum in *puri*. Daviſius.

60 *Civile appetatis*] Cujus quadam ſubtilitate jus pontificium evertitis: nam cum pontifices velint eum ſacris alligatum eſſe qui tantundem capiat, quantum omnes heredes; vos calumniam quandam juris civilis adhibuiſtis, & legatarium onere ſacrorum liberaſtis. *Turnebus*.

61 *Pontificum auctoritate*] Nam lex tantum ne ſacra intereant cavet, pontifices ea cum pecunia conjunxerunt: ſed cum Scævolæ pecuniam onere ſacrorum liberent ſolertia & calliditate juris civilis, nimiram jus pontificium evertunt. *Idem*.

62 *Sitque ea non* ***] Huic explendæ lacunæ D. Lambinus ex ora codicis antiqui partim, partim ex Plutarcho *Quæſt. Rom.* ſequentem [illegible] intruſerat, eumque ſecuti ſunt recentiores: *alligata ſacris. Venio nunc ad manium jura, quæ majores noſtri & ſapientiſſime inſtituerunt, & religioſiſſime coluerunt. Februario autem menſe, qui tunc extremus anni menſis erat, mortuis parentari voluerunt: quod tamen D. Brutus, ut ſcriptum a Siſenna eſt, Decembri facere ſolebat. Cujus ego rei cauſam cum mecum quærerem, Brutum reperiebam*

*** doctum hominem [63] sane, cujus fuit Accius perfamiliaris: sed mensem, credo, extremum anni, ut veteres Februarium, sic hic Decembrem sequebatur. Hostia autem maxima parentare, pietati esse adjunctum putabat.

XXII. Jam tanta religio est sepulcrorum, ut extra [64] sacra & gentem inferri fas negent esse; idque apud majores nostros A. Torquatus in gente Popilia judicavit. Nec vero tam denicales [65], quæ a nece appellatæ sunt, quia residentur [66] mortui, quam cæterorum cælestium quieti dies, *feriæ* nominarentur, nisi majores eos, qui ex hac vita migrassent, in deorum numero esse voluissent. Eas in eos [67] dies conferre jus, quibus neque ipsius, neque publicæ feriæ sint: totaque hujus juris compositio pontificalis magnam religionem cæremoniamque declarat. Neque necesse est edisseri a nobis, quæ finis funestæ

viebam idcirco a more maiorum discessisse, (*nam Sifrnanam video confuga, cur is vetus institutum non servarit, ignorare; Brutum autem maiorum institutum temere neglexisse non fit mihi veri simile*) *doctum*, &c. Et hæc pro Ciceronianis laudat Joan. Kirchmannus de Funer. Rom. IV. 1. Cum tamen ipse Lambinus ea esse Tullii non affirmet, illaque nesciant omnes MSS. non est cur alienis assumentis nostrum maculemus. *Davisius*.

63 *Doctum hominem*] Decimum Brutum intelligit, qui Accii poetæ perfamiliaris fuit. Cicero pro Archia, cap. 11. *Decimus quidem Brutus, summus vir & imperator, Accii* &c. Veteres autem extremo anni mense diis manibus parentare solebant, qui Februarius erat: verum posteaquam Februarius secundus anni mensis factus est, obtinuit ut eodem tamen mense res divina eis fieret. Verumtamen Brutus instituti veteris memor, non Februarium, sed Decembrem ultimum mensem sequebatur, in deorum manium parentationibus. Hunc Ciceronis locum, sic in Problem. attingit Plutarchus: Διὰ τί τῶν ἄλλων, &c. Id est, *Cur cum ceteri Romani Februario mortuis parentarent, Decimus Brutus, ut Cicero scribit, id Decembri faciebat?* Turneb.

74 *Ut extra sacra & gentem inferri fas negent esse*] Non video quid hæc verba velint, rectene dicitur *inferri extra?* possuntne etiam *sepulcra inferri*, vel efferri? Suspicor quidem Ciceronem scripsisse, *ut extera sacra & gentem inferri fas negent esse*: ut, sensus sit, Negant fas esse in sepulcra inferri vel mortuos, qui alterius gentis sunt, vel *sacra*, quibus ea gens, cujus est sepulcrum, uti non consuevit. *Prarcius*.

65 *Denicales*] Sic hunc locum primus omnium quod sciam, restituit Æmarus Ranconetus vir clarissimus & eruditissimus. *Denicales*, inquit Festus, *feriæ colebantur, cum hominis mortui causa familia purgabatur*. Gellius, XVI. 4. *Nisi harumce qua causa erit, funus familiare, feriæ denicales, calendæque, quæ non eius rei causa in eum diem collatæ sint*. Sunt autem hæ feriæ privatæ; ut feralia, & parentalia, publicæ. *Festus*: Privatæ feriæ *vocantur sacrorum propriorum, velut dies natales, & operationes denicales*. Turnebus.

66 *Quia residentur*] Id est, quia feriamur mortuis. Residere enim feriari est, a quiete feriarum ducto vocabulo. Plautus, Capt. Act. III. Sc. I. 8.

Ita venter gutturque resident esuriales ferias.

Sed & *sedere* idem quoque declarat. Varro, lib. V. *Liberalia dicta, quod per totum oppidum eo die sedent sacerdotes Liberi*. Quin etiam possidere ferias, ab eadem est origine. Plautus in Epid. Act. III. Sc. IV. 33.

Tuas possidebit mulier faxo ferias. Idem.

67 *Eas in eos dies*] Sunt enim privatæ denicales feriæ, nec statæ, quæ in eos conferendæ sunt dies, quibus nec privatæ ejusdem familiæ feriæ sint, nec ullæ publicæ. *Idem*.

ſtæ familiæ [68]; quod genus [69] ſacrificii Lare vervecibus fiat; quemadmodum os rejectum [70] terræ obtegatur; quæque [71] in porca contracta jura ſint; quo tempore incipiat [72] ſepulcrum eſſe, & religione teneatur.

At mihi quidem antiquiſſimum ſepulturæ genus id fuiſſe videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac ſitum, quaſi operimento matris obducitur. Eodemque ritu in eo ſepulcro, [a] quod procul ad Fontis [73] aras, regem noſtrum Numam conditum accepimus: gentemque Corneliam uſque ad memoriam noſtram hac ſepultura ſcimus eſſe uſam. C. Marii ſitas reliquias apud Anienem, diſſipari juſſit Sylla victor, [b] acerbiore odio incitatus,

68 *Funeſtæ familiæ*] *Funeſta* familia, funere polluta. Virg. Æn. VI. 149.

Præterea jacet exanimum tibi corpus amici,
Heu neſcis, totamque inceſtat funere claſſem.

Ea certo ſacrificio expiabatur & purgabatur. Humato igitur mortuo & piaculis factis, funeſta eſſe deſinit familia. *Idem.*

69 *Quod genus ſacrificii Lare vervecibus fiat*] Laribus vervece ſacrum fiebat, ut ex inſcriptione fratrum Arvalium intelligere poſſumus. *Urſinus.* Saltem ſcribendum fuit *Lari*, quo Latinæ linguæ conſuleretur. Et Laribus quidem immolatos fuiſſe verveces docet Joan. Saubertus de Sacrif. cap. 23. Illi tamen ſcripturæ locus eſſe non videtur, quia diſertis verbis *ſacrificii genus* indicat. Mſſ. Turnebi & S. Victoris, *quod genus* ſacrificare verberibus *fiat*. Pal. & Pariſ. *quod genus ſacrificii* e verberibus *fiat*. Cogitaram *quod genus ſacrificii* in exverris *fiat*. Feſtus in *everriator*: Exverræ *ſunt purgatio quædam domus ex qua mortuus ad ſepulturam ferendus eſt, quæ fit per everriatorem certo genere ſcoparum adhibito, ab* extra verrendo *dicta*. Sed in medio poſita eſt palma. *Davijius.*

70 *Os rejectum terra obtegatur*] Omnes libri vulgati, quibuſcum conſentiunt Mſſ. habent, *os rejectum terræ obtegatur*: emendatum eſt tamen in codice Memm. *rejectu terræ*. Quidam doctus legendum putat, *os reſectum terra obtegatur*. Nonnulli, *os exceptum terra obtegatur*. Turnebus lectionem vulgatam retinet, & *rejectum terræ* interpretatur rejectum in terram, & redditum terræ. Ego ex Feſto, *reſectum terra obtegatur*, legendum conjeci, quod item quibuſdam doctis in mentem veniſſe video. Sic autem Feſtus: *Membrum abſcindi mortuo dicebatur, cum digitus eius decidebatur; ad quod ſervatum juſta fierent reliquo corpore combuſto*. Lambin.

71 *Quæque in porca contracta jura ſint;*] Id eſt, quibus ſuſcipienda porca ſit, quibus non. Porca autem præſa, purgandæ familiæ cauſa Cereri immolabatur: ſed & præcidanea interdum, cum præſertim dicat Feſtus, *ita porcam vocari quæ Cereri mactabatur ab eo qui mortuo juſta non feciſſet, id eſt, glebam non injeciſſet, quia mos erat eis id facere, priusquam novas fruges guſtarent*. Vide Nonium in *præcidaneam*. Turn.

72 *Incipiat ſepulcrum*] Non ante incipit ſepulcrum eſſe, quam eſt injecta gleba, ut mox dicet, nec ante religione tenetur, quam corpus uſtum eſt, reliquiæque conditæ. *Idem.*

a Lamb. *quod non procul a Fontis ara*

73 *Ad Fontis aras*] In Janiculo Numa, Livio, Plutarcho, & Plinio teſtibus, cum ſuis libris in arcis lapideis ſepultus eſt. Illic ad Fontem aræ quædam, ut opinor, erant. Fortaſſe legi poſſet, quod *ad Fontes erat*. Non enim jam erat ætate Ciceronis, ſed multo ante refoſſum ſepulcrum fuerat a ſcriba agrum ſuum in Janiculo repaſtinante: ſed hæc conjectura eſt. Vetus etiam ſcriptura contemnenda non eſt, *Quod procul a Fontis ara*. Idem.

b Lamb. *acerbo odio incitatus, cui paruiſſet nunquam, ſi tam*

tus, quam si tam sapiens fuisset, quam fuit vehemens. Quod haud scio an timens suo corpori posse accidere, primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari. Declarat enim Ennius de Africano, *Hic est ille situs*. Vere: nam siti dicuntur ii, qui conditi sunt. Nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam justa facta & corpus [74] incensum est. Et quod nunc communiter in omnibus [a] sepultis penitus, humati dicuntur: id erat proprium tum in iis, quos humus injecta contegeret: eumque morem jus pontificale confirmat. Nam priusquam in [b] eos injecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis. Injecta gleba, tum & illic humatus est, & gleba vocatur: ac tum denique multa religiosa jura complectitur. Itaque in eo, qui in navi necatus, deinde in mare projectus esset, decrevit P. Mucius, familiam puram, quod os supra terram non exstaret: porcam heredi [75] esse contractam, & habendas triduum ferias, & porco fœmina piaculum pati: si in mari mortuus esset, eadem, præter piaculum & ferias.

XXIII. ATT. Video, quæ sint in pontificio jure. Sed quæro, quidnam sit in legibus. MAR. Pauca sane, Tite, &, uti arbitror, non ignota vobis. Sed ea non tam ad religionem spectant, quam ad jus sepulcrorum. *Hominem mortuum*, inquit lex in XII tabulis, *in urbe ne sepelito, neve urito*. Credo, vel propter ignis periculum. Quod autem addit, *neve urito*, indicat, non qui uratur, sepeliri, sed qui humetur. ATT. Quid, qui post XII in urbe sepulti sunt, clari viri? MAR. Credo, Tite, fuisse, aut eos, quibus hoc ante hanc legem.

74 *Et corpus incensum est*] Suspectum habeo, quando nec incenso corpore adhuc sepulcrum est; & de iis qui non cremabantur, disserit. Vetus scriptura est, *Et corpus cesus est*, altera, *Ossus est*. Fortasse legendum est *corpus cessum est*, id est, cessione quadam sepulcri factum, & sepulcro relictum: tum enim sepulcrum esse incipit, locusque religiosus efficitur: aut ætate Ciceronis etiam *siti* dicebantur quomodocunque sepulti. *Idem*.

a Lamb. *sepultis ponitur, ut humati*

b Idem, *os*

75 *Porcam heredi esse* contractam, & *habendas triduum ferias*] Pall. quart. quint. succinentibus fere melioribus codicibus, exhibent, *porcam heredi esse* contractet *habendas triduum feriae*. Hinc a Grutero jure recepta est acutissima Josiæ Merceri conjectura; quem vide ad *Nonium* in *præcidaneum*. Illi certe dabatur ἄγιος πανοῦ θεοῦ [illegible], cum Victorius Var. Lect. XXIII. 8. Manutius, Turnebus, & Lambinus, nihil hic viderint. *Davisius*.

legem virtutis causa tributum est, ut Publicolæ [76], ut Tuberto [77], quod eorum posteri jure tenuerunt: aut eos, si qui hoc, ut C. Fabricius, virtutis causa, soluti legibus, consecuti sunt. Sed in urbe sepeliri lex vetat. Sic decretum a pontificum collegio, non esse jus in loco publico fieri sepulcrum. Nostis extra portam Collinam, ædem Honoris, & aram in eo loco fuisse, memoriæ proditum est. Ad eam cum lamina esset inventa, & in ea scriptum, DOMINA HONORIS [78]: ea causa fuit ædis hujus dedicandæ. Sed cum multa in eo loco sepulcra fuissent, exarata sunt. Statuit enim collegium, locum publicum non potuisse privata religione obligari.

Jam cætera in XII minuendi sumptus lamentationesque funeris, translata de Solonis fere legibus. *Hoc plus*, inquit, *ne facito. Rogum* [79] *ascia ne polito*. Nostis, quæ sequuntur. Discebamus enim pueri XII, ut carmen necessarium: quas jam nemo discit. Extenuato igitur sumptu, tribus riciniis [80], & vin-

76 *Publicola*] Hi ante tempora decemvirorum fuere, qui duodecim tabulas scripserunt. *Turnebus*.

77 *Tuberto*] P. Posthumius Tubertus, qui primo consulatu collega Valerii Publicolæ fuit: secundo collegam habuit Agrippam Menenium Lanatum, ut scribit Dionysius. *Idem*.

78 *Domina honoris*] Sic Pal. tert. Harleian. pr. sec. Balliol. & Med. At. ipse Gruterus Inscript. p. C. 3. ex *Marliano Faunoque* dedit *Dominæ Honoris*. Verum nec hæc nec illa lectio sensum fundit idoneum. In Paris. & aliis quibusdam MSS. est *mina honoris*; unde Turnebo Lambinoque placuit *lamina honoris*. Pal. quart. *numa honoris*. Repono *numini honoris*. Sic lapides exhibent *numini Fortis Fortunæ*, *numini Serapidis*, & quæ sunt alia ejusdem generis innumera. *Davisius*.

79 *Rogum ascia ne polito*] Ascia dolabræ genus poliendis lignis aptum. Ne autem ex politis fiat lignis pyra lex cavet. Sic ἀπελέκητον θᾶκον dixit Sophocles, impolitum sedile, non exasciatum, ascia non politum. Alii de sepulcris intelligunt, nec, ut opinor, recte. Nam quibusdam in locis hodieque sepulcra sub ascia dedicata visuntur. *Turnebus*. Diatribam *de Ascia* Gallice scriptam nuper edidit vir eruditus, cui summa & veteri necessitudine adjuncti sumus, Fr. Odinus: de quo sæpe alias: nec tam sæpe, quam oportuit. *Oliv.*

80 *Tribus riciniis*] Ricinium, inquit *Festus*, omne vestimentum quadratum. Hi qui duodecim interpretati sunt, dixere togam qua mulieres utebantur, prætextam clavo purpureo. Ricinium autem dictum putat, quod eo uterentur duplici, ab eo quod dimidiam partem retrorsum jaciebant, a rejiciendo. Solon quoque mulieres cum tribus duntaxat vestibus ad pompam funebrem exire voluit: nimirum ut lamentatio & sumptus tolleretur. Plutarchi verba sunt, Οὐδὲ συντεθῆναι πλέον ἱματίων τριῶν. Proinde locum hunc de vestimentis muliebribus intelligo: cui interpretationi suffragatur Varro apud Nonium his verbis: *Ut dum supra terram essent, riciniis lugerent, funere ipso, pullis palliis amictæ*. Rursus Varro: *Et cum mulieres in adversis rebus ac luctibus omnem vestitum delicatiorem & luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt*. Sunt igitur *ricinia* vestimenta mulierum lugubria. *Recinium* multi scribunt, quibus astipulatur etymologia Festi. *Idem*.

vinculis [81] purpuræ, & decem tibicinibus [82], tollit etiam lamentationem. *Mulieres genas ne radunto* [83], *neve lessum* [84] *funeris ergo habento*. Hoc veteres interpretes, Sex. Ælius [85], L. Acilius [86] non satis se intelligere dixerunt, sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris: L. Ælius [87], lessum, quasi lugubrem ejulationem, ut vox ipsa significat. Quod eo magis judico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat. Hæc laudabilia, & locupletibus fere cum plebe communia. Quod quidem maxime e natura [88] est, tolli fortunæ discrimen in morte.

XXIV. Cætera item funebria, quibus luctus augetur, Duodecim sustulerunt. *Homini* [89], inquit, *mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat*. Excipit bellicam peregrinamque mortem. Hæc [90] præterea sunt in legibus de unctura [91]; quibus ser-

81 *Et vinculis purpuræ*] Vetus liber *& vincla purpuræ*. Putavi aliquando legendum, *Et tunicula purpurea*, qua cadavera, ut opinor, cum efferebantur, vestiebantur. Livius XXXIV. 7. *Purpura viri utemur, magistratibus in coloniis municipiisque togæ prætextæ habendæ jus est: nec id ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur mortui*. Alioqui *vincla* fascias intelligemus. Quid si *& clavis purpuræ?* præsertim cum clavo purpureo prætextum ricinium fuisse scribat *Festus*. Hoc omnino verius puto. *Idem*.

82 *Decem tibicinibus*] In nobilium olim funeribus tuba, in pauperum & plebejorum tibia canebant. M. tamen Æmilius Lepidus princeps senatus, ut sine linteis, sine purpura & tibicine funus sibi fieret, filiis præcepit. Decem autem in funere, plures non erant. Ovidius lib. VI. Fastorum vers. 663. hanc legem ædilibus attribuere videtur, quæ tamen decemviralis erat. *Idem*.

83 *Genas ne radunto*] Id est, ne lanianto, ne laceranto. Olim autem ante rogum humanus sanguis effundebatur, vel captivorum, ut apud Homerum in rogo Patrocli: vel gladiatorum, unde Bustuarii gladiatores a Romanis vocati, quorum si copia deesset, fœminæ genas laniantes, cruorem effundebant: quod lex vetat. *Mulier faciem ne carpito*. Idem.

84 *Neve lessum*] Lessus ejulationem significat, vuxque est fictitia, per onomatopœiam. Trucul. Act. IV. Sc. II. 18.

Thetis quoque etiam lamentando lessum
fecit filio.

Lessum autem *habere*, ea dicitur forma, qua *ferias habere*, *habere comitia*, ut cum hera familiæ lamentationem toti imperat, aut præficam adhibet, quæ & ipsa lamentetur, & cæteris det modum plangendi. *Idem*.

85 *Sex. Ælius*] XII. Tabul. interpres, qui Actiones composuit, & librum populo dedit, qui appellatur *Jus Ælianum*: scripsit & librum *Tripertita* inscriptum, in quo juris incunabula docet. Eum Ennius *Catum* vocat. *Idem*.

86 *Acilius*] Citatur a Festo ut juris interpres. Cicero de Senectute Acilium scribit *sapientem* appellatum fuisse, quia prudens in jure civili habebatur. *Idem*.

87 L. *Ælius*] Cognomento Stilo & Præconinus, grammaticus optimus, Varronis magister, cujus meminit Festus, Tranquillus, Varro. *Idem*.

88 E *natura*] Id est, secundum naturam. *Idem*.

89 *Homini mortuo*] Cavet lex ne mortuorum cadaveribus eximantur ossa quædam, quo post sepeliantur; ut recte vidit Jac. Rævardus ad LL. XII. Tabb. cap. 15. quem secutus est Paulus Merula de Leg. Rom. cap. 9. §. 9. *Davisius*.

90 *Hæc præterea sunt in legibus de unctura, quibus servilis unctura tollitur omnisque circumpotatio*] De hoc loco in duas partes disce-

fervilis unctura tollitur, omnifque *circumpotatio* [92]. Quæ & recte tolluntur, neque tollerentur, nifi fuiffent. *Ne fumptuofa* [93] *refperfio*, *ne longæ coronæ*, *nec acerræ* [94] prætereantur. Illa jam fignificatio eft, laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod *coronam virtute partam* [95], & ei, qui peperiffet, & ejus parenti, fine fraude effe lex impofitam jubet. Credoque, quod erat factitatum, ut uni * plura [96] fierent, lectique plures fternerentur: id quoque ne fieret, lege fanctum eft. Qua in lege cum effet, *Neve aurum addito*, quam humane excipit altera

difcedunt viri docti. Jac. Rævardus ad LL. XII. Tabb. cap. 15. & Paulus Merula de Leg. Rom. cap. 9. 2. flatuunt eam tantum uncturam prohiberi, quæ fervorum corporibus fuit adhibita. Lex enim, ut putant, decemviralis noluit, ut idem honos iis ac liberis mortuis daretur. At hoc modo non *tollitur fortunæ difcrimen in morte*, quod tamen fieri debere cenfuit Tullius cap. 23. Turnebus autem & Urfinus volunt uncturam tolli, quæ fit a pollinctorum familia. Tamen ut hæc immunda munia, fi omnino præftanda fuerant, fervi præftare vetarentur, veri non eft fimile. Librariorum, credo, negligentia fecit, ut laborarint interpretes. Nam Parif. fimpliciter exhibet, *hæc preterea funt in legibus de unctura tollitur omnifque circumpotatio*. Lego *hæc preterea funt in legibus*, unctura tollitor omnifque circumpotatio. *Idem*.

91 *Unctura*] Tollit uncturam qua cadavera a pollinctorum familia, ex quo fervilem eam appellat, ungebantur. Nam & a jurifconfulto fcribitur, *Si libitinarius fervum pollinctorem habuerit*. Lex tamen XII. Tab. non obfervabatur, præfertim cum tam fæpe *pollinctorum* Plautus meminerit. *Turnebus*.

92 *Circumpotatio*] Convivium funebre interpretantur, quod Græci περίδειπνον & τάφον vocant, & Latini, ut quidam cenfent, filicernium. In eo, ut opinor, invitatio quædam in orbem fiebat obba. Tertullianus Apol. cap. 13. *Quo differt ab epulo Jovis filicernium? a fimpulo obba? ab harufpice pollinctor?* Cœnam funeris vocat Perfius, Satira VI. verfu 33. Quem tamen locum etiam exponunt de epulis quæ rogo inferebantur: de quibus Plinius ita fcribit, lib. X. §. 12. *Notatam in iis rapaciffimam & femper famelicam alitem nihil efculenti unquam rapere e funerum ferculis*. Sed & nono die facrificium fiebat novendiale, conviviumque dabatur, eoque die parentalia concludebantur. Sed circumpotatio dicebatur fortaffe, quod antequam cadaver efferretur, ut ordo verborum Ciceronis indicat, in orbem biberetur, quod Græci περιπέμπειν τὴν κύλικα dicebant. Sed & feralibus ad fepulcra epulæ ferebantur, quæ erant publicæ feriæ, ut diximus. *Turnebus*.

93 *Ne fumptuofa refperfio, ne longæ coronæ*, nec *acerræ* prætereantur] P. Manutius reponit *præferantur*. Ea tamen vox, ut videtur, loco non bene convenit: nam rogus vino vel murrhata potione refpergi folebat; longas vero coronas fimul ac acerras fepulcris imponere, vel ante mortuum collocare mos erat. Vide Rævardum ad XII. Tabb. cap. 15. Merulam de Leg. Rom. cap. 9. 2. aut Gravinam de Jure Nat. pag. 255. 256. Legendum fufpicor, *ne fumptuofa refperfio, ne longæ coronæ*, ne *acerræ* (fic Parif.) *ufurpentur*. Si velis alia, vide Gutherium de Jure Man. I. 21. *Davifius*.

94 *Acerræ*] Acerræ, auctore Pompejo, aræ erant ante mortuum poni folitæ, in quibus odores incendebant: quanquam alii arculam thurariam interpretantur. *Turnebus*.

95 *Coronam virtute partam*] Vide Plin. XXI. 5. & quæ ibi annotat vir immortalitate dignus, quo nullum religione, literatura, humanitate clariorem novimus, Joan. Harduinus. *Olivetus*.

* Lamb. *plura feretro inferrentur, lectique plures fternerentur*

96 *Ut uni plura*] Vel funera plura uni fierent: vel, quod exiftimo, in funere plura fierent quam oporteret, & jus fineret, ficut fupra fcriptum eft, *Hoc plus ne facito*. Turnebus.

tera lex, *Quoi auro dentes vincti escunt, ast im* [97] *cum illo sepelire urereve, se fraude* [98] *esto*. Et simul illud videtote aliud habitum esse, sepelire, & urere.

Duæ sunt præterea leges de sepulcris: quarum altera privatorum ædificiis, altera ipsis sepulcris cavet. Nam quod *rogum bustumve novum* vetat *propius sexaginta pedes adjici ædes alienas, invito domino*: incendium videtur arcere. Quod autem *forum*, id est, vestibulum sepulcri, *bustumve*, *usucapi* vetat: tuetur jus sepulcrorum. Hæc habemus in duodecim: sane secundum naturam, quæ norma legis est. Reliqua sunt in more: funus ut indicatur, si quid ludorum; dominusque funeris utatur accenso [99] atque lictoribus [1]. *Honoratorum virorum laudes in concione memorantor, easque etiam cantu ad tibicinem prosequuntor:* cui nomen *neniæ*: quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant.

XXV. QUIN. Gaudeo nostra jura ad naturam accommodari: majorumque sapientia admodum delector. MAR. Sed credo, Quinte, ut cæteri sumptus, sic etiam sepulcrorum modum recte requiri. Quos enim ad sumptus progressa jam ista res sit, in C. Figuli [2] sepulcro vides. Sed credo minimam olim istius rei fuisse cupiditatem: alioquin multa exstarent exempla majorum. Nostræ quidem legis interpretes, quo capite jubentur sumptus & luctum removere a deorum manium jure, hoc intelligunt, in primis sepulcrorum magnificentiam esse

97 *Ast im*] *Im* antiquo more *eum* dicit. *Idem*.

98 *Se fraude*] Antiquo more, pro sine fraude. *Se*, Pompejus inquit, *pro* sine *inveniuntur posuisse antiqui*. Alii *sine fraude*, legunt integro sermone & usitatiore. *Idem*.

99 *Accenso*] Ministri sunt magistratuum accensi, qui populum vocabant, ab *acciendo* vocati, ut alii censent, quod initio ad censum populum vocarent. *Idem*.

1 *Lictoribus*] Ad prehendendum, tenendum, abducendum, plectendum, lictoribus utebantur magistratus qui lictores habebant. Conceditur domino funeris lictor, ut in multitudine coercere possit insolentiores & ferociores. Nam qui ludos faciebant, propemodum in magistratu quodam constitui videbantur: hisque jus prætextæ ferendæ erat, ut magistratibus. Cicero in Pisonem, cap. 4. *Sex. Clodium qui nunquam antea prætextatus fuisset, ludos facere & prætextatum volitare passus es*. Idem.

2 *C. Figuli*] Cujus sepulcrum magnificentissimum & amplissimum erat. Valerius, lib. IX. cap. 3. 2. Figulum bis consulem fuisse scribit, cujus filius jurisconsultus cum in petitione consulatus repulsam tulisset, postridie consulentes cives de jure dimisit, dicens, *Consulere scitis: consulem facere nescitis*. Cajus autem Marcius Figulus consul fuerat cum P. Cornelio Scipione Nasica. Iterum consul factus, quod cum collega vitio esset creatus, magistratu abdicare se coactus est. *Idem*.

esse minuendam. Nec hæc a sapientissimis legum scriptoribus neglecta sunt. Nam & Athenis jam ille mos a Cecrope, ut ajunt, permansit, hoc jus terra humandi: quam cum proximi injecerant, obductaque terra erat, frugibus obserebatur; ut sinus & gremium quasi matris mortuo tribueretur; solum autem frugibus expiatum ut vivis redderetur. Sequebantur epulæ, quas inibant parentes coronati: apud quas de mortui laude, cum quid veri erat, prædicatum: nam mentiri nefas habebatur. Ac justa confecta erant. Posteaquam, ut scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera & lamentabilia cœpissent, Solonis lege sublata sunt. Quam legem eisdem prope verbis nostri decemviri in undecimam tabulam conjecerunt. Nam de tribus riciniis, & pleraque alia Solonis sunt: de lamentis vero expressa verbis sunt, *Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.*

XXVI. De sepulcris autem nihil est apud Solonem amplius, quam, *Ne quis ea deleat, neve alienum inferat* [3]: pœnaque est, *Si quis bustum* (nam id puto appellari τύμβον) *aut monumentum*, inquit, *aut columnam violarit, dejecerit, fregerit*. Sed post aliquanto propter has amplitudines sepulcrorum, quas in Ceramico videmus, lege sanctum est, *ne quis sepulcrum faceret operosius, quam quod decem homines effecerint triduo*. Neque id opere tectorio exorna.., nec Hermas hos, quos vocant [4], licebat imponi; nec de mortui laude, nisi in publicis sepulturis; nec ab alio, nisi qui publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat. Sublata etiam erat celebritas virorum ac mulierum, quo lamentatio minueretur. Habet enim luctum concursus hominum. Quocirca Pittacus omnino accedere quemquam vetat in funus aliorum. Sed ait rursus idem Demetrius, increbruisse eam funerum sepulcrorumque magnificentiam, quæ nunc fere Romæ est. Quam consuetudinem lege minuit ipse. Fuit enim hic vir, ut scitis, non solum e-

3 *Alienum inferat*] Cadaver. *Idem*.

4 *Hermas hos quos vocant*] Athenienses. Hermæ autem sunt Mercurii statuæ truncæ, quæ etiam sepulcris imponebantur. Earum statuarum plurimus erat Athenis usus. Sic quoque dicuntur, ut quidam censent, lapides quadrati qui sepulcris imponebantur, quod æque non probo. *Idem*.

ruditiſſimus, ſed etiam civis e republica maxime, tuendæque civitatis peritiſſimus. Iſte igitur ſumptum minuit non ſolum pœna, ſed etiam tempore: ante lucem enim juſſit efferri. Sepulcris autem novis finivit modum: nam ſuper terræ tumulum noluit quid ſtatui, niſi columellam tribus cubitis ne altiorem, aut menſam, aut labellum: & huic procurationi certum magiſtratum præfecerat.

Hæc igitur Athenienſes tui. Sed videamus Platonem, qui juſta funerum rejicit ad interpretes religionum: quem nos morem tenemus. De ſepulcris autem dicit hæc. „ Vetat ex agro „ culto, eove, qui coli poſſit, ullam partem ſumi ſepulcro: „ ſed, quæ natura agri tantummodo efficere poſſit, ut mor„ tuorum corpora ſine detrimento vivorum recipiat, ea potiſ„ ſimum ut compleatur: quæ autem terra fruges ferre, &, ut „ mater, cibos ſuppeditare poſſit, eam ne quis nobis minuat, „ neve vivus, neve mortuus. Exſtrui autem vetat ſepulcrum „ altius, quam quod quinque diebus homines quinque abſol„ verint: nec e lapide excitari plus, nec imponi, quam quod „ capiat laudem mortui, inciſam ne plus quatuor heroicis „ verſibus; quos *longos* [5] appellat Ennius. „ Habemus igitur hujus quoque auctoritatem de ſepulcris ſummi viri: a quo iterum funerum ſumptus præfinitur ex cenſibus a minis quinque [6] uſque ad minam. Deinceps dicit eadem illa de immortalitate animorum, & reliqua poſt mortem tranquillitate bonorum, pœnis impiorum.


Habetis igitur explicatum omnem, ut arbitror, religionis locum. QUIN. Nos vero, frater, & copioſe quidem: ſed perge ad cætera. MAR. Pergam equidem: & quoniam libitum eſt vobis me ad hæc impellere, hodierno ſermone conficiam, ſpero; hoc præſertim [7] die. Video enim Platonem idem feciſſe, omnemque orationem ejus de legibus peroratam eſſe

5 *Longos*] Iſidorus non omnino malus auctor, ita hac de re ſcribit, Orig. lib. I. cap. 38. *Hexametros Latinos primum feciſſe ſe Ennius tradit, eoſque* longos *vocat*. Gellius lib. XVIII. cap. ult. *In* longis *verſibus, qui hexametri vocantur*, &c. *Idem*.

6 *A minis quinque*] Hominibus primæ claſſis impendi ſepeliendis quinque minas permittit Plato: ſecundæ claſſis, tres: tertiæ claſſis, duas: quartæ, unam. *Idem*.

7 *Hoc præſertim die*] Solſtitiali, qui longiſſimus eſt. Ut enim Plato uno die peroravit omnem de Legibus diſputationem, ita uno die abſolvam. *Idem*.

esse uno æstivo die. Sic igitur faciam, & dicam de magistratibus. Id enim est profecto, quod constituta religione rempublicam contineat maxime. ATT. Tu vero dic, & istam rationem, quam cœpisti, tene.



DE

DE LEGIBUS,

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Constituto religionum jure, deinceps civitatis gubernatores rectoresque describit. Nam cum nihil reipublicæ ἀναρχία sit exitialius, quæ florentissimas nationes, imperiaque potentissima interdum subvertit; secundum Deos nihil prius ducere legislator debet, quam ut recte ac ordine magistratuum descriptionem componat. Primum ergo in legis exordio magistratum definit, eique cives ut pareant hortatur. Deinde legem de magistratuum descriptione, potestate, imperio sancit. Subjungit, ut libro secundo, ejus interpretationem & æquitatem: quod legislatorem Plato facere jubet. Postremo præparationem addit ad libros sequentes, qui desiderantur. TURNEBUS.

I. MARCUS. Sequar igitur, ut institui, divinum illum virum: quem quadam admiratione commotus, sæpius fortasse laudo, quam necesse est. ATT. Platonem videlicet dicis. MAR. Istum ipsum, Attice. ATT. Tu vero eum nec nimis valde unquam, nec nimis sæpe laudaveris. Nam hoc mihi etiam nostri illi [1], qui neminem, nisi suum, laudari volunt, concedunt, ut eum arbitratu meo diligam. MAR. Bene hercle faciunt. Quid enim est elegantia tua dignius? cujus & vita, & oratio consecuta mihi videtur difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate. ATT. Sane gaudeo, quod te interpellavi, quandoquidem tam præclarum mihi dedisti judicii tui testimonium. Sed perge, ut cœperas. MAR. Laudemus igitur prius legem ipsam veris

1 *Etiam nostri illi*] Epicureos significat, qui cæteros philosophos præ uno Epicuro contemnebant. *Turnebus.*

veris & propriis generis sui [2] laudibus. ATT. Sane quidem, sicut de religionum lege fecisti.

MAR. Videtis igitur, magistratus hanc esse vim, ut præsit, præscribatque recta, & utilia, & conjuncta cum legibus. Ut enim magistratibus leges; ita populo præsunt magistratus: vereque dici potest, magistratum legem esse loquentem; legem autem mutum magistratum [3]. Nihil porro tam aptum est ad jus conditionemque naturæ, (quod cum dico, legem a me dici, intelligi volo) quam imperium: sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Nam & hic deo paret, & huic obediunt maria terræque, & hominum vita jussis supremæ legis obtemperat.

II. Atque, ut ad hæc citeriora [4] veniam, & notiora nobis: omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt. Quod genus imperii primum ad homines justissimos & sapientissimos deferebatur, idque in republica nostra maxime valuit, quoad ei regalis potestas præfuit. Deinde etiam deinceps posteris prodebatur: quod & in his etiam, qui nunc [5] regnant, manet. Quibus autem regia potestas non placuit, non ii nemini, sed non semper uni parere voluerunt. Nos autem, quoniam leges damus liberis populis; quæque de optima republica sentiremus, in sex libris ante diximus: accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, civitatis statum.

Magistratibus igitur opus est: sine quorum prudentia ac diligentia esse civitas non potest: quorum descriptione omnis reipu-

2 *Generis sui*] Quæ propriæ laudes sint legis hujus de magistratibus, non communes, quæque in alias leges non conveniant. *Idem*.

3 *Magistratum*] Imitatum esse prope censeas Ciceronem Simonidis sententiam de poesi, quam Plutarchus his verbis refert: Πλὴν ὁ Σιμωνίδης τὴν μὲν ζωγραφίαν ποίησιν σιωπῶσαν προσηγόρευε, τὴν δὲ ποίησιν ζωγραφίαν λαλοῦσαν. Id est, *Veruntamen Simonides picturam poesin mutam appellabat, poesin picturam loquentem*. Idem.

4 *Citeriora*) Propinquiora & propius nos attingentia, id est, terris tanquam viciniora: quod de cælesti descriptione & deo egisset, quæ paulo longinquiora sunt & remotiora. Sic in libris de Repub. *Quare, si placet, deduc orationem tuam de cælo ad hæc citima*. Idem.

5 *Qui nunc* regnant] Prorsus legendum *regnantur*, ut recte monuit eruditissimus *Clericus*: loquitur enim de populis, qui regibus parent sive βασιλεύονται. Servius quidem ad Æn. III. 14. ait, regnata *participium est sine verbi origine*. Quasi *regnor* non diceretur. Eum tamen falli docebunt exempla. Livius I. 17. Regnari *tamen omnes volebant*. Ibi vide J. Fr. Gronovium. *Davisius*.

reipublicæ moderatio continetur. Neque folum iis præfcribendus eft imperandi, fed etiam civibus obtemperandi modus. Nam & qui bene imperat, paruerit aliquando neceffe eft: & qui modefte paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus effe. Itaque oportet & eum, qui paret, fperare fe aliquo tempore imperaturum: & illum, qui imperat, cogitare, brevi tempore fibi effe parendum. Nec vero folum ut obtemperent obediantque magiftratibus, fed etiam ut eos colant diligantque, præfcribimus, ut Charondas in fuis facit legibus. Nofter vero Plato Titanum e genere ftatuit eos, qui, ut illi cæleftibus, fic hi adverfentur magiftratibus. Quæ cum ita fint, ad ipfas jam leges veniamus, fi placet. ATT. Mihi vero & iftud, & ordo ifte rerum placet.

III. MAR. *Jufta imperia funto; iifque cives modefte, ac fine recufatione parento. Magiftratus nec obedientem & noxium civem multa, vinculis, verberibufve coerceto* [6]*: ni par, majorve poteftas, populufve prohibeffit* [7]*: ad quos provocatio efto. Cum magiftratus judicaffit* [8] *inrogaffitve; per populum multæ, pœnæ* [9]*, certatio* [10] *efto. Militiæ ab eo, qui imperabit, provocatio ne efto: quodque iis, qui bellum geret, imperaffit, jus ratumque efto. Minores* [11] *magiftratus,* [a] *partiti* [12] *juris, plures in* [b] *plera funto. Militiæ, quibus juffi erunt, imperanto, eorumque tribuni funto.*

6 *Verberibufve coerceto*] Id abrogatum lege Porcia fuit, qua exilium damnatis permittebatur, ac verberaffe aut necaffe civem, impium cenfebatur. *Turn.*

7 *Prohibeffit*] Id eft, prohibuerit, antique: ut mox, *judicaffit* pro judicaverit, & *irrogaffit* pro irrogaverit. *Idem.*

8 *Judicaffit*] Condemnaverit. Magiftratus autem, ut, verbi gratia, tribuni, cum capitis aut pecuniæ anquirebant, cum multam aut pœnam irrogabant, prodicta die ter ante accufabant, deinde ex provocatione multa certabatur apud populum. *Idem.*

9 *Multæ, pœnæ*] Multam in pecunia intelligit, pœnam in fupplicio: ut pœna ad judicium, multa ad irrogationem pertineat. *Idem.*

10 *Certatio*] Cum magiftratus, ut tribunus pleb. multam dixiffet, illa poftea apud populum difceptabatur, & ejus fuffragiis vel confirmabatur, vel abrogabatur, idque multæ certatio dicebatur. Livius XXV. 4. *Confeftim Carvilii trib. pleb. omiffa multæ certatione, rei capitalis diem Poftbumio dixerunt.* Idem.

11 *Minores magiftratus*] Minores magiftratus funt, qui minoribus aufpiciis creabantur: cujufmodi erant quæftores, tribuni militum, & triumviri monetales, quatuor viri curatores viarum, decemviri litibus judicandis, triumviri capitales. *Plera* dixit antique. *Idem.*

a Vict. Man. *periti*

12 *Partiti juris*] Nam iis qui cum imperio funt, & exercitui præfunt, univerfum jus & poteftas tribuitur. *Jus* hoc loco munus eft, ut & hoc libro tertio, cap. 20. *Sic animadverto plerofque in magiftratibus ignoratione juris fui tantum fapere quantum apparitores velint*; id eft, muneris & officii fui. *Idem.*

b Vict. Man. Lamb. *prælia*

ſunto. Domi pecuniam publicam cuſtodiunto: vincula ſontium ſervanto: capitalia [13] vindicanto: æs, argentum, aurumve publice ſignanto: lites contractas judicanto: quodcumque ſenatus creverit, agunto.

Suntoque ædiles curatores urbis, annonæ, ludorumque ſolennium: olliſque ad honoris amplioris gradum is primus adſcenſus eſto.

Cenſores populi ævitates, [14], ſoboles, [15], familias, pecuniaſque cenſento: urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuento: populique partes [16] in tribus diſtribuunto: exin pecunias [17], ævitates, ordines partiunto: equitum peditumque [18] prolem deſcribunto: cælibes [19] eſſe probibento: mores populi regunto: probrum [20] in ſenatu ne relinquunto: bini ſunto: magiſtratum quinquennium habento: reliqui magiſtratus annui ſunto: eaque poteſtas ſemper eſto. Juris diſceptator, qui privata judicet, judicarive jubeat, prætor eſto. Is juris civilis cuſtos eſto. Huic poteſtate pari, quotcumque ſenatus [21] creverit populuſve juſſerit, tot ſunto.

13 *Capitalia vindicanto*] Triumviros capitales ſignificat, qui & vincula ſervabant, & in fontes animadvertebant: ut ſervos, fures, peregrinos, infimæ ſortis homines. De quibus Plautus, Amph. Act. I. Sc. I. 3.

Quid faciam, nunc ſi treviri me in carcerem compegerint? Idem.

14 *Ævitates*] Id eſt, ætates juniorum & ſeniorum, priſco vocabulo. Nam cenſores ætatem quæ militaris eſſet, quæ magiſtratibus gerendis apta foret, vel ſuffragiis ferendis, vel publicis muneribus & civilibus obeundis cenſebant: certi enim his rebus anni præfiniebantur. Sed & cives, in juniores & ſeniores per centurias dividebant. *Idem*.

15 *Soboles*] Prolem etiam annotabant cujuſque, & ſervos, cenſumque, ut deſcriberentur munia & tributa, & pro facultatibus æquabiliter tolerarentur. *Idem*.

16 *Populi partes*] Pop. Rom. in quatuor urbanas tribus, & 31. ruſticas deſcriptus erat. Omneſque populi Romani partes in has triginta quinque tribus diſtributæ erant. *Idem*.

17 *Exin pecuniae*] Non ſolum in tribus populum deſcribant, verum etiam in claſſes ex cenſu: claſſeſque rurſus in centurias juniorum & ſeniorum ex ætate: quod a Servio Tullio primum inſtitutum eſt. Ipſæ autem tribus in claſſes erant & centurias deſcriptæ: (nam in una tribu erant, verbi gratia, homines omnium claſſium & centuriarum:) & in ordines, ſenatorium, equeſtrem, ordinem publicanorum, libertinorum, reliquos. *Idem*.

18 *Peditumque*] Prolem eorum quos locaverunt in claſſibus, quæ in equites pediteſque dividebantur. *Idem*.

19 *Cælibes eſſe*] Plato a triceſimo anno ad triceſimum quintum uxorem ducendam ait: quod ſi quis neglexerit, eum pecunia multandum, & ignominia notandum cenſet. Lycurgus quoque probro notat eum qui uxorem ducere noluerit. Quin apud Romanos pœna in cœlibatum conſtituta erat. Nam uxorium pependiſſe dicebatur, qui, quod uxorem non habuiſſet, æs populo dederat. Sed & Auguſtus legem de maritandis ordinibus tulit, & orationem Metellus habuerat. Lex quam nunc ſancit Cicero, Romæque obſervabatur, antiquata eſt, ut Sozomenus ſcribit, & abrogata a Conſtantino imperatore. *Idem*.

20 *Probrum in ſenatu*] Famoſos ſenatores & probroſos e ſenatu ejiciebant. *Idem*.

21 *Quotcumque ſenatus*] Id ait, quia prætorum numerus certus non erat. Nam capta Sicilia, Sardinia, Hiſpania, Gallia Narbonenſi,

Regio imperio duo sunto : iique præeundo [22] *, judicando , consulendo prætores , judices , consules appellantor . Militiæ summum jus habento , nemini parento . Ollis salus populi suprema lex esto . Eundem magistratum , ni interfuerint decem anni , ne quis capito . Ævitatem* [23] *annali lege* [24] *servanto . Ast quando duellum gravius , discordiæve civium escunt , œnus , ne amplius sex menses , si senatus creverit , idem juris , quod duo consules , teneto : isque ave sinistra* [25] *dictus , populi magister esto . Equitem cumque* [26] *qui regat habeto pari jure cum eo , quicumque erit juris disceptator . Ast quando consul* [27] *is est , magisterve populi ; reliqui magistratus ne sunto .*

Auspicia patrum [28] *sunto : ollique ex se produnto* [29] *, qui comitiatu*

nensi, auctus est prætorum numerus: constitutisque quæstionibus publicis, Sylla quatuor adjecit, Julius Cæsar duos : quorum numerum mox Augustus , deinde Claudius auxit. *Idem*.

22 *Iique præeundo , judicando , consulendo , prætores , judices , consules appellantor*] Forsan *iique* a *præeundo* &c. Consules autem prætores & judices olim dictos fuisse constat ex Varrone apud Nonium in *Consulum* , Livio III. 55. & Festo in *Prætoria porta* . Davisius.

23 *Ævitatem*] Ævitas hic est ætas. Interdum senectus, ut in XII. Tab. *Si morbus ævitasque vitium escit* . Ætas consularis quadragesimus tertius erat annus, prætoria biennio ante , ædilitia etiam biennio ante prætoriam. *Turnebus*.

24 *Annali lege*] Qua definiantur anni magistratuum capiendorum . Hujusmodi fuit ea , quam L. Villius tribunus plebis tulerat , *unde cognomen familiæ inditum* , *ut* annales *appellarentur* . Verba sunt Livii XL. 44. Vide Pet. Fabrum ad Tit. de Regulis Juris & Paulum Merulam de Leg. Roman. cap. 24. §. 34. *Davisius*.

25 *Ave sinistra*] Sinistræ aves prosperæ sunt & auspicatæ; nam sinistrum quasi sinistimum dicitur, nimirum auspicium quod sinat : sinunt autem aves hæ plerumque quæ ab ortu , quæ pars mundi sinistra in auspiciis est , volant . Vide lib. II. de Divin. cap. 38. & 39. Sinistra igitur avis est prosperior , etiam si a dextra volet. Nam quædam a dextra ratum faciebant . *Turnebus*.

26 *Equitem cumque*] Parem sancit magistri equitum potestatem imperio prætorio . Nam quod est comparatus consuli prætor , id est dictatori magister equitum ; qui , ut ait Polybius , III. 87. *γίνεται οἱονεὶ Διάδοχος Δικτάτορος ἐν τοῖς ἐκείνου περισπασμοῖς* . Id est , *tanquam vicarius dictatoris in dictatoris negotiis & impedimentis* . Idem.

27 *Ast quando consul is est , magisterve populi , reliqui magistratus ne sunto*] Ut se verba nunc habent , commodum seosum nullus equidem video. Nostri codices dant *ast quando consulis est* (Pris. *esse*) *magistratusve* (Paris. *magistratus ut*) *populi nec* (Paris. *ne*) *reliqui magistratus ne sunto* . Rescribi possit , *ast quando magister est populi , consules reliquive magistratus ne sunto* . Plutarchus in Amatorio pag. 768. Ἐν Ῥώμῃ φασὶ , τοῦ κατὰ Δικτάτορος ἀναγορευθέντος , ἀποτίθεσθαι τὰς ἄλλας ἀρχὰς ἔχοντας . Id ipsum patet ex Halicarnassensi Dionysio , V. 7. XI. 20. Excipiendi tamen sunt tribuni plebis , quod discimus ex Polybii III. 87. *Davisius*.

28 *Auspicia patrum*] Auspicia quibus ad magistratus auspicato creandos opus erat , patritiorum , non plebis erant : eaque duplicia , aut majora , aut minora . Livius lib. VI. cap. 41. *Turnebus*.

29 *Ollique ex se produnto*] Hic *comitiatu* , ut apud Gellium , est *comitiis* . Hæc autem lex de interrege intelligenda est , qui non populi suffragio , sed patrum decreto auspicato prodebatur , ut comitia haberet , & magistratus crearet . *Idem*.

tiatu creare consules rite possint. Imperia [30]*, potestates, legationes, cum senatus creverit populusve jusserit, ex urbe exeunto: duella justa juste gerunto: sociis parcunto: se & servos continento: populi sui gloriam augento: domum cum laude redeunto: rei suæ ergo ne quis legatus esto. Plebes quos pro se contra vim, auxilii ergo, decem creassit, tribuni ejus sunto: quodque ii prohibessint, quodque plebem rogassint, ratum esto: sanctique sunto: neve plebem orbam* [31] *tribunis relinquunto. Omnes magistratus* [32] *auspicium judiciumque habento: ex quois* [33] *senatus esto. Ejus decreta rata sunto. Ast ni potestas par majorve prohibessit, senatus consulta perscripta servanto. Is ordo vitio vacato: cæteris specimen esto. Creatio magistratuum, judicia populi jussa, vetita, cum suffragio consciscentur, optimatibus nota, plebi libera sunto.*

IV. *At si quid erit, quod extra magistratus cœratore* [34] *œsus sit, qui cœret populus creato, eique jus cœrandi dato. Cum populo* [35] *patribusque agendi jus esto consuli, prætori, magistro populi*

30 *Imperia*] Imperia sunt cum quis præest exercitui: potestates, cum quis a populo negotio alicui præficitur. Sic *Festus*. Sit igitur hic imperium in iis qui exercitus habent, potestas etiam in aliis magistratibus. Nam potestas plerumque magistratus est. *Idem*.

31 *Neve plebem orbam*] Marcus Duillius legem rogavit, ut qui plebem sine tribunis reliquissent, quique magistratum sine provocatione creassent, tergo ac capite punirentur. Id sancitur ne nimia sit consulum potestas, quibus opponuntur tribuni. *Idem*.

32 *Omnes magistratus*] Tribuit hæc lex omnibus magistratibus auspicium, id est, ut auspicari possint, servareque de cælo ad vitianda aliorum comitia, legesque & conciones turbulentas impediendas, populique judicia. Hoc auspicium sustulerat lex Clodia, qua cavebatur, ne quis per eos dies, quibus cum populo quis ageret, de cælo servaret. Quid autem sit *servare de cælo*, quod in orationibus Ciceronis frequens est, nec intelligitur satis, ex Dione hic explicabo. Is enim dicit, lib. XXXVIII. *Auspicium illud quo de cælo servabatur, omnium maximum fuisse, semelque una die usurpari tantum solitum esse, cum aliis auspiciis eodem die sæpius opera daretur; cumque alia auspicia vel addicerent, vel abdicerent; istud tale fuisse ut semper comitia Po. impediret, sive secunda signa darentur, sive dira. Itaque qui impedire comitia volebant, proscribere solebant, se eo die quo haberi debebant, cælo servaturos esse.* Hanc divinationem vocat Dio τὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ μαντείαν. Cicero *servare de cælo* dicere solet. Hujus autem legis hanc esse sententiam apparet ex Ciceronis interpretatione, cujus verba sunt, *Auspicia ut multos inutiles comitiatus probabiles impediant moræ*. Idem.

33 *Ex quois senatus*] Hac lege tollitur cooptatio censoria, & senatoris dignitas, beneficium populi, non censorum efficitur, cum ex his qui vel in honoribus sunt, vel honores gesserunt, senatus efficiatur. Nam Romæ olim censores senatum legebant, & senatores cooptabant. *Idem*.

34 *Cœratore*] Cœratorem prisci curatorem, & *cœrare* curare dicebant. Itaque in veteribus inscriptionibus reperitur, *De sua cœraverunt*, pro curaverunt. Sententia legis est, Si extra magistratus aliqua curatione opus sit, curatorem populus creato. Sic, ut appellat Varro lib. IV. LL. *Viocuri*, id est curatores viarum, creabantur. Sic I. ad Attic. epist. I. *Thermus est curator viæ Flaminiæ*. Id adeo cavet, quia sæpe senatus istas curationes mandare solitus erat. *Idem*.

35 *Cum populo*] *Agere cum populo*, inquit Gellius, XIII. 15. *est rogare quid populum*, quod

equitumque, eique, quem produnt patres consulum rogandorum[36] *ergo: tribunisque, quos sibi plebes rogassit, jus esto cum patribus agendi: iidem, ad plebem, quod œsus*[37] *erit, ferunto. Quæ cum populo, quæque in patribus agentur, modica*[38] *sunto.*

Senatori, qui nec aderit, aut causa, aut culpa esto. Loco senator, & modo orato: causas populi teneto. Vis in populo abesto. Par majorve potestas plus valeto. Ast qui[39] *turbassitur*[40] *in agendo, fraus actoris esto*[41]*. Intercessor rei malæ, salutaris civis esto. Qui agent, auspicia servanto: auguri publico parento: promulgata*[42] *proposita, in ærario cognita, agunto*[43]*: nec plus, quam de singulis rebus semel*[44] *consulunto: rem populum docento: doceri*[45] *a magistratibus privatisque patiunto. Privilegia*[46] *ne irroganto. De capite civis, nisi per maximum comitiatum, ollosque, quos censores in partibus populi loca sint, ne ferunto: donum ne capiunto, nec danto, neve petenda, neve gerenda, neve gesta potestate.* *Quod*

quod suffragiis suis vel vetet vel jubeat. Agere cum patribus est ad senatum referre. More majorum dictator, cos. trib. pleb. interrex & præfectus urbis, duntaxat cum patribus agere poterant. *Idem.*

36 *Rogandorum*] Rogare est rogatis suffragiis creare: ut mox, *quos sibi plebs rogassit*, id est, creaverit. *Idem.*

37 *Oesus*] Vide Lipsium, Antiq. Lect. II. 2.

38 *Modica*] Non turbulenta, non seditiosa, sed quieta, molesta, sedata: lexque hæc de actore sancitur. *Turnebus.*

39 *Ast qui turbassitur*] Victorius & Turnebus ediderunt *ast quid*; Lambinus autem *si quid turbassitur*. Cl. Puteano placuit *ast quoi turbassit*; mihi, *ast* quam *turbassitur*. Davisius.

40 *Turbassitur*] Id est, si quid dum cum populo agetur, magistratu intercedente, turbatum fuerit, fraus actoris esto. Nam *turbassitur* præteritum antiquum est a *turbassit* prisco præterito activo formatum, ut a *jussit* (quod est *jusserit*) *jussitur* apud Catonem de R. R. cap. 14. *Turn.*

41 *Fraus actoris esto*] Fraus hoc in loco pœnam denotat; & *fraudem veteres pœnam vocasse* testatur Servius ad Æn. XI. 708. Vide sis Horat. lib. II. Od. XIX. 20. & Carm. Secul. 41. *Davisius.*

42 *Promulgata*, proposita, *in ærario*, cognita agunto] Locus mihi videtur mendosus. Cl. Puteanus legit, *promulgata, cognita agunto, in ærario servantor.* Minore licentia rescripserim, *promulgata, populo placita, in ærario condita sunto.* Nam leges in æs incisæ reponi solebant in ærario, nec, donec id fieret, ratæ videbantur. Vide Suetonium in Julio cap. 28. & Tacitum Annal. III. 51. *Idem.*

43 *Agunto*] Cum populo. Cicero hac de re pro Flacco, cap. 7. *Turneb.*

44 *Semel*] Gruterus, *simul*. Sed vocem controversam recte prætermittunt Paris. ac editio Victoriana. *Davisius.*

45 *Doceri*] Sic Maniliam legem Cicero suasit: sic privati data a magistratu concione pro rostris populum docebant. Cicero lib. IV. ad Atticum, epist. 2. *Cum subito ille in concionem ascendit, quam Appius ei dedit*, & in Vatin. cap. 10. *In illo, inquam, augurato templo ac loco collocarit, quo auctoritatis exquirendæ causa, cæteri trib. pleb. principes civitatis producere consueverunt.* Ac qui leges ferebant, latores: qui suadebant in concione, auctores dicebantur, ut infra, cap. 15. *Itaque isti rationi neque lator quisquam est inventus, neque auctor bonus.* Proinde in Vatinium scripsit Cicero, cap. 10. *Auctoritatis exquirendæ causa.* Turneb.

46 *Privilegia*] Leges sunt in privos, id est, singulos homines latæ. Cicero pro Domo, cap. 17. *Vetant leges sacratæ, vetant XII. tab. leges privatis hominibus irrogari: id est enim privilegium.* Idem.

Quod quis earum rerum migrassit, noxiæ pœna par esto. Censoris fide [47] *legem custodiunto. Privati ad eos acta referunto: nec eo magis lege liberi sunto.*

V. Lex recitata est. Disce rem [48], & tabellam [49] jubebo dari. QUINT. Quam brevi, frater, in conspectu posita est a te omnium magistratuum descriptio: sed ea pæne nostræ civitatis [50]: etsi a te paulum allatum est novi. MAR. Rectissime, Quinte, animadvertis. Hæc est enim, quam Scipio [51] laudat in libris, & quam maxime probat temperationem reipublicæ; quæ effici non potuisset, nisi tali descriptione magistratuum. Nam sic habetote, magistratibus, iisque, qui præsint, contineri rempublicam, & ex eorum compositione, quod cujusque reipublicæ genus sit, intelligi. Quæ res cum sapientissime moderatissimeque constituta esset a majoribus nostris, nihil habui, sane non multum, quod putarem novandum in legibus.

ATT. Reddes igitur nobis, ut in religionis lege fecisti admonitu & rogatu meo, sic de magistratibus, ut disputes, quibus de causis maxime placeat ista descriptio. MAR. Faciam, Attice, ut vis: & locum istum totum, ut a doctissimis Græciæ quæsitum & disputatum est, explicabo: &, ut institui, nostra jura attingam. ATT. Istud maxime exspecto differendi genus. MAR. Atqui pleraque sunt dicta in illis libris,

47 *Censoris fide*] Legendum censeam *censorum fide*, ut legum custodia censorum fidei commissa sit: id est, ut leges a censoribus custodiantur. Qui etiam sensus erit, si *censoris fide* legas. *Idem*. Vulgo *censoris*; & favent plerique codices. Nihilo tamen minus editiones Ascensii, Victoriique sequor: *Censores fide legem custodiunto*. Hanc enim curam censoribus dedit Cicero, prout liquet ex hujusce libri cap. 20. Ac *censores* quidem diserte repræsentant Eliens. & Pal. quart. *Davisius*.

48 *Disce rem*] Sic primus, nisi fallor, edidit *Ascensius*. Omnes fere codices habent *discere* vel *dicere*; nisi quod Ven. 1471. *discedere* præ se ferat, ut etiam Lambinus edidit. Hinc legendum censeo *discedite*; ut Atticum Quintumque noster alloquatur. Nam suffragiorum ferendorum causa populus *discedere* jubebatur. Vide Brissonium de Form. lib. II. *Idem*.

49 *Tabellam*] Nam qui legem ferebat, tabellam dari populo jubebat. *Turnebus*.

50 *Nostræ civitatis*] Qualis fere descriptio magistratuum Romanorum: nonnihil tamen immutavit, ut cum legationes liberas sustulit, cum reliquis magistratibus suum jus creato dictatore reliquit, cum legum custodiam censorum fidei commisit, cum censoriam potestatem, quæ aliquando Romæ sublata est, semper esse voluit. *Idem*.

51 *Quam Scipio*] In libris de Rep. civitatem Romanam inter secundum & tertium Punicum bellum legibus & institutis optime moratam temperatamque fuisse docuerat, ut ex summis, mediis, & infimis ordinibus tanquam sonis moderata ratione civitas concineret. Temperatio autem illa & moderatio reipub. Romanæ perdiligenter explicatur a Polybio lib. VI. Historiarum. *Idem*.

bris, cum de optima republica quæreretur. Sed hujus loci de magiſtratibus ſunt propria quædam a Theophraſto primum, deinde a Dione Stoico quæſita ſubtilius.

VI. ATT. Ain' tandem? etiam a Stoicis iſta tractata ſunt? MAR. Non ſane, niſi ab eo, quem modo nominavi, & poſtea a magno homine, & in primis erudito, Panætio. Nam veteres verbo tenus, acute illi quidem, ſed non ad hunc uſum popularem atque civilem, de republica diſſerebant. Ab hac familia [52] magis iſta manarunt, Platone principe. Poſt Ariſtoteles illuſtravit omnem hunc civilem in diſputando locum, Heraclideſque Ponticus, profectus ab eodem Platone. Theophraſtus vero inſtitutus ab Ariſtotele, habitavit, ut ſcitis, in eo genere rerum: ab eodemque Ariſtotele doctus Dicæarchus, huic rationi ſtudioque non defuit. Poſt a Theophraſto Phalereus ille Demetrius, de quo feci ſupra mentionem, mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum otioque, non modo in ſolem atque in pulverem, ſed in ipſum diſcrimen aciemque produxit. Nam & mediocriter doctos magnos in republica viros, & doctiſſimos homines non nimis in republica verſatos, multos commemorare poſſumus. Qui vero utraque re excelleret, ut & doctrinæ ſtudiis & regenda civitate princeps eſſet, quis facile, præter hunc, inveniri poteſt?

VII. ATT. Puto poſſe, & quidem aliquem de tribus nobis. Sed perge, ut cœperas. MAR. Quæſitum igitur ab illis eſt, placeretne unum in civitate eſſe magiſtratum, cui reliqui parerent: quod exactis regibus intelligo placuiſſe noſtris majoribus. Sed quoniam regale civitatis genus, probatum quondam, poſtea non tam regni, quam regis vitiis, repudiatum eſt; nomen tantum videbitur regis repudiatum, res manebit, ſi unus omnibus reliquis magiſtratibus imperabit. Quare nec ephori [53] Lacedæmone ſine cauſa a Theopompo oppoſiti regibus,

52 *Ab hac familia*] A Peripateticis & Academicis, ut ait Cicero lib. IV. de Finibus, copioſe tractatus eſt locus civilis, quem πολιτικὸν dicimus. Lib. III. quoque de Orat. eos appellatos eſſe dicit philoſophos πολιτικούς. Igitur ab iis philoſophis Academicis & Peripateticis iſta profecta ſunt. *Ab hac* dixit, quod paulo ante Theophraſti mentionem feciſſet. *Idem*.

53 *Quare nec ephori*] Theopompus Lacedæmoniorum rex poteſtati regum ephoros oppoſuit, eoſdem propemodum ac qui Romæ tribu-

bus, nec apud nos consulibus tribuni. Nam illud quidem ipsum, quod in jure positum est, habet consul, ut ei reliqui magistratus omnes pareant, excepto tribuno, qui post exstitit, ne id, quod fuerat [54], esset: hoc enim primum minuit consulare jus, quod exstitit ipse, qui eo non teneretur: deinde quod attulit auxilium reliquis non modo magistratibus, sed etiam privatis, consuli non parentibus.

QUINT. Magnum dicis malum. Nam, ista potestate nata, gravitas optimatium cecidit, convaluitque jus multitudinis. MAR. Non est ita, Quinte. Non enim jus illud solum superbius populo, sed violentius videri necesse erat: quo postea quam modica & sapiens temperatio accessit, conversa lex in omnes [55] est ***.

VIII. *Domum cum laude redeunto*. Nihil enim, præter laudem, bonis atque innocentibus, neque ex hostibus, neque a sociis reportandum. Jam illud apertum [56] profecto est, nihil esse turpius, quam quemquam legari nisi reipublicæ causa. Omitto quemadmodum isti se gerant atque gesserint, qui legatione hereditates, aut syngraphas suas persequuntur [57]. In hominibus est hoc fortasse vitium. Sed quæro, quid reapse sit turpius, quam sine procuratione senator, legatus sine mandatis [58],

tribuni erant. Quo nomine expostulanti uxori querentique quod regalem potestatem liberis imminutam esset relicturus, Sane quidem, inquit, verum securiorem & diuturniorem. Ephororum autem potestas eo progressa est, ut etiam regem capitis condemnarent, sed eam tamen ut nimis tyrannicam postea Cleomenes sustulit, & regibus pristinam potestatem restituit. Quinque numero erant: nomen habent, Δ ἀ τὸ ἐφορᾶν. De his vide Aristotelem lib. 11. de Republica. *Idem*.

54 *Ne id quod fuerat*] Ne regia potestas, quæ urbe exacta est, in coss. remaneret. *Idem*.

55 *Conversa lex in omnes*] Ante tribunitiam potestatem optimates, ut qui soli consules fierent, & consulem sui ordinis fautorem haberent, legibus superiores regnabant, plebes illis obnoxia agitabat: creatis vero tribunis, nimia illorum potentia imminuta est æquatis opibus utriusque partis: omnesque teneri legibus cœperunt, cum tribunitiæ rogationes, plebisque scita pro lege essent. Tum igitur demum dici debuit quod a Livio scribitur, *Imperia legum potentiora fuisse quam hominum*. Deinceps autem multa deesse, perfacile est ex lege colligere. *Idem*.

56 *Jam illud apertum*] Liberas reprehendit legationes, quas senatores plerumque impetrabant. Eas fere petebant quibus in provincia negotium esset, ut illic & gratia majore, & potestate, & sumptu minore res suas persequerentur: erant autem magno sumptui & oneri provincialibus. Vide Cic. in Rullum Orat. 1. cap. 3. Liberæ legationes dicebantur, quod ab urbe abesse liceret, & ubicunque quis vellet, libere esse. *Idem*.

57 *Syngraphas persequuntur*] Nomina appellant, & usuras exigunt ex syngraphis. *Syngrapha* autem est quam appellamus vulgo in Gallia *obligationem*. Dixit & *syngraphum* masculino genere Plautus, Asin. Act. IV. Sc. I. 1. *Idem*.

tis [58], sine ullo reipublicæ munere? Quod quidem genus legationis ego consul, quanquam ad commodum senatus pertinere videatur, tamen approbante senatu frequentissimo, nisi mihi levissimus tribunus plebis tum intercessisset, sustulissem. Tamen minui tempus, &, quod erat infinitum, annuum feci. Ita turpitudo manet, diuturnitate sublata. Sed jam, si placet [59], de provinciis decedatur, in urbemque redeatur. ATT. Nobis vero placet: sed iis, qui in provinciis sunt, minime placet. MAR. At vero, Tite, si pareant his legibus, nihil erit his urbe, nihil domo sua dulcius: nec laboriosius molestiusque provincia. Sed sequitur lex, quæ sancit eam tribunorum plebis potestatem, quæ in republica nostra: de qua disseri nihil necesse est. QUIN. At mehercule ego, frater, quæro, de ista potestate quid sentias. Nam mihi quidem pestifera videtur, quippe quæ in seditione, & ad seditionem nata sit: cujus primum ortum si recordari volumus, inter arma civium, & occupatis, & obsessis urbis locis procreatum videmus. Deinde cum esset [60] cito ablegatus, tanquam ex XII tabulis, insignis ad deformitatem puer, brevi tempore recreatus, multoque tetrior & fœdior natus est.

IX. Quem enim ille non edidit [61]? qui primum [62], ut impio

58 *Sine procuratione senator, legatus sine mandatis*] Omnino non puto Ciceronem voluisse dicere, turpe esse senatorem sine procuratione, cum magna senatorum pars necessario in ea essent conditione. Levi igitur punctorum mutatione sic sensum loci restituo, *quid reapse sit turpius, quam sine procuratione senator legatus, sine mandatis, sine ullo reipublicæ munere?* Cui nota est satis Romana historia, is sciet senatores sæpius egisse, ut auctoritate senatus legati fierent, cum non publicorum, sed suorum negotiorum causa in provincias exirent: illæ legationes *liberæ* vocabantur. *Ptarcius*.

59 *Sed jam, si placet*] Jlocaliter dictum. Nostra, inquit, oratio a negotiis magistratibusque provincialibus ad res urbanas, & magistratus Romanos revertatur: aliorsum vertit qui respondet, atqui legati, quos de provincia invitos tua lex avellit, libenter in urbem non redibunt relicto quæstu provinciali. Nam provinciarum cupiditate Romani ardebant, & adesa re, effusisque ac perditis fortunis, unum multis hoc subsidium erat, adeptio provinciæ, quam spoliarent & diriperent: & Gabinius cum foris esset (foris autem esse dicebantur, qui, quod solvendo non essent, flagitanti creditori non esse domi dicebantur) & egeret, unam in provincia rerum suarum spem collocarat. Cicero in Pisonem: *Egere, foris esse Gabinium; sine provincia stare non posse*. Turnebus.

60 *Deinde cum esset*] Tribuni plebis primum creati sunt postquam plebs in montem Sacrum, vel, ut auctor est Piso, cui Tullius adhæret, in Aventinum secessisset. Dein illos abolevit decemviralis potestas; qua perdita rursus fiunt tribuni. Vide Livium II. 32. 33. III. 54. ac Dionysium Halic. VI. 45. 89. X. 56. 57. XI. 46. *Davisius*.

61 *Quem enim ille non edidit* &c.] Si hanc lectionem retineamus, hæc videtur ejus esse sententia: Quem enim tribunum improbum non edidit primus ille tribunitiæ potesta-

impio dignum fuit, patribus omnem honorem eripuit; omnia infima summis paria fecit, turbavit, miscuit: cum afflixisset principum gravitatem, nunquam tamen conquievit. Atque ut C. Flaminium [63], atque ea, quæ jam prisca sunt, relinquam: quid juris bonis viris Tib. Gracchi tribunatus reliquit? etsi quinquennio ante, D. Brutum & P. Scipionem consules, quos & quantos viros! homo omnium infimus & sordidissimus, tribunus plebis, C. Curiatius [64] in vincula conjecit: quod ante factum non erat. C. vero Gracchus runis [65] & iis sicis, quas ipse se projecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se cives, nonne omnem reipublicæ statum permutavit? Quid jam de Saturnini supplicio, reliquisque dicam? quos ne depellere quidem a se sine ferro potuit respublica?

Cur autem aut vetera, aut aliena proferamus potius, quam & nostra, & recentia? Quis unquam tam audax, tam inimicus nobis fuisset, ut cogitaret unquam de statu nostro labefactando, nisi mucronem aliquem tribunitium exacuisset in nos? quem cum homines scelerati ac perditi, non modo ulla in domo, sed nulla in gente reperirent, gentes sibi [66] in tenebris reipublicæ perturbandas putaverunt. Quod nobis quidem egregium, & ad immortalitatem memoriæ gloriosum, neminem in nos mercede ulla tribunum potuisse reperiri, nisi cui ne esse quidem licuisset tribuno [67]. Sed ille quas strages edidit?

testatis ortus? Sed quidam legi volunt, *Quæ enim non edidit* &c. Sed fortasse legendum potius est, *Quem enim ille edidit?* negationis particula deleta. *Lambinus*.

62 *Qui primum*] Non intelligit Canulejum, qui legem de promiscuis patrum plebisque nuptiis tulit, quod XII. tab. vetabatur: sed Licinium Stolonem, qui non multis post annis tribunus fuit, ac rogationem tulit, ut etiam ex corpore plebis consules fierent: quod offensis patrum animis magna tandem contentione obtinuerunt. Florus, lib. I. cap. 26. *Turnebus*.

63 *Atque ut C. Flaminium*] C. Flaminius trib. plebis legem de agro Gallico & Piceno viritim dividendo tulit. Is consul ad Thrasymenum exercitu ab Annibale deleto occubuit. *Idem*.

64 *C. Curiatius*] L. Cornelium Nasicam, cui Serapioni cognomen fuit, & D. Junium Brutum Curiatius trib. plebis, quod non impetraret, ut sibi denos quos vellet milites eximeret, in carcerem mitti jussit. *Idem*.

65 *Runis*] Est runa genus teli. Unde Ennius, *Runata recedit*. Intelligit autem leges Agrarias & Frumentarias C. Gracchi, quibus contentiones & pugnæ inter plebem & optimates natæ sunt. *Idem*.

66 *Gentes sibi*] Jura gentilitatis significat, quæ violavit Clodius, cum ex genere patritio in adoptionem C. Fontejo homini plebejo juniori major natu lege curiata se dedit, cum de cælo tamen a Bibulo servatum esset, ut vitio sit adoptatus & contra leges. Porro magistratus plebejos hi dumtaxat gerere poterant, qui ex plebe erant. *Idem*.

67 *Licuisset tribuno*] Cum lex curiata qua adoptatus est, lata sit vitio, nulloque jure vel pontificio vel civili sit adoptatus. *Idem*.

eas videlicet, quas ſine ratione, ac ſine ulla ſpe bona furor edere potuit impuræ belluæ, multorum inflammatus furoribus. Quamobrem in iſta quidem re vehementer Syllam [68] probo, qui tribunis plebis ſua lege injuriæ faciendæ poteſtatem ademerit, auxilii ferendi reliquerit: Pompejumque noſtrum [69] cæteris rebus omnibus, ſemper ampliſſimis ſummiſque effero laudibus; de tribunitia poteſtate taceo. Nec enim reprehendere libet, nec laudare poſſum.

X. MAR. Vitia quidem tribunatus præclare, Quinte, perſpicis. Sed eſt iniqua in omni re accuſanda, prætermiſſis bonis, malorum enumeratio, vitiorumque ſelectio. Nam iſto quidem modo vel conſulatus vituperio eſt, ſi conſulum, quos enumerare nolo, peccata collegeris. Ego enim fateor in iſta ipſa poteſtate ineſſe quiddam mali. Sed bonum, quod eſt quæſitum in ea, ſine iſto malo non haberemus. Nimia poteſtas eſt tribunorum plebis: quis negat? Sed vis populi multo ſævior multoque vehementior, quæ ducem quod habet, interdum lenior eſt, quam ſi nullum haberet. Dux enim ſuo periculo progredi cogitat: populi impetus periculi rationem ſui non habet. At aliquando incenditur. Et quidem ſæpe ſedatur. Quod enim eſt tam deſperatum collegium, in quo nemo e decem ſana mente ſit [70]? Quin per ipſum [71] Tib. Gracchum non ſolum nectus, ſed etiam ſublatus [72] interceſſor fuerat.

68 *Vehementer Syllam*] Cornel. Sylla dictator tribunorum plebis poteſtatem minuit, & legum ferendarum illis jus ademit: interceſſionem reliquit, prohibuitque, ne his qui trib. fuiſſent, alios poſtea magiſtratus gerere liceret. *Idem*.

69 *Pompejumque noſtrum*] Pompejus ex Hiſpania reverſus, & coſ. cum Craſſo creatus, tribunitiam poteſtatem plebi reſtituit. *Idem*.

70 *Quin per ipſum Tiberium*] Tiberius Gracchus cum invitis equitibus ac ſenatoribus legem Agrariam ferret, M. Octavio collegæ cauſam adverſæ partis defendenti, poteſtatem lege lata abrogavit. Hanc hiſtoriam & Plutarchus in Græco refert, & Cicero lib. 1. de Nat. Deor. cap. 38. attingit his verbis, *Ut igitur T. Gracchum cum videor concionantem in Capitolio videre* &c. *Idem*.

71 *Quin per ipſum* &c.] Omnino videtur hoc adverſus tribunitiam poteſtatem: itaque pronuntiari a Cicerone miror, eam defendente. Puto autem hoc totum rejiciendum ad Quinti ſermonem, & poſt illa verba collocandum, *Quid juris bonis viris Tib. Gracchi tribunatus reliquit*? Et, quia mendi quiddam ſupereſt, ita legendum arbitror, *Quin per ipſum Tib. Gracchum non ſolum neglectus* &c. *P. Manut.*

72 *Etiam ſublatus*] Abrogata poteſtate, nectus erit tanquam peremptus & prohibitus. Sic *Enecor* comici non raro uſurpant pro Moleſtus es, & crucias. Non ſolum peremit interceſſionem Gracchus, cum intercedenti collegæ non paruit: verum etiam ſuſtulit interceſſorem, ei abrogata tribunitia poteſtate. *Turnebus*.

rat. Quid enim illum aliud perculit, nisi quod poteſtatem intercedendi collegæ abrogavit? Sed tu ſapientiam majorum in hoc vide. Conceſſa plebi a patribus iſta poteſtate arma ceciderunt; reſtincta ſeditio eſt: inventum eſt temperamentum, quo tenujores cum principibus æquari ſe putarint: in quo uno fuit civitatis ſalus. At duo Gracchi fuerunt. Et præter eos quamvis enumeres multos licet, cum deni creantur: nullos in omni memoria reperies pernicioſos tribunos; leves, etiam non bonos, fortaſſe plures. Invidia quidem ſummus ordo caret: plebes de ſuo jure periculoſas contentiones nullas facit. Quamobrem aut exigendi reges non fuerunt: aut plebi re, non verbo danda libertas: quæ tamen ſic data eſt, ut multis præclariſſimis addiceretur [73], ut auctoritati principum cederet.

XI. Noſtra autem cauſa, quæ, optime & dulciſſime frater, incidit in tribunitiam poteſtatem, nihil habuit contentionis cum tribunatu [74]. Non enim plebs incitata noſtris rebus invidit: ſed vincula ſoluta ſunt [75], & ſervitia incitata, adjuncto terrore etiam militari [76]. Neque nobis cum illa tum peſte [77] certamen fuit, ſed cum graviſſimo reipublicæ tempore: cui ſi non ceſſiſſem, non diuturnum beneficii mei patria fructum tuliſſet. Atque hoc rei exitus indicavit. Quis enim non modo liber, ſed etiam ſervus libertate dignus fuit, cui noſtra ſalus cara non eſſet?

Quod ſi is caſus fuiſſet rerum, quas pro ſalute reipublicæ geſſimus, ut non omnibus gratus eſſet; & ſi nos multitudinis vis furentis inflammata invidia pepuliſſet; ſi tribunus aliquis in me populum, ſicut Gracchus in Lænatem [78], Saturninus

 in

73 *Ut multis præclariſſimis* legibus *addiceretur*] Sic hunc locum lacerum ac mutilum redintegravi, reſtituta voce *legibus*, quæ a ſcriptoribus librariis omiſſa fuerat. *Lambinus*.

74 *Cum tribunatu*] Nam Cicero nunquam plebis libertatem aut commoda oppugnavit, quæ tribb. tueri debent, nec ut in oppreſſorem libertatis Ciceronem plebs coorta eſt & concitata, ſed ſervitia & vincula. *Turnebus*.

75 *Vincula ſoluta ſunt*] Clodius, ut Ciceronem urbe expelleret, carceres refregit, cuſtodias, ſervos, gladiatores, omneſque ſicarios adverſus eum armavit. In hanc ſententiam hac de re ſæpe loquitur Cicero, cum intelligendum ſit colluvionem & fæcem urbis a Clodio in eum incitatam fuiſſe. Per *vincula* autem vinctos per metonymiam intelligit, qui in cuſtodia habebantur. Sic *ſervitia* pro ſervis mox uſurpat. *Idem*.

76 *Terrore militari*] Erat enim ad portas cum imperio & exercitu Cæſar: cujus arma Ciceroni Clodius intentabat. *Idem*.

77 *Peſte*] Id eſt, Clodio.

78 *Gracchus in Lænatem*] P. Popilius Lænas cum prætor Tib. Gracchi amicos in exilium

in Metellum [79], incitasset: ferremus, o Quinte frater: consolarenturque nos non tam philosophi, qui Athenis fuerunt, qui hoc facere debent, quam clarissimi viri, qui illa urbe pulsi, carere ingrata civitate, quam manere in improba maluerunt. Pompejum vero quod una ista in re non ita valde probas, vix satis mihi illud videris attendere, non solum ei, quid esset optimum, videndum fuisse, sed etiam quid necessarium. Sensit enim deberi non posse huic civitati illam potestatem. Quippe quam tantopere populus noster ignotam expetisset, qui posset carere cognita? Sapientis autem civis fuit, caussam nec perniciosam, & ita popularem ut non posset obsisti, perniciose populari civi non relinquere. Scis solere, frater, in ejusmodi sermone, ut transiri alio possit, AD MODUM [80], dici.

XII. ATT. Prorsus ita est. QUINT. Haud equidem assentior: tu tamen ad reliqua pergas velim. MAR. Perseveras tu quidem, & in tua vetere sententia permanes. QUINT. Nunc mehercule. ATT. Ego sane a Quinto nostro dissentio. Sed ea, quæ restant, audiamus. MAR. Deinceps igitur omnibus magistratibus auspicia & judicia dantur: judicia, ut esset populi potestas, ad quam provocaretur: auspicia, ut multos inutiles comitiatus, probabiles impedirent moræ: sæpe enim populi impetum injustum auspiciis dii immortales represserunt. Ex his autem, qui magistratum ceperunt, quod [a] senatus efficitur, popularem sane neminem [81] in summum locum, nisi per populum, venire, sublata cooptatione censoria [82]. Sed præ-

lium egisset, vi C. Gracchi expulsus, postea L. Bestiæ rogatione restitutus est. Citatur a Festo oratio Gracchi in Lænatem. *Idem*.

79 *Saturninus in Metellum*] Apulejus Saturninus cum legem Agrariam per vim tulisset, Metello Numidico, qui in eam jurare noluerat, diem dixit: cum autem ab optimatibus Metellus defenderetur, ne tamen seditionis auctor esset, in exilium abiit. *Idem*.

80 *Admodum*] In dialogis qui respondet, cum disputanti assentitur, dicere *admodum* solet, ut una re pertractata alio transiri possit. Proinde tu frater *admodum* dicito, mihique assentitor. *Turneb. Admodum* in *ad modum*, voce divisa, mutavi, cum sensus id postulare videretur, ac ita repræsentaret editio Victoriana. *Davisius*.

a Lamb. *Senatus ex his constituitur, populare est sane, neminem*

81 *Popularem sane neminem*] Hæc lectio sensu caret; quapropter Turnebus emendavit, *populare est sane*. Mss. vero dant *quod senatus consulto*, vel *consultu*, *efficitur popularem sane neminem*. In hisce tenebris mihi palpanti rescribendum videtur, *Ex iis autem qui magistratum ceperunt quod senatus* constat; *efficitur* populare id *sane*, *neminem* &c. *Davisius*.

82 *Cooptatione censoria*] Censores, quæstores,

præſto eſt hujus vitii temperatio, quod ſenatus lege noſtra confirmatur auctoritas.

Sequitur enim: *Ejus decreta ſunto* [83]. Nam ita ſe res habet, ut, ſi ſenatus dominus ſit publici concilii, quodque is creverit, defendant omnes: &, ſi ordines reliqui, principis ordinis conſilio rempublicam gubernari velint, poſſit, ex temperatione juris, cum poteſtas in populo, auctoritas in ſenatu ſit, teneri ille moderatus & concors civitatis ſtatus, præſertim ſi proximæ legi parebitur. Nam proximum eſt, *Is ordo vitio careto: cæteris ſpecimen eſto*. QUINT. Præclara vero, frater, iſta lex eſt, & late patet, ut vitio careat ordo, & cenſorem quærat [84] interpretem. ATT. Ille vero, etſi tuus totus [85] eſt ordo, gratiſſimamque memoriam retinet conſulatus tui, pace tua dixerim, non modo cenſores, ſed etiam judices omnes poteſt defatigare.

XIII. MAR. Omitte iſta, Attice. Non enim de hoc ſenatu, nec his de hominibus, qui nunc ſunt, ſed de futuris, ſi qui forte his legibus parere voluerint, hæc habetur oratio. Nam cum omni vitio carere lex jubeat, ne veniet quidem in eum ordinem quiſquam vitii particeps. Id autem difficile factu eſt, niſi educatione quadam & diſciplina: de qua dicemus aliquid fortaſſe, ſi quid fuerit loci, aut temporis. ATT. Locus certe non deerit, quoniam tenes ordinem legum: tempus vero largitur longitudo diei. Ego autem, etiam ſi præterieris, repetam a te iſtum de educatione & de diſciplina locum. MAR. Tu vero & iſtum, Attice, & ſi quem alium præterii.

Cæteris ſpecimen eſto. Quod ſi eſt, tenemus omnia. Ut enim cupiditatibus principum & vitiis infici ſolet tota civitas: ſic emendari & corrigi continentia. Vir magnus & nobis o-

mni-

res, equites illuſtres, & viros inſignes in ſenatum cooptabant. Hanc cooptationem lege Cicero tollit, cum ex magiſtratibus ſenatum efficit. Nam cooptatio dicebatur, cum ſine ſuffragio populi vel ſacerdotes ſacerdotem, vel pontifices pontificem, vel cenſores ſenatorem legebant. Cooptatio enim eſt, cum collegæ ſimul optant & eligunt. *Turnebus*.

83 *Ejus decreta ſunto*] Turnebus, voce addita, legebat, *Ejus decreta rata ſunto*, atque ita Daviſius ex Mſſ.

84 *Cenſorem quærat*] Iſtam legem oſtendit nihil egere Quintus interpretatione Ciceronis, ſed cenſoris animadverſione & notatione opus eſſe, ut probroſi ordine moveantur, honeſti retineantur. Iſta enim eſt cenſoris interpretatio, quid ſit eſſe ſenatum aliis ſpecimen. Quos enim ordine removerit cenſor, oſtendet aliis ſpecimen non fuiſſe; quos retinuerit in ſenatu, oſtendet fuiſſe. *Turnebus*.

85 *Tuus totus*] Etſi tu ei ordini chariſſimus es. *Idem*.

mnibus amicus, L. Lucullus, [a] ferebatur quam commodiſſime reſpondiſſe, cum eſſet objecta magnificentia villæ Tuſculanæ, duo ſe habere vicinos: ſuperiorem, equitem Romanum; inferiorem, libertinum: quorum cum eſſent magnificæ villæ, concedi ſibi oportere, quod iis, qui inferioris ordinis eſſent, liceret. Non vides, Luculle, a te id ipſum natum, ut illi cuperent? quibus id, ſi tu non faceres, non liceret. Quis enim ferret iſtos, cum videret eorum villas ſignis & tabulis refertas, partim publicis, partim etiam ſacris & religioſis? quis non frangeret eorum libidines, niſi illi ipſi, qui eas frangere deberent, [b] eiſdem tenerentur?

XIV. Nec enim tantum mali eſt peccare principes, (quanquam eſt magnum hoc per ſe ipſum malum) quantum illud, quod permulti imitatores principum exſiſtunt. Nam licet videre, ſi velis replicare memoriam temporum, qualeſcumque ſummi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuiſſe: quæcumque mutatio morum in principes exſtiterit, eandem in populo ſecutam. Idque haud paulo eſt verius, quam quod Platoni noſtro placet, qui muſicorum cantibus ait mutatis, mutari civitatum ſtatus. Ego autem nobilium vita victuque mutato, mores mutari civitatum puto. Quo pernicioſius de republica merentur vitioſi principes, quod non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in civitatem: neque ſolum obſunt, quod ipſi corrumpuntur, ſed etiam quod corrumpunt, pluſque exemplo, quam peccato nocent. Atque hæc lex dilatata in ordinem cunctum, coanguſtari etiam poteſt. Pauci enim, atque admodum pauci, honore & gloria amplificati, vel corrumpere mores civitatis, vel corrigere poſſunt. Sed hæc & nunc ſatis, & in illis libris tractata ſunt diligentius. Quare ad reliqua veniamus.

Proximum autem eſt de ſuffragiis: quæ jubeo *nota* eſſe *optimatibus*, *populo libera* [86]. ATT. Ita mehercule attendi, nec ſatis

a Vict. Grut. *efferebatur*, *quaſi commodiſſime reſpondiſſet*

b Man. Grut. *cupiditatis ejuſdem* Lamb. *cupiditatibus eiſdem*

86 *Popula libera*] Libera ſunt quando non voce, ſed tabella feruntur. Optimatibus ſunt nota hac lege, quia quibuſdam tabellæ oſtenduntur, cum legibus Romanis id tamen vetitum eſſet. *Idem*.

satis intellexi, quid sibi lex, aut quid verba ista velint.

XV. MAR. Dicam, Tite, & versabor in re difficili, ac multum & sæpe quæsita: suffragia in magistratu mandando, aut reo judicando, aut lege aut rogatione sciscenda, clam, an palam [87] ferre, melius esset. ATT. An etiam id dubium est? QUINT. Vereor, ne a te rursus dissentiam. MAR. Non facies, Quinte: nam ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio, nihil ut fuerit in suffragiis voce melius; sed, obtineri an possit, videndum est. QUINT. Frater, bona tua venia dixerim, ista sententia maxime & fallit imperitos, & obest sæpissime reipublicæ, cum aliquid verum & rectum esse dicitur, sed obtineri, id est, obsisti posse populo, negatur. Primum enim obsistitur, cum agitur severe: deinde vi opprimi in bona causa, est melius, quam malæ cedere. Quis autem non sentit, auctoritatem omnem optimatium tabellariam legem abstulisse? quam populus liber nunquam desideravit: idem, oppressus dominatu ac potentia principum, flagitavit. Itaque graviora judicia de potentissimis hominibus exstant voces, quam tabellæ. Quamobrem suffragandi nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potentibus, non latebra danda populo, in qua, bonis ignorantibus quid quisque sentiret, tabella vitiosum occultaret suffragium.

XVI. Itaque isti rationi [88] neque lator quisquam est inventus, nec auctor unquam bonus. Sunt enim quatuor leges tabellariæ [89]: quarum prima de magistratibus mandandis: ea est Gabinia, lata ab homine ignoto & sordido. Secuta biennio post Cassia est, de populi judicio. Ea a nobili homine lata est, L. Cassio, sed, pace familiæ dixerim [90], dissidente a bonis,

87 *Clam, an palam*] Cum voce suffragia feruntur, auctoritas optimatium eorumque qui magistratibus functi sunt, plus valet, cum pauperiores & tenuiores eorum sententiæ palam refragari non ausint: at cum tabella suffragia feruntur, sine ullo metu libere populus suffragari potest. Cicero pro Plancio, cap. 6. *Populo grata est tabella, quæ frontes aperit, hominum mentes tegit, datque eam libertatem, ut quod velint faciant.* Idem.

88 *Isti rationi*] Isti methodo suffragiorum per tabellas ferendorum. Non enim erat cur Lambinus reponeret *isti rogationi*. Davisius.

89 *Quatuor leges tabellariæ*] Cassiæ legis meminit Asconius ad Act. primam in Verrem cap. 10. & Gabiniæ Cassiæque noster de Amic. cap. 12. Alium de reliquis apud auctores silentium. Vide Ant. Augustinum de Legibus. *Idem*.

90 *Pace familiæ dixerim*] Quæ severa semper fuit, & a populari levitate aliena. Cicero in Verrem, Act. I. cap. 10. *L. Cassius ex familia tum ad ceteras res, tum ad judicandum severissima*. Turnebus.

nis, atque omni rumufculos populares ratione aucupante. Carbonis eft tertia de jubendis legibus ac vetandis, feditiofi atque improbi civis: cui ne reditus quidem [91] ad bonos, falutem a bonis potuit afferre.

Uno in genere relinqui videbatur vocis fuffragium, quod ipfe Caffius exceperat, perduellionis [92]. Dedit huic quoque judicio Cælius tabellam, * docuitque, quoad vixit, fe, ut opprimeret C. Popilium [93], nocuiffe & reipublicæ. Et avus quidem nofter fingulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, reftitit Marco Gratidio, cujus in matrimonio fororem, aviam noftram, habebat, ferenti legem tabellariam. Excitabat enim [94] fluctus in fimpulo, ut dicitur, Gratidius, quos poft filius ejus Marius [95] in Ægæo excitavit * mari. Ac noftro quidem avo, cum res effet ad fe delata, Scaurus conful, *Utinam*, inquit, *Marce Cicero, ifto animo atque virtute in fumma republica nobifcum verfari, quam in municipali maluiffes!* Quamobrem, quoniam non recognofcimus nunc leges populi Romani,

91 *Ne reditus quidem*. Ad optimates, a quibus in tribunatu diffenferat, reditus, cum Opimium defendit. Cicero de Orat. II. 40. *Non fi Opimium defendifti, Carbo, idcirco te ifti bonum civem putabunt: fimulaffe te, & aliud* &c. *Idem*.

92 *Perduellionis*] Ciceronis ætate crimen perduellionis erat, cum quis contra libertatem populi quid fecerat; cum contra legem Porciam, quæ cædi & fecuri feriri cives non finebat, quis civem virgis ceciderat, aut interfecerat; aut tribunum plebis patronum & vindicem libertatis violarat, aut interfecerat. *Idem*.

* Vict. Man. *nocuit, quoad vixit: fed ut opprimeret populum, nocuit & reip.*

93 *Docuitque quoad vixit, fe ut opprimeret C. Popilium*] Illud *docuit* debetur Turnebo (ut ait Lambinus) qui ejecit priorem lectionem *doluit*. Quod nollem factum. Quo enim fenfu dicitur Cælius *docuiffe* hoc, *quoad vixit*? an non æque id docuit poft mortem, & adhuc etiam docet, cum hiftoriam ejus legamus? Adde, quod vix Ciceronianum videtur, *docuit fe nocuiffe reip.* Quo fenfu *docuit*? an non id damnum reip. etiam illo non hoc *docente* cognofci poffet? Potius igitur lego cum veteribus editionibus, & cum MSf. ut puto, *doluitque quoad vixit* &c. Multa improbe & feditiofe fecit, ut Popilium opprimeret, quibus nocuit reipublicæ: quæ res illum poftea (teftante Cicerone) dolore cruciavit. *Peareius*.

94 *Excitabat enim*] Hoc fpeciem ænigmatis & proverbii habet: fignificat autem patrem Gratidium turbellas in parva & municipali rep. excitaffe, filium vero in maxima rep. Romana, maximos tumultus. *Simpulum*, auctore Fefto, vas parvum eft, non diffimile cyatho, quo vinum in facrificiis libabatur: unde & mulieres rebus divinis deditæ *fimpulatrices* vocantur. Apud Nonium *fimpuvium*. *Turneb.*

95 *Filius ejus Marius*] M. Marium Gratidianum dicit, qui Romæ prætura bis functus eft, quemque Sylla *non prius vita privavit, quam oculos infelicis erueret, & fingulos corporis partes confringeret*, ut tradit Valerius Maximus lib. IX. cap. II. 1. Rem referunt etiam Q. Cicero de Petit. Conf. cap. 3. Seneca de Ira III. 18. Florus III. 21. aliique plures. Technam vero, qua factum eft, ut ei vicis omnibus ftatuas pofuerit, eumque ceu deum coluerit populus Romanus, narrabit Cicero Offic. III. 20. *Davifius*.

* Vict. Grut. *mori, ac noftro. Quoi, cum res effet*

ni, sed aut repetimus ereptas, aut novas scribimus: non quid ab hoc populo obtineri possit, sed quid optimum sit, tibi dicendum puto. Nam Cassiæ legis culpam Scipio [96] tuus sustinet, quo auctore lata esse dicitur. Tu, si tabellariam tuleris, ipse præstabis. Nec enim mihi placet, nec Attico nostro, quantum e vultu ejus intelligo.

XVII. ATT. Mihi vero nihil unquam populare placuit: eamque optimam rempublicam esse duco, quam hic consul constituerat, quæ sit in potestatem optimorum. MAR. Vos demum, ut video, legem antiquastis sine tabella. Sed ego, etsi satis dixit pro se in illis libris Scipio, tamen libertatem istam largior populo, ut & auctoritate valeant, & utantur bonis [97]. Sic enim a me recitata lex est de suffragiis. *Optimatibus nota, plebi libera sunto*. Quæ lex hanc sententiam continet, ut omnes leges tolleret, quæ postea latæ sunt, quæ tegunt omni ratione suffragium, ne quis inspiciat tabellam, ne roget, ne appellet.

Pontes etiam lex Maria fecit [98] angustos. Quæ si opposita sunt ambitiosis, ut sunt fere, non reprehendo. Sin valuerint tantum leges, ut ne sint ambitus: habeat sane populus tabellam, quasi vindicem libertatis, dummodo hæc optimo cuique & gravissimo civi ostendatur, ultroque offeratur, uti in eo sit ipso libertas, in quo populo potestas honeste bonis gratificandi datur. Eoque nunc fit illud, quod a te modo, Quinte, di-

96 *Cassiæ legis culpam Scipio*] Vide Cic. in Bruto, cap. 25.

97 *Libertatem istam largior populo, ut & auctoritate valeant, & utantur bonis*] Uti *bonis* quispiam interpretatur, uti bonorum consilio. Ita sensus erit: Qua lege jubeo suffragia esse *nota optimatibus, plebi libera*, populo istam largior libertatem, *ut auctoritate valeat*. Ergone auctoritatem senatui, cujus propria est, eripere voluit, & populo tradere? At dixit modo: *Senatus nostra lege confirmatur auctoritas ... Potestas in populo, auctoritas in senatu sit*, cap. 12. Stabit sententia & phrasis, si ultimam demas literam, & legas: *Libertatem istam largior populo, ut & auctoritate valeant, & utantur boni*. Volo, inquit, plebi esse libertatem ferendi suffragii; sed ita ut *boni* auctoritatem retineant, ejusque usum. Do *plebi libera* suffragia, sed volo *nota* esse *optimatibus*, & his tabellas, antequam diribitori & custodibus tradantur, ostendi. *Istam* ergo talem *largior populo libertatem*, sic plebem volo esse liberam, *ut boni auctoritate & valeant*, antecellantque, *& utantur*, videndis cognoscendisque suffragiorum tabellis. Eadem sententia paucis post versibus repetitur aliis verbis: *Quamobrem lege nostra libertatis species datur, bonorum auctoritas retinetur*. Franc. Odinus.

98 *Pontes etiam lex Maria fecit angustos*] In causa fuit cur pauciores suffragia darent; nam cives de lege promulgata suffragium laturi, per *pontes* transibant. Vide Paulum Merulam de Leg. Roman. cap. 1. §. 20. *Davisius*.

ctum eſt, ut minus multos tabella condemnet, quam ſolebat vox, quia populo licere ſatis eſt. Hoc retento, reliqua voluntas auctoritati, aut gratiæ traditur. Itaque, ut omittam largitione corrupta ſuffragia, non vides, ſi quando ambitus ſileat, quæri in ſuffragiis, quid optimi viri [99] ſentiant? Quamobrem lege noſtra libertatis ſpecies datur, bonorum auctoritas retinetur, contentionis cauſa tollitur.

XVIII. Deinde ſequitur, quibus jus ſit cum populo agendi, aut cum ſenatu. Gravis, & ut arbitror, præclara lex. *Quæ cum populo, quæque in patribus agentur, modica ſunto*. id eſt modeſta atque ſedata. Actor enim moderatur, & fingit non modo mentem ac voluntates, ſed pæne vultus eorum, apud quos agit; quod eſt in ſenatu non difficile: eſt enim ſenator is, cujus non ad auditorem referatur animus, ſed qui per ſe ipſe ſpectari velit. Huic juſſa tria ſunt: ut adſit; nam gravitatem res habet, cum frequens ordo eſt: ut loco dicat, id eſt rogatus: ut modo, ne ſit infinitus; nam brevitas non modo ſenatoris, ſed etiam oratoris magna laus eſt in ſententia. Nec eſt unquam longa oratione utendum: niſi aut peccante ſenatu [1], quod fit ambitione ſæpiſſime, nullo magiſtratu adjuvante, tolli diem utile eſt: aut cum tanta cauſa eſt, ut opus ſit oratoris copia vel ad hortandum vel ad docendum. Quorum generum in utroque magnus noſter Cato eſt [2].

Quodque addit, *Cauſas populi teneto*, eſt ſenatori neceſſarium noſſe rempublicam: idque late patet: quid habeat militum, quid valeat ærario, quos ſocios reſpublica habeat, quos amicos, quos ſtipendiarios, qua quiſque ſit lege, conditione, fœdere: tenere conſuetudinem decernendi, noſſe exempla majorum.

99 *Quid optimi viri*] Juſtiſſima Ciceronis eſt lex, quæ tabellarium plebi ſuffragium permittit, ſed eſſe notum optimatibus vult, cum præſertim in comitiis quærere inter ſe ſoleant homines qui in ſuffragium eunt, quid optimi viri ſentiant. Quod quidem ab iis fit, cum largitio in comitiis non verſatur, nec corrupti ſunt, ſed comitia quieta & tranquilla ſunt ſine ullo ambitu: tum enim bonorum ſuffragium populus incorruptus libenter ſequitur, & quærit quid boni ſentiant, & cui faveant. *Turnebus*.

1 *Peccante ſenatu*] Quorumdam ambitio nonnunquam eblanditur ſenatuſconſulta improbà corruptis Senatorum ſententiis: quod cum futurum videmus, ne ſenatuſconſultum fiat, diem dicendo tollere debemus. *Idem*.

2 *Noſter Cato eſt*] Ut cum Cæſar ex Hiſpania reverſus, ut liceret ſibi conſulatum per alium petere poſtulabat, Cato diem orando ſuſtulit. Sunt & alia exempla apud Plutarchum. *Idem*.

jorum. Videtis jam, genus hoc omne scientiæ, diligentiæ, memoriæ esse, sine quo paratus esse senator nullo pacto potest.

Deinceps sunt cum populo actiones: in quibus primum & maximum, *Vis abesto*. Nihil est enim exitiosius civitatibus, nihil tam contrarium juri & legibus nihil minus civile & humanum, quam, composita & constituta republica, quidquam agi per vim. Parere jubet intercessori: quo nihil præstantius. Impediri enim bonam rem melius, quam concedi malæ.

XIX. Quod vero actoris jubeo esse fraudem, id totum dixi ex Crassi, sapientissimi hominis, sententia: quem est senatus secutus, cum decrevisset, C. Claudio consule de Cn. Carbonis seditione referente, invito eo, qui cum populo ageret, seditionem non posse fieri, quippe cui liceat concilium, simul atque intercessum, turbarique cœptum sit, dimittere. Quod qui permovet [3], cum agi nihil potest, vim quærit: cujus impunitatem amittit hac lege.

Sequitur illud: *Intercessor rei malæ, salutaris civis esto*. Quis non studiose reipublicæ subvenerit, hac tam præclara legis voce laudatus?

Sunt deinde posita deinceps, quæ habemus etiam in publicis institutis atque legibus: *Auspicia servanto, auguri parento*. Est autem boni auguris, meminisse maximis reipublicæ temporibus præsto esse debere, Jovique optimo maximo se consiliarium atque administrum datum, ut sibi [4] eos, quos in auspicio [5] esse jusserit, cælique partes sibi definitas esse traditas, e quibus sæpe opem reipublicæ referre possit. Deinde de promulgatione, de singulis rebus agendis, de privatis, magistratibusve audiendis.

Tum leges præclarissimæ de XII tabulis tralatæ duæ: quarum altera privilegia tollit; altera de capite civis rogari, ni-

3 *Quod qui permovet*] Quod concilium cœtumque plebis moveri cœptum qui permovet, seditionem & vim quærit. *Idem*.

4 *Ut sibi*] Consiliarios & administros esse datos. *Idem*.

5 *Quos in auspicio*] Auguralis locutio, qua utebantur augures, cum aliquem auspicari jubebant. Vide Cic. lib. II. de Divin. cap. 34. Ita in agendo cum auspicabantur, augur aliquem adhibebat, qui in auspicio esset. *Idem*. Sic autem interpunge; *datum; ut sibi eos, quos in auspicio esse jusserit; cælique &c.*

ſi maximo comitiatu, vetat. Nondum cognitis ſeditioſis, tribunis plebis ne cogitatis quidem, admirandum, tantum majores in poſterum providiſſe. In privatos homines leges ferri noluerunt: id eſt enim privilegium: quo quid eſt injuſtius? Cum legis hæc vis ſit, ſcitum eſt & juſſum in omnes; ferri de ſingulis, niſi centuriatis comitiis, noluerunt. Deſcriptus enim populus cenſu, ordinibus, ætatibus, plus adhibet ad ſuffragium conſilii, quam ſuſe in tribus convocatus.

Quo verius in cauſa noſtra vir magni ingenii, ſummaque prudentia, L. Cotta, dicebat, nihil omnino actum eſſe de nobis. Præter enim quam quod comitia illa eſſent armis geſta ſervilibus, præterea neque tributa capitis comitia rata eſſe poſſent, neque ulla [a] privilegii: quocirca nihil nobis opus eſſe lege, de quibus nihil omnino actum eſſet legibus. Sed viſum eſt & nobis, & clariſſimis viris melius, de quo ſervi & latrones ſciviſſe ſe aliquid dicerent, de hoc eodem cunctam Italiam quid ſentiret, oſtendere.

XX. Sequuntur de captis pecuniis, & de ambitu leges. Quæ cum magis judiciis, quam verbis ſancienda ſint; adjungitur, *Noxiæ pœna par eſto*, ut in ſuo vitio quiſque plectatur: vis, capite: avaritia, multa: honoris cupiditas, ignominia ſanciatur. Extremæ leges ſunt nobis non uſitatæ: reipublicæ neceſſariæ. Legum cuſtodiam nullam habemus: itaque hæ leges ſunt, quas apparitores noſtri volunt; a librariis petimus; publicis literis conſignatam memoriam publicam nullam habemus. Græci hoc diligentius, apud quos νομοφύλακες [b] creantur: nec hi ſolum literas, (nam id quidem etiam apud majores noſtros erat) ſed etiam facta hominum obſervabant, ad legeſque revocabant.

Hæc detur cura cenſoribus: quandoqnidem eos in republica ſemper volumus eſſe. Apud eoſdem, qui magiſtratu abierint, edant & exponant, quid in magiſtratu geſſerint: deque iis cen-

a Vict. Man. Lamb. *privilegia*

b Νομοφύλακες, ſic enim lege] Id eſt cuſtodes legum. Hi numero XII. erant, legumque cuſtodiam habebant, ac magiſtratus omnia ex legum præſcripto agere cogebant, hominumque facta ad leges revocabant. Sic Rhadamanthus in urbe, Talos in agris, ut ſcribit Plato, Minois νομοφύλακες fuerunt. *Idem.*

censores præjudicent. Hoc in Græcia fit, publice constitutis [7] accusatoribus. Qui quidem graves esse non possunt, nisi sint voluntarii. Quocirca melius est, rationes referri, causamque exponi censoribus: integram tamen [a] legem accusatori judicioque servari.

Sed satis jam disputatum est de magistratibus, nisi forte quid desideratis. ATT. Si nos tacemus, locus ipse nos admonet, quid tibi sit deinde dicendum. MAR. Mihine? de judiciis arbitror, Pomponi: id est enim junctum magistratibus.

ATT. Quid? de jure populi Romani, quemadmodum instituisti, dicendum nihil putas? MAR. Quid tandem hoc loco est, quod requiras? ATT. Egone? quod ignorari ab iis, qui in republica versantur, turpissimum puto. Nam, ut modo a te dictum est, leges a librariis lego: sic animadverto, plerosque magistratus ignoratione juris sui tantum sapere, quantum apparitores velint. Quamobrem, si de sacrorum alienatione dicendum putasti, quoniam de religione leges proposueras: faciendum tibi est, ut, magistratibus lege constitutis, de potestate, tum de jure disputes.

MAR. Faciam breviter, si consequi potuero: nam pluribus verbis scripsit ad patrem tuum M. Junius sodalis perite, meo quidem judicio, & diligenter. At de jure naturæ cogitare per nos [8], atque dicere debemus; de jure populi Romani, quæ relicta sunt & tradita. ATT. Sic profecto censeo: & id ipsum, quod dicis, exspecto.

7 *Publice constitutis*] Quemadmodum publice constituebatur Athenis qui in publicis sepulturis diceret: ita quoque qui eos accusaret, qui magistratum gessissent, in reddendis rationibus. Accusabantur autem apud collegium λογιστῶν, populusque accusatores constituebat. Sed graves, ut censet Cicero, esse non possunt, nisi voluntate ad accusandum descendant. *Idem*.

a Lamb. *rem*

8 *Cogitare per nos*] Cum de jure naturæ disserimus, ut fere tribus superioribus libris fecimus multis locis; quid e natura sit, ipsi ex inchoatis intelligentiis per nos cogitare debemus: cum de jure populi Rom. agitur, ut proximo libro, in quo de jure & potestate magistratuum disseram, quæ scripta & tradita invenimus, literis mandanda sunt. *Idem*.

* DE

*DE OFFICIIS,

AD M. FILIUM,

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Cum Cicero, Reipublicæ libertate sublata, se ad philosophiæ studium retulisset, multosque illustres ejus locos Latinis literis illustrasset; suscepit ad filium, Athenis studiis literarum operam dantem, de officiis scribere, non modo, ut hic quoque locus, qui latissime patet, Latinis literis illustraretur, sed etiam, quod esset ætati Ciceronis filii & auctoritati parentis aptissimus. Quanquam autem hæc quæstio communis est omnium philosophorum; tamen his pene propria est, qui summum bonum honestate metiuntur, nempe Academicorum, Peripateticorum, & Stoicorum, qui in constituendo summo bono verbis magis, quam re, discrepabant. Secutus ergo Cicero est in hac quæstione potissimum Stoicos, & ex eorum fontibus, judicio arbitratuque suo, quantum, quoque modo visum est, hausit. Tradita officii & definitione & divisione, quinque facit genera deliberationis in consilio capiendo: primum, honestumne factu sit an turpe, quod in deliberationem cadit: alterum, conducatne an noceat: reliqua vero, ubi cum honesto pugnat id quod videtur utile, & cum aliud alio honestius aut utilius videtur, utrum alteri sit præponendum. In tres igitur partes totam disputationem distribuit, quarum prima est de honesto, altera de utili; sed dupliciter utraque; & tertia de comparatione eorum. Primum formam quamdam honesti exhibet a natura humana ductam, ejusque quatuor partes facit, sapientiam, justitiam, temperantiam, & fortitudinem seu magnitudinem animi, ex

* *De officiis*] De eo, quod decet, & rectum est in factis dictisque. Græci partem hanc philosophiæ inscribebant περὶ τοῦ καθήκοντος, *de Officio*. Cicero numerum variavit: quia, ut scribit in libro ad Attic. XVI. ep. XI. inscriptio *de Officiis* plenior est. *Facciolatus*.

ex quibus singulis certa quædam officia nascuntur, cap. 4. *Ac de his quatuor partibus fuse disputat, & quomodo ab iis officia ducantur, ostendit*, cap. 5. 42. *Huic disputationi subjicit de comparatione honesti, de duobus honestis utrum honestius*, cap. 43. *&c.* ERNESTUS.

De his libris Plinius in præfatione: Quæ volumina ejus ediscenda, non modo in manibus habenda nosti. *Incepit eos scribere mortuo Cæsare, cum solus consul esset Antonius*, epist. 13. lib. 15. *ad Attic. Sed absolvit Hirtio & Pansa coss. paulo ante mortem suam, ut cognoscitur e libro 16. earumdem epistolarum*. MURETUS.

I. QUANQUAM te, Marce fili, [1] annum jam audientem Cratippum [2], idque Athenis [3], abundare oportet præceptis institutisque philosophiæ, propter summam & doctoris auctoritatem, & urbis; quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis; tamen, ut ipse ad meam utilitatem semper cum Græcis Latina conjunxi, neque id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione [4] feci: idem tibi censeo faciendum, ut par sis in utriusque orationis facultate. Quam quidem ad rem, nos (ut vide-

1 *annum jam*] Annus jam elapsus fuerat, ex quo Marcus filius, victo interfectoque Pompejo, Atheoas profectus erat. Marcus autem pater post Cæsaris necem, cum de rep. desperasset, omnemque concordiæ spem amisisset, in otium parumper secessit, ut hos de Officiis libros scriberet, A. ab U. C. DCCIX. & DCCX. In Pompejano suo erat, cum scribere cœpit. *Facc.*

2 *Cratippum*] Cic. filius ad Tironem lib. 16. ad Famil. *Cratippo me scito non ut discipulum, sed ut filium esse conjunctissimum. Nam cum & audio illum libenter, tum etiam ejus propriam suavitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum eo: noctisque sæpenumero partem. Exoro enim ut mecum quam sæpissime cœnet. Hac introducta consuetudine, sæpe inscientibus nobis, & cœnantibus obrepit: sublataque severitate philosophiæ, humanissime nobiscum jocatur. Quare da operam, ut hunc talem, tam jucundum, tam excellentem virum videas quam primum*. Secundo horum librorum ait eum esse iis simillimum, qui ista præclara pepererunt: & in Timæo, Peripateticorum omnium, quos quidem ipse audiverit, suo judicio facile principem. Mitylenæus autem erat Cratippus. *Turneb.*

3 *Idque Athenis*] Eas Cicero I. de Orat. *omnium doctrinarum inventrices* vocat. Ibi esse *domicilium studiorum*, III. de Orat. & in Oratore, Atheniensium semper fuisse *prudens sincerumque judicium, ut nihil audire possent nisi incorruptum, & elegans*. In libro de Fato: *Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis: itaque pingues Thebani, & valentes*. Conjungit autem tria, doctorem, tempus, locum. *Idem*.

4 *Feci*] Deest vox hæc in aliquo MS. nec sane necessaria est. Ad sensum quod attinet, & Cicero pater Græce Latineque declamabat, ut ipse de se scribit in Bruto; & filius, ut est in epistola modo allata. *Facc.*

videmur) magnum attulimus adjumentum hominibus nostris; ut non modo Græcarum literarum rudes, sed etiam docti, aliquantum se arbitrentur adeptos & ad dicendum, & ad judicandum. Quamobrem disces tu quidem a principe hujus ætatis philosophorum, & disces, quamdiu voles: tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non pœnitebit. Sed tamen nostra legens, non multum a Peripateticis dissidentia: quoniam utrique, & Socratici, & Platonici esse volumus [5]: de rebus ipsis utere tuo judicio: nihil enim impedio: orationem autem Latinam profecto [6] legendis nostris efficies pleniorem. Nec vero arroganter hoc dictum existimari velim. Nam philosophandi scientiam concedens multis; quod est oratoris proprium, apte, distincte, ornate dicere, quoniam in eo studio ætatem consumpsi, si id mihi assumo, videor id meo jure quodam modo vindicare.

Quamobrem magnopere te hortor, mi Cicero, ut non solum orationes meas, sed hos etiam de philosophia libros, qui jam illos [7] fere æquarunt, studiose legas. Vis enim dicendi major est in illis: sed hoc quoque colendum est æquabile & temperatum orationis genus. Et id quidem nemini video Græcorum adhuc contigisse, ut idem utroque in genere laboraret, sequereturque & illud forense dicendi, & hoc quietum disputandi genus: nisi forte [8] Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum vehemens; dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere. Nos autem quantum in utroque profecerimus, aliorum sit judicium: utrumque certe secuti sumus. Equidem & Platonem existimo, si genus forense dicendi tractare voluisset, gravissi-

me

5 *Quoniam utrique & Socratici & Platonici esse volumus*] Id est nos Academici, & vos Peripatetici, (Cratippus enim erat Peripateticus) volumus esse Socratici & Platonici. id est, Socratis & Platonis decreta tueri volumus: philosophiam moralem Platonicam a Socrate acceptam sequimur. *Lambin.*

6 *Legendis nostris*] Duo hæc verba credibile est addita fuisse margini ad explicationem, ut fieri a Grammaticis solet. Thomas Cokman in editione 1716. Codicem memorat Oxoniensem, in quo desunt. Sane battologia quædam videtur hæc *nostra legens, legendis nostris*. Facc.

7 *Qui jam illos*] *Illos*, hoc est, libros alterius generis, ante memoratos. Qui libri sunt orationes, vel, si malumus, libri orationum. Alii legunt: *Qui jam se illis fere* &c. *Anonymus*.

8 *Demetrius Phalereus*] In temperato dicendi genere excelluit. Dicitur *dulcis*, quemadmodum & Theophrastus, quem secutus est, *dulcis* vocatur in Bruto. Ceterum Philosophus potius, quam Orator, habitus est. *Facc.*

me & copiosissime potuisse dicere: & Demosthenem, si illa, quæ a Platone didicerat, tenuisset, & pronuntiare voluisset, ornate splendideque facere potuisse. Eodemque modo de Aristotele & Isocrate judico: quorum uterque suo studio delectatus, contempsit alterum [9].

II. Sed cum statuissem aliquid [10] hoc tempore ad te scribere, & multa posthac, ab eo ordiri volui maxime, quod & ætati tuæ esset aptissimum, & auctoritati [*] meæ. Nam cum multa sint in philosophia & gravia, & utilia, accurate copioseque a philosophis disputata, [11] latissime patere videntur ea, quæ de officiis tradita ab illis & præcepta sunt. Nulla enim vitæ pars neque publicis, neque privatis; neque forensibus, neque domesticis in rebus; neque [12] si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest: in eoque colendo sita vitæ est honestas omnis, & in negligendo turpitudo.

Atque hæc quidem [13] quæstio communis est omnium philosophorum. Quis est enim, qui nullis officii præceptis tradendis philosophum se audeat dicere? Sed sunt nonnullæ disciplinæ, quæ propositis bonorum & malorum finibus officium omne pervertunt. Nam qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum; idque suis commodis, non honestate metitur: hic si sibi ipse consentiat, & non interdum naturæ bonitate vincatur, neque amicitiam colere possit, nec justitiam, nec liberalitatem. Fortis vero, dolorem summum malum judicans; aut temperans, voluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest. Quæ quanquam ita sunt in promptu, ut res disputatione non e-

9 *Contempsit alterum*] Aristoteles videlicet oratorium dicendi genus, Isocrates philosophicum contempsit: neque enim ad æmulationem quæ nulla inter eos fuit, istuc referendum est; ut male quidam hic annotarunt. *Langius*. *Contempsit*, hoc est, noluit tractare. *Grævius*.

10 *Hoc tempore*] Idem ad Attic. l. 15. ep. 13. *Nos hic φιλοσοφοῦμεν (quid enim aliud ?) & τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnifice explicamus, προσφωνοῦμενque Ciceroni. Qua de re enim potius pater filio? Deinde alia*. Facc.

* Man. *mea gravissimum. Nam*

11 *Latissime patere*] Prima ratio, cur de Officiis scribat, quod materia latissime pateat ad omnem vitæ partem. *Facc.*

12 *Tecum agas*] solus per te agas, & tibi agas. Sunt enim Officia quædam, quæ sibi quisque debet. *Facc.*

13 *Quæstio communis*] Secunda ratio, quia quamvis quæstio hæc de Officiis sit philosophorum omnium communis, non tamen revera philosophi omnes de Officiis præcipere possunt, vel recte præcipere. *Facc.*

geat, tamen sunt a nobis alio loco [14] disputata. Hæ disciplinæ igitur si sibi consentaneæ esse velint, de officio nihil queant dicere. Neque ulla officii præcepta firma, stabilia, conjuncta naturæ [15], tradi possunt, nisi aut ab iis, qui solam [16], aut ab iis, qui maxime honestatem propter se dicant expetendam. Itaque propria est ea præceptio Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum: quoniam Aristonis [17], Pyrrhonis, Herilli, jam pridem explosa sententia est: qui tamen haberent jus suum disputandi de officio, si rerum aliquem delectum reliquissent, ut ad officii inventionem aditus esset. Sequemur igitur hoc quidem tempore, & hac in quæstione potissimum Stoicos, non ut interpretes; sed, ut solemus, e fontibus eorum, judicio arbitrioque nostro, quantum, quoque modo videbitur, hauriemus. Placet igitur, quoniam omnis disputatio de officio futura est, ante definire, quid sit officium: quod a Panætio prætermissum esse miror. Omnis enim, quæ a ratione suscipitur de aliqua re, institutio, debet a definitione proficisci: ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.

III. Omnis de officio duplex est quæstio [18]. Unum genus est,

14 *Alio loco*] IV. Tuscul. Quæst. & libris de Finibus bonorum & malorum.

16 *Conjuncta naturæ*] Quæ consentiant naturæ humanæ. Honestatis originem deducunt Stoici a natura, secundum quam vivere, bene vivere est. Neque quicquam fieri potest secundum naturam, quod fiat repugnante ratione, ut docet IV. Tuscul. *Grævius*.

16 *Qui solam*] Sine adjunctione rerum externarum. Vide Tuscul. V. Hi vero sunt Stoici; ut illi, qui honestatem propter se, hoc est propter suam vim & naturam, ducunt expetendam, sunt Academici & Peripatetici. *Idem*.

17 *Aristonis, Pyrrhonis, & Herilli*] De quibus in Lucullo, & in libris de Finibus.

18 *Omnis de officio duplex est quæstio*] Cur non statim definit officium? Quia cum officiorum non unum genus sit, una communis officii definitio tradi non potest. Prius igitur docendum fuit, de quo genere officiorum disputaturus esset, quam officium definiretur. Certi autem officii, antequam in propositam disputationem ingrediatur, definitionem tradet, ut paulo ante faciendum præcepit. Sed quia duplex est quæstio, id est, ratio quærendi, ac disputandi de officio, ideo prius admonet, utram in his libris sequi ac tenere decreverit. Unum igitur genus disputationis est δογματικὸν, quod pertinet ad finem bonorum, id est, ut ait Seneca, ad constitutionem summi boni: ut cum docetur, nihil esse bonum, nisi quod est honestum: nihil malum, nisi quod vitiosum: omnia minima maxima divino consilio ac providentia administrari: mundum hunc civitatem quandam esse deorum hominumque communem: omnes homines ita inter se esse natura conjunctos, quasi unius corporis membra: liberos a deo creatos ac genitos esse animos nostros, quare nefas esse eos a nobis rebus externis, ut opibus, honoribus, corpori, in servitutem addici. Curanda nobis esse, quæ a nobis sunt; quæ extra nos, negligenda. In nobis esse opinionem, impetum, appetitionem, declinationem, uno verbo, quæcumque opera nostra sunt: extra nos, possessiones, honores, imperia, corpus ipsum. Quæ in nobis sint, ea natura libera esse, neque prohiberi posse, neque impediri: quæ

est, quod pertinet ad finem bonorum: alterum, quod positum est in præceptis [19], quibus in omnes partes usus vitæ confirmari [20] possit. Superioris generis hujusmodi exempla sunt: Omniane officia perfecta sint: num quod officium aliud alio majus sit [21]: & quæ sunt generis ejusdem. Quorum autem officiorum præcepta traduntur, ea, quanquam pertinent ad finem bonorum, tamen id minus apparet, quia magis ad institutionem vitæ communis spectare videntur: de quibus est nobis his libris explicandum.

Atque etiam alia divisio est officii. Nam & medium quod-

quæ extra nos, imbecilla, servilia, aliena. Hæc & similia vocabant Stoici δόγματα, id est, ut Seneca interpretatur, scita, decreta, placita philosophiæ. Tale autem disputationum genus Cicero hoc loco ait ad finem bonorum, id est, ad veram ac perfectam summi boni cognitionem & intelligentiam pertinere. *Muretus*.

19 *Alterum, quod positum est in præceptis*] Hoc genus Græci, ut est apud Senecam, παραινετικὸν vocant, in quo μερικῶς docetur, quid patriæ, quid parentibus, quid liberis, quid amicis præstare debeamus. Ad hæc duo genera Posidonius addebat χαρακτηρισμὸς, quos etiam jocans Seneca, publicanorum verbo εἰκονισμὸς vocari posse ait, id est, virtutum ac vitiorum & hominum, qui eis præditi sunt, descriptiones: & tales sunt ii, qui Theophrasti nomen præferunt, χαρακτῆρες. Hos quoque Seneca fatetur ex usu esse. Quia enim facilius omnia notamus, & animadvertimus in aliis, quam in nobis, prodest spectare illas imagines, ex quibus aliquid in nos transferamus, aut demus operam ne tales simus, quales ii, quos aut contemnimus, aut aversamur. Hujus tertii generis, quod χαρακτηριστικὸς vocemus licet, Cicero hoc loco non meminit: sed illa tantum duo ponit notiora, & celebriora. *Idem*.

20 *Confirmari*] Lambinus, & Grævius, *conformari*; utrumque recte. Natura enim ad officium ducit; præceptis *confirmatur* quod illa inchoaverat; *Rectique cultus pectora roborant*, ut inquit Horatius IV. Od. IV. 34. *Anonymus*.

21 *Omniane officia perfecta sint: num quod officium aliud alio majus sit*] His verbis subvereor equidem ne insit aliquid vitii. Nunquam enim legi disputatum esse a Stoicis, *omniane officia perfecta sint*: ac ne videatur quidem, si sibi constare ac consentire vellent, (constantiæ autem in dogmatis suis laus eis præcipua tribui solet) ea de re disputare potuisse. Certe enim ita ab ipsis traditur, officium aliud perfectum esse, quod κατόρθωμα, aliud inchoatum, & imperfectum, quod generis nomine καθῆκον vocant. Ut igitur si quis cum poneret, animal aliud esse rationis capax, aliud rationis expers, si quærere vellet, omniane animalia rationis capacia essent, merito irrideretur: ita Stoici cum hoc in ipsis doctrinæ suæ principiis ponant: officium aliud perfectum esse, aliud imperfectum, non videntur posse hanc quæstionem tractare, *omniane officia perfecta sint*. Suspicor igitur, pro, *perfecta*, legendum, *paria*. Fuit enim hæc disputatio in Stoicorum scholis decantata. *Num paria essent omnia officia, an unum alio majus*. Sed dicet aliquis, non hæc jam duo exempla fore, sed unicum. Idem enim est quærere, *num omnia officia sint paria, & num eorum aliud sit alio majus*. Cui respondeo putare me id ipsum corrumpendo loco causam dedisse, cum vererentur homines nimis superstitiosi, ne Cicero bis idem dicere videretur. Est enim hoc unicum problema, *Num paria sint omnia officia, an aliud alio majus*. At Cicero non *exemplum*, sed *exempla* dicit, ut plura proposuisse videatur. Imo vero ait hoc problema, & quæ sunt generis ejusdem, esse exempla ejus generis, quod pertinet ad finem bonorum, quod δογματικὸν vocari diximus. Omnia igitur officia perfecta, id est, omnes actiones cum virtute conjunctas pares esse dicebant. Omnes enim virtutes æquales esse: ideoque æqualia etiam earum ἐπιγεννήματα, id est, actiones, quæ ex eis enascerentur. *Muret*.

dam officium dicitur, & perfectum. Perfectum officium, rectum (opinor) vocemus, quod Græci κατόρθωμα [22], hoc autem commune καθῆκον vocant [23]. Atque ea sic definiunt, ut, rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant [24]: medium autem officium [25] id esse dicant, quod, cur factum sit, ratio probabilis reddi possit.

Triplex igitur est, ut Panætio videtur, consilii capiendi deli-

Muret. Causæ, cur sibi vir politissimus ab omnium librorum scriptura recedendum putavit, justæ sane nullæ sunt. Nam res eodem redit, sive Cicero scripserit, *num omnia officia sint perfecta*, sive *num omnia officia sint paria*. Nam si omnia sunt officia perfecta, quod sentiebant Stoici, sunt utique omnia paria. In illa igitur doctrina, quæ pertinebat ad dogmata, quærebatur num omnia officia sint perfecta, an vero aliud alio majus, quod Peripatetici aliarumque familiarum philosophi existimabant: nec aliud Cicero voluit. In illo argumento cum versarentur, quærebatur, *omniane officia sint perfecta*. Hoc argumentis adstruebant Stoici, dein examinabantur aliorum philosophorum rationes, qui diversa statuebant: quærebant itaque cum illis *num quod officium aliud alio majus sit*. In his non sibi adversabantur Stoici, sed hæc expendebant, ut suam sententiam munirent firmius. Nec absurdus sit, qui ponat, num omnia animalia sint rationis capacia, an vero aliud animal sit rationis capax, aliud rationis expers. *Grævius.*

22 *Perfectum officium, rectum, opinor, vocemus, quod Græci κατόρθωμα*] Quod conveniebat iis, qui credebantur Stoicis ὑπὲρ φύσιν ζῆν, supernaturalem quasi quandam vitam vivere, tanquam excessissent communem hanc vivendi rationem, & proximi diis essent, immo dii. Nam Stoici suum sapientem, deum esse persuasum habebant. Qui vero ad hunc perfectæ sapientiæ gradum erant evecti, dicebantur θεωρητικοί, quorum animi ab omni fæce motuum humanorum purgati, & ab omni terrena labe mundati, quam simillimi sint redditi menti illi divinæ, cujus contemplationi toti incumbunt, hinc & dicti sunt θεωρητικοί. Vide Simplicii prooem. in Epictet. *Idem.*

23 *Hoc autem commune, quod καθῆκον vocant*] Qui hoc sequuntur, dicuntur κατὰ φύσιν ζῆν, secundum naturam vivere, & πρακτικοί, qui in agendo tantum quod bonum est versantur, virtutibus moralibus ac politicis contenti. Quæ virtutes civiles moralesque hominem quidem probum reddunt, sed non eum, ut θεωρία, inducunt in semitam divinarum virtutum, quæ τοὺς θεωρητικοὺς deo assimilabant. Θεωρητικῷ non scripta esse hæc præcepta, quippe qui iis non indigeat, sicut nec præceptis, quæ in Enchiridion Epicteti contulit Arianus, ostendit in commentario in prooemium illius enchiridii Simplicius: qui ait ista præcepta ad πρακτικούς, seu qui secundum naturam vitam instituunt, pertinere. Vide Simplic. & in illum Salmasium. *Idem.*

24 *Ut rectum quod sit, id perfectum officium definiant*] Alibi in hoc opere definit κατόρθωμα, *quod perfectum atque absolutum est, &, ut Stoici dicunt, omnes numeros habet*. Et in Oratore: *Illud cui nihil addi possit, quod ego summum & perfectissimum judico*. Quod nemo præstare potest, nisi sapiens Stoicus quem illi fingunt ἀκώλυτον, ἀπαραπόδιστον, ἀναγκαστόν, ἐλεύθερον, εὔπορον, εὐδαιμονοῦντα, ut est apud Gellium. Quæ verba libro III. de Finibus Cicero magna ex parte interpretatus est: *Cum hoc sit extremum, congruenter naturæ, convenienterque vivere, necessario sequitur, omnes sapientes semper feliciter, absolute, fortunate vivere: nulla in re impediri, nulla prohiberi, nulla egere*. Wolfius. Vide Lips. lib. III. Manuduct. ad Philosoph. Stoicam.

25 *Medium autem officium*] Idem hoc est, quod Stoici apud Diogenem Laertium affirmant, καθήκοντα εἶναι, ὅσα λόγος αἱρεῖ ποιεῖν. *Officia esse, quæ ratio facienda suaserit*. Vide Suidam in καθῆκον. *Medium* autem officium hoc, quod præstatur a bonis viris, vocatur, quia *medius* Latinis est mediocris. Sic *media bella*. Liv. V. 37. Bella media sunt bella mediocria. Vell. Paterc. II. 29. *Innocentia eximius, sanctitate præcipuus, eloquentia medius*. Græv.

deliberatio [26]. Nam, honeſtumne factu ſit, an turpe, dubitant, id, quod in deliberationem cadit: in quo conſiderando ſæpe animi in contrarias ſententias diſtrahuntur. Tum autem aut anquirunt [27], aut conſultant, ad vitæ commoditatem jucunditatemque, ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus & ſe poſſint juvare & ſuos, conducat id necne, de quo deliberant: quæ deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus eſt, cum pugnare videtur cum honeſto id, quod videtur eſſe utile: cum enim [28] utilitas ad ſe rapere, honeſtas contra revocare ad ſe videtur, fit ut diſtrahatur deliberando animus, afferatque ancipitem curam cogitandi.

Hac diviſione, (cum præterire aliquid maximum vitium in dividendo ſit) duo prætermiſſa ſunt. Nec enim ſolum utrum honeſtum, an turpe ſit, deliberari ſolet, ſed etiam, duobus propoſitis honeſtis, utrum honeſtius. Itemque duobus propoſitis utilibus, utrum utilius. Ita, quam ille triplicem putavit eſſe rationem, in quinque partes diſtribui debere reperitur. Primum igitur eſt de honeſto, ſed dupliciter: tum pari ratione de utili: poſt de comparatione eorum differendum.

IV. Principio generi animantium omni eſt a natura tributum, ut ſe, vitam, corpuſque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque, quæ ſint ad vivendum neceſſaria, anquirat, & paret, ut paſtum, ut latibula, ut alia ejuſdem generis. Commune item animantium omnium eſt conjunctionis appetitus, procreandi cauſa, & cura quædam eorum, quæ procreata ſunt. Sed inter hominem & belluam hoc

26 *Conſilii capiendi deliberatio*] Reprehendit hoc loquendi genus Henricus Steph. 11. Schediaſmat. cap. 25. & arguit pleonaſmi, ac ſi non multum diſcriminis intercederet inter conſilium capere & deliberare. Hæret quoque & dubitat Wolfius. Sed *conſilium capere* hic eſt exequi deliberatum, rem facere, de qua deliberabatur. Livius, lib. xxv. cap. 34. *Dux cautus & providens Scipio, victus neceſſitatibus temerarium capit conſilium, ut nocte Indibili obviam iret*. J. Fr. Gronovius.

27 *Anquirunt*] *Anquirere* proprie eſt, circum quærere, ut Feſtus ſcribit: a quo, *inquirere* diverſum eſt: qui igitur circumquaque omnia ſcrutans quærit, is *anquirere* Latine & Ciceroniane dicitur. *Fabricius*.

28 *Utilitas ad ſe rapere*] Utile pugnat aliquando cum Honeſto. Vide cap. 7. lib. 3. Porro utilitas dicitur *rapere*, honeſtas, *revocare*, quia honeſtas conjuncta naturæ eſt. Adde, utilitatem, quæ pugnat cum honeſtate, videri, non eſſe. *Facc.*

hoc maxime intereſt, quod hæc tantum, quantum ſenſu movetur, ad id ſolum, quod adeſt, quodque præſens eſt, ſe accommodat, paululum admodum ſentiens præteritum, aut futurum. Homo autem (quod rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, cauſas rerum videt, earumque [29] progreſſus [30], & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus præſentibus adjungit, atque annectit futuras) facile totius vitæ curſum videt, ad eamque degendam præparat res neceſſarias. Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis, & ad vitæ ſocietatem: [31] ingeneratque in primis præcipuum quendam amorem in eos, qui procreati ſunt: impellitque, ut hominum cœtus [a] celebrari inter ſe, [b] & a ſe obiri velit: ob eaſque cauſas ſtudeat parare ea, quæ ſuppeditent & ad cultum, & ad victum: nec ſibi ſoli, ſed conjugi, liberis, cæteriſque, quos caros habeat, tuerique debeat. Quæ cura exſuſcitat etiam animos, & majores ad rem gerendam facit.

In primiſque hominis eſt propria veri inquiſitio atque inveſtigatio. Itaque cum ſumus neceſſariis negotiis curiſque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiſcere: cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium ad beate viven-

29 *Progreſſus & quaſi anteceſſiones*] quomodo res progrediantur, ſeque ipſæ inter ſe antecedant, & alia aliam pariat? Alii leg. *prægreſſus*, ideſt cauſſas prægreſſas: ſed incidunt in ταυτολογίαν, cum *cauſſas* jam nominarit, atque adeo *principia & cauſſas*, ut quidam legunt. *Facc.*

30 *Earumque* progreſſus] Ita vulgo legitur: ſed potior mihi videtur lectio *prægreſſus*, quæ extat in Mſſ. Mead. Mert. 1. Pal. 2. in uno Giſanii, uno Turnebi, & tribus Lambinianis. Vox *anteceſſiones*, quæ proxime ſequitur & huic voci copula connectitur, ſatis probat Ciceronem ſcripſiſſe *prægreſſus*, non *progreſſus*: aliter enim (opinor) alio verborum ordine dixiſſet, *earumque quaſi anteceſſiones & progreſſus non ignorat*, cum *anteceſſio* prior eſt in rerum natura, quam *progreſſus*. Notandum eſt etiam per vocem *earum* hic intelligi debere, non *rerum*, ſed *cauſarum rerum*: ut noſter dicit in Fato c. 19. *Dicent, ſi omnia fato fierent ejuſmodi, ut nihil fieret niſi* prægreſſione cauſæ, *conſitendum eſſe fato fieri omnia*. Maturantius recte explicaſſe hunc locum videtur. Non ſolum (inquit) ipſas rerum cauſas videt, quæ plerumque manifeſtæ ſunt, ut nimia aeris intemperies cauſa eſt peſtilentiæ: ſed, ſi quid eſt quod ipſas cauſas antecedat, ut cum ex ſignis quibuſdam & prognoſticis futuram percipit aeris intemperiem, quæ peſtilentiæ cauſa ſit. *Pearcius*. Vide Turneb. Adverſ. lib. XXVI. cap. 32.

31 *Ingeneratque in primis præcipuum quemdam amorem in eos, qui procreati ſunt.*] Membrum hoc reſpicit verba modo allata ex loco de Fin. *profectus a charitate domeſticorum*. Valde dubito, num ex iis formatum fuerit ab aliquo Ariſtarcho, & huc inſertum. Nam revera ſine illo rectius cohæret oratio, & vix intelligitur, quomodo Cicero dixerit *in primis præcipuum*. *Facc.*

a Grut. *& celebrationes eſſe*

b Vict. Man. *& ſibi obedire velis*

vivendum neceſſariam ducimus. Ex quo intelligitur, quod verum, ſimplex, ſincerumque ſit, id eſſe naturæ hominis aptiſſimum.

Huic veri videndi cupiditati adjuncta eſt appetitio quædam principatus, ut nemini parere animus bene a natura informatus velit, niſi præcipienti, aut docenti, aut utilitatis cauſa, juſte & legitime imperanti: ex quo animi magnitudo exſiſtit, humanarumque rerum contemptio.

Nec vero illa parva vis naturæ eſt rationiſque, quod unum hoc animal ſentit quid ſit ordo; quid ſit, quod deceat; in factis dictiſque qui modus. Itaque eorum ipſorum, quæ adſpectu ſentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venuſtatem, convenientiam partium ſentit. Quam ſimilitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis pulchritudinem, conſtantiam, ordinem in conſiliis factiſque conſervandum putat: cavetque, ne quid indecore [32] effœminateve faciat: tum in omnibus & opinionibus, & factis, ne quid libidinoſe aut faciat aut cogitet. Quibus ex rebus conflatur & efficitur id, quod quærimus, honeſtum: quod etiam ſi nobilitatum non ſit, [33] tamen honeſtum ſit: quodque vere dicimus, etiam ſi a nullo laudetur, natura eſſe laudabile.

V. Formam quidem ipſam, Marce fili, & tanquam faciem honeſti vides: quæ ſi oculis cerneretur, mirabiles amores (ut ait Plato) excitaret ſapientiæ [34]. Sed omne, quod honeſtum

eſt,

32 *Effæminateve faciat*] Adde, *aut cogitet*: quod eſt in fine period. Nam reliqua hæc, *tum in omnibus & opinionibus & factis nequid libidinoſe aut faciat*, inſerta puto, ex interpretatione margini adſcripta. *Facciolat.*

33 *Quod etiamſi nobilitatum non ſit*] Etſi notum non ſit, & prædicetur a nemine. Inferius in lib. 2. *Phalaris, cujus eſt inter ceteros nobilitata crudelitas*. Græv.

34 *Mirabiles amores (ut ait Plato) excitaret ſapientiæ*] Alludit noſter ad illud Platonis in Phædro, quod aliter verbis protulit in lib. II. 16. de Fin. *Oculorum eſt in nobis ſenſus acerrimus.: quibus ſapientiam non cernimus: quam illa ardentes amores excitaret ſui, ſi videretur!* At quod de ſapientia ibi dixerat Plato, Cicero hic dicit de *forma & facie honeſti*. Hinc cum facile appareat Ciceronem non ſcripſiſſe *excitaret ſapientiæ*, Faernus olim monuit legendum eſſe *excitaret ſui*, ut ad *formam & faciem honeſti* iſtud *ſui* referretur. Sed ne hæc quidem conjectura, quamvis probanda, omnem ſententiæ labem tollit: nam Plato hoc non dixerat de *forma & facie honeſti*, cui vox *ſui* referenda eſt, ſed de ſapientia. Mihi igitur videtur locum ſic legendum eſſe; *quæ, ſi oculis cerneretur, mirabiles amores (ut ait Plato ſapientiæ) excitaret ſui*: ubi voces illæ, *ut ait Plato ſapientiæ*, idem ſonant quod ſequentes, ut ait Plato, excitaturum mirabiles amores ſapientiæ, ſi ea poſſet oculis humanis cerni. *Pearcius*.

eſt, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perſpicientia veri, ſolertiaque verſatur; aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum cuique, & rerum contractarum fide; aut in animi excelſi atque invicti magnitudine ac robore; aut in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine & modo, in quo ineſt modeſtia & temperantia.

Quæ quatuor quanquam inter ſe colligata atque implicata ſunt, tamen ex ſingulis certa officiorum genera naſcuntur: velut ex ea parte, quæ prima deſcripta eſt [35], in qua ſapientiam & prudentiam ponimus [36], ineſt indagatio atque inventio veri: ejuſque virtutis hoc munus eſt proprium. Ut enim quiſque maxime perſpicit, quid in re quaque veriſſimum ſit, quique acutiſſime & celerrime poteſt & videre, & explicare rationem, is prudentiſſimus & ſapientiſſimus rite haberi ſolet. Quocirca huic quaſi materia, quam tractet, & in qua verſetur, ſubjecta eſt veritas.

[37] Reliquis autem tribus virtutibus neceſſitates propoſitæ ſunt ad eas res parandas tuendaſque, quibus actio vitæ continetur: ut & ſocietas hominum, conjunctioque ſervetur; & animi excellentia magnitudoque tum in augendis opibus, utilitatibuſque & ſibi, & ſuis comparandis, tum multo magis in his ipſis deſpiciendis eluceat. Ordo autem, & conſtantia [38], & moderatio, & ea, quæ ſunt his ſimilia, verſantur in eo genere, ad quod adhibenda eſt actio quædam, non ſolum mentis agitatio. His enim rebus, quæ tractantur in vita, modum quendam & ordinem adhibentes, honeſtatem & decus conſervabimus.

VI. Ex quatuor autem locis, in quos honeſti naturam vimque diviſimus, primus ille, qui in veri cognitione conſiſtit, maxi-

35 *Quæ prima deſcripta eſt*] *Deſcripta* non eſt, ut vulgo accipiunt, definita, ſed collocata, & ordinata primo loco. Cic. de Petit. conſul. *Etſi hominibus ſtudioſe noſtri gratioſiſque ſuum cuique munus deſcripſimus*. Horat. de Arte poetica: *deſcripta ſervare vices*, hoc eſt impoſitam perſonam recte gerere. *Grævius*.

36 *Ineſt indagatio*] Legendum *exiſtit*: illud enim non patitur latina ſyntaxis. *Facc.*

37 *Reliquis autem tribus*] Quidam addidere *virtutibus*; quod minime oportebat. Tribus igitur reliquis neceſſaria omnia propoſita ſunt, quæ parantur in vita ad juſte, fortiter, moderate agendum. *Facc.*

38 *Ordo* autem *&* *conſtantia*] Ni fallor, legendum eſt *item*: ad actionem enim Cicero hic refert ordinem eodem modo, quo duas præcedentes virtutes, juſtitiam & fortitudinem. *Pearcius*.

maxime naturam attingit humanam. Omnes enim trahimur [39] & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem: in qua excellere pulchrum putamus: labi autem, errare, nescire, decipi, & malum, & turpe ducimus. In hoc genere & naturali, & honesto, duo vitia vitanda sunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamur: quod vitium effugere qui volet, (omnes autem velle debent) adhibebit ad considerandas res & tempus, & diligentiam. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias. Quibus vitiis declinatis, quod in rebus honestis & cognitione dignis operæ curæque ponetur, id jure laudabitur: ut in astrologia C. Sulpicium [40] audivimus: in geometria Sex. Pompejum ipsi cognovimus: multos in dialecticis, plures in jure civili. Quæ omnes artes in veri investigatione versantur: cujus studio a rebus gerendis abduci, contra officium est. Virtutis enim laus omnis in actione consistit: a qua tamen sæpe fit intermissio: multique dantur ad studia reditus: tum agitatio mentis, quæ nunquam acquiescit, potest nos in studiis cognitionis etiam sine opera nostra [41] continere [42]. Omnis autem cogitatio motusque animi, aut in consiliis capiendis de rebus honestis, & pertinentibus ad bene beateque vivendum, aut in studiis scientiæ, cognitionisque versatur. Ac de primo quidem officii fonte diximus.

VII. De tribus autem reliquis latissime ea ratio, qua societas [43] hominum inter ipsos, & vitæ quasi communi-

39 *Et ducimur*] Duo hæc verba absunt a codicibus quibusdam MSS. & sane abesse debent, ut in suo specimine Heusingerus ostendit. *Facc.*

40 C. *Sulpicium*] Eclipsim prædixit, & rationem defectus solis & lunæ primus Romani generis in vulgus extulit. Fuit consul cum Marcello. Plinius, lib. II. cap. 12.

41 *Sine opera nostra*] Id est, sine labore corporis, etsi musæo non simus affixi, nec legendo, scribendove demus operam. *Grævius.*

42 *Continere*] Continere, proprie de magistris dicitur, qui exercent adolescentes. Cic. Fam. VII. 19. *In qua exercitatione nos te continebimus.* Petron. *Juvenes declamationibus continebantur.* Gell. XIX. 1. *Quem ego Athenis cognovi ... attente discipulos juvenes continentem.* Idem.

43 *Latissime patet ea ratio, qua societas*] Absoluto loco de sapientia & prudentia, transit ad secundam partem honestatis, quæ pertinet ad tuendam & conservandam hominum societatem, cujus partes duas esse dicit, justitiam & liberalitatem. Justitia nemini suum eripit; liberalitas etiam aliis de suo sponte largitur. Justitia nemini nocet; liberalitas sponte aliis prodest Bipertita igitur hæc disputatio futura est. *Muretus.*

tas [44] continetur. Cujus partes duæ sunt. Justitia, in qua virtutis splendor est maximus; ex qua boni viri nominantur: & huic conjuncta beneficentia, quam eandem vel benignitatem, vel liberalitatem appellare licet. Sed justitiæ primum munus est, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus injuria [45]: deinde, ut communibus [46] utatur pro communibus, privatis ut suis. Sunt autem privata nulla natura: sed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt; aut victoria, ut qui bello potiti sunt; aut lege, pactione, conditione, sorte [47]. Ex quo fit, ut ager Arpinas, Arpinatum dicatur: Tusculanus, Tu-

44 *Vitæ quasi communitas*] Est socialis ista vita, quæ hominibus præ cæteris animalibus est propria. Male nonnulli hæc explicant. Cicer. III. de Fin. *Quemadmodum membris utimur priusquam didicimus cujus ea utilitatis causa habeamus, sic inter nos natura ad civilem societatem conjuncti & consociati sumus*. Ibid. *Præclare Chrysippus cætera nata esse hominum causa & deorum, eos autem communitatis & societatis suæ*. Paulo post: *Homines natos esse ad congregationem hominum, & ad societatem communitatemque generis humani*. Grævius.

45 *Nisi lacessitus injuria*] Huic primo præcepto justitiæ, nemini nocere, additur exceptio, ut qui injuria lacessitus sit, is juste ei, a quo lacessitus est, vicissim nocere posse videatur. Ideo Lactantius hunc ipsum locum reprehendit lib. VI. cap. 18. Vir bonus quidem nunquam quidquam facere debet, ne lacessitus quidem, ut noceat alteri: potest tamen factam sibi injuriam sine vitio ulcisci. Omnes qui se ulcisci volunt, aut sua causa id faciunt, aut aliena. Sua tribus modis. Aut enim ut sibi expleant animum reponendo dolore ei, a quo læsi sunt: quasi facilius laturi dolorem suum, si ei quoque, qui eum attulit, male esse viderint. Aut ex ultione commodum sibi & emolumentum aliquod quærunt: ut si tu mihi centum per injuriam abstuleris, ego quoque totidem a te auferre cupiam, aut etiam pœnæ nomine aliquanto amplius. Aut sibi cavere in posterum & prospicere volunt, metuentes, ne in contemptum adducantur, neve aut ab eo ipso, qui læsit, aut ab aliis, quasi per ludibrium alias injurias accipiant. Scitum enim est illud: *Veterem ferendo injuriam, invitas novam*. Aliena autem causa ulcisci se student duobus modis. Aut enim ipsius causa qui læsit, ut ei quasi medeantur, eumque modestiorem efficiant: aut etiam reip. causa: ut ejus quem ulcisci volunt exemplo coerceantur alii, & ab injuria absterreantur, sitque, ut jurisconsulti loquuntur, pœna unius, metus multorum. Ita Deum peccata hominum ulcisci dixerat Chrysippus lib. I. de justitia: ἵνα τῶν πονηρῶν κολαζομένων οἱ λοιποὶ παραδείγμασι τούτοις χρώμενοι, ἧττον ἐπιχειρῶσι τοιοῦτόν τι ποιεῖν. *Muret*. Sed vide Grotium lib. II. de Jure belli & Pacis c. I. Nec tamen ex Stoicorum schola. Horum enim scitum est neminem lædi nisi a se ipso. Non potest ergo sapiens Stoicus lacessi injuria, aut ulla alterius injuria impelli ad ei nocendum. Sed hæc scribi præcipique non sapientibus, sed viris bonis superius dixit Tullius. Præterea hæc, lacessito injuria lacessenti nocere fas esse, intelligenda sunt, de ratione, qua non aliter possunt arcere injuriam. Nam in civitate, ubi jure licet agere: legibus & judici res committenda est, qui inferentem injuriam puniat. *Grævius*.

46 *Ut communibus*] Vide quam varie communia dicantur quam eleganter explicet Seneca libro VII. de Benef. cap. 12. *Idem*.

47 *Aut lege, pactione, conditione, sorte*] Proprietatem quæri Cicero dicit, aut venditionis lege, aut pactione aliqua & contractu: etiam conditione, si quid feceris, aut dederis, interdum dominium acquiritur, cum ita convenit: postremo sorte, ut in coloniis deducendis, cum assignabantur agri, centuriæ singulæ certo militum numero, missis in urnam eorum nominibus. Nam quæ pars cuique evenerat, sortitio ejus censebatur. *Turnebus* Advers. XXVI. 32.

Tusculanorum. Similisque est privatarum possessionum descriptio. Ex quo, quia suum cujusque fit, eorum, quæ natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quisque teneat, [48] e quo si quis appetet [49], violabit jus humanæ societatis.

Sed quoniam (ut præclare scriptum est a Platone) non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat, partem amici: atque ita placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se, aliis alii prodesse possent: in hoc naturam debemus ducem sequi, communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo [50]: tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem.

Fundamentum est autem justitiæ fides; id est, dictorum, conventorumque constantia & veritas. Ex quo (quanquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde verba sint ducta) credamus, quia fiat, quod dictum est, appellatam fidem. Sed injustitiæ genera duo sunt: unum eorum, qui inferunt; alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possint, non propulsant injuriam. Nam, qui injuste impetum in quempiam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi manus afferre videtur socio. Qui autem non defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio [51], quam si pa-

 ren-

48 *E quo siquis*] In meo codice, *eo si quis*, sed vulgarem hanc lectionem retinere juniores Critici voluerunt, invito Lambino: quasi vero non satis sit, duas superiores periodos cœpisse per *Ex quo*, nisi addatur tertia. Al. leg. *Et siquis*. Facc.

49 *E quo si quis sibi appetet*] Vict. Man. Lamb. *eo si quis plus sibi appetet*. Sed Langium audiamus. *Appetere* proprie est amplius petere, demum vehementer velle, atque etiam vi invadere. Ut *appetere* regnum; *homo appetens* pro avido, contra Rullum; *animus appetens*, de Oratore. Sic infra, *ne cupide quid agerent, ne appeterent*. Livius, lib. 1. *Crescebat interim urbs munitionibus alia atque alia appetendo loca*. Quam verbi hujus proprietatem qui ignorarunt, locum corruperant. Hoc enim vult dicere, ex eo quod alterius sit, neminem appetere sine injuria posse. Nam plus velle, vel plus quærere, quam possideas, cur sit injustum, dum id fiat absque dolo malo? ut puta occupatione vacui, justo bello, aliove quo non illicito pacto? *Car. Lang.*

50 *Tum artibus*] Vulgo editores non intelligentes vim particulæ *tum*, quæ hoc loco conjunctionis munere fungitur, eam iterarunt in duobus incisis, quæ sequuntur. *Facc.*

51 *Tam est in vitio*] Hic Cicero reprehenditur & erroris arguitur, quod tradat eum, qui non defendat, si possit, insontem, cui injuria fit, æque graviter peccare,

rentes, aut amicos, aut patriam deserat. Atque illæ quidem injuriæ, quæ nocendi causa de industria inferuntur, sæpe a metu proficiscuntur [52], cum is, qui nocere alteri cogitat, timet ne, nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo. Maximam autem partem ad injuriam faciendam aggrediuntur, ut adipiscantur ea, quæ concupiverunt: in quo vitio latissime patet avaritia.

VIII. Expetuntur autem divitiæ tum ad usus vitæ necessarios, tum ad perfruendas voluptates. In quibus autem major est animus, in iis pecuniæ cupiditas spectat ad opes, & ad gratificandi facultatem: ut nuper M. Crassus negabat, ullam satis magnam pecuniam esse ei, qui in republica princeps vellet esse, cujus fructibus [53] exercitum alere non posset. Delectant etiam magnifici apparatus, vitæque cultus cum elegantia & copia: quibus rebus effectum est, ut infinita pecuniæ cupiditas esset. Nec vero rei familiaris amplificatio, nemini nocens, vituperanda: sed fugienda semper injuria est.

Maxime autem adducuntur plerique, ut eos justitiæ capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum, gloriæ cupiditatem inciderint. Quod enim est apud Ennium,

Nulla sancta societas, nec fides regni est:

id latius patet. Nam quidquid ejusmodi est, in quo non possint plures excellere, in eo fit plerumque tanta contentio, ut difficillimum sit sanctam servare societatem. Declaravit id modo temeritas C. Cæsaris, qui omnia jura divina atque humana pervertit, propter eum, quem sibi ipse opinionis errore finxe-

re, ac si parentem, aut patriam deserat, putaturque Stoicorum placito, peccata esse æqualia, in hunc errorem incidisse. Sed qui sic sentiunt, ipsi falluntur. Non enim Cicero dicit æque graviter peccare qui hominem non defendat, ac si parentem non defendat, sed æque peccare in justitiam, qui injeriam a quocunque potest non propulsat, ac illum qui parentem aut patriam deserat. Injustum esse utrumque, sed uter sit injustior, uter gravius peccet, hic Cicero non definit. In hac locutione *tam est in vitio* vocula *tam* non quantitatem, sed qualitatem potius notat. Sicuti tam in vitio est, denarium furari, ac decies sestertium, quamvis peccata differant plurimum, ut multis disputarunt Majoragius & Griffiolus contra Cœlium Calcagnioum. Plato puniendum censet, qui vim alteri illatam non arcet IV. de legibus, quod & Ægyptiorum legibus cavebatur. Vide Hug. Grotium libro II. de Jure Belli & Pacis cap. 25. §. 6. & 7. *Grævius*.

52 *Sæpe a metu proficiscuntur*] Vide Grotium II. de Jure Belli & Pacis cap. 1. §. 2. ubi copiose hoc explicat, & ostendit simul quando per justum metum nobis liceat occupare injuriam illaturum. *Idem*.

53 *Exercitum alere*] Vide Paradoxum VI. Plinius in lib. 33. c. 10. legionem dicit, non exercitum. *Facc.*

finxerat, principatum. Eſt autem in hoc genere moleſtum, quod in maximis animis, ſplendidiſſimiſque ingeniis plerumque exſiſtunt honoris, imperii, potentiæ, gloriæ cupiditates. Quo magis cavendum eſt, ne quid in eo genere peccetur.

Sed in omni injuſtitia permultum intereſt, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis eſt, & ad tempus: an conſulto, & cogitato fiat injuria. [54] Leviora enim ſunt, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata & præparata inferuntur. Ac de inferenda quidem injuria ſatis dictum eſt.

IX. Prætermittendæ autem defenſionis, deſerendique officii plures ſolent eſſe cauſæ. Nam, aut inimicitias, aut laborem, aut ſumptus ſuſcipere nolunt; [55] aut etiam negligentia, pigritia, inertia; aut ſuis ſtudiis quibuſdam occupationibuſve ſic impediuntur, ut eos, quos tutari debeant, deſertos eſſe patiantur. [56] Itaque videndum eſt, ne non ſatis ſit id, quod apud Platonem eſt in philoſophos dictum [57]: quod in veri inveſtigatione verſentur [58], quodque ea, quæ plerique vehementer expetunt, de quibus inter ſe digladiari ſolent, contemnant, & pro nihilo ducant, propterea juſtos eſſe. Nam alterum juſtitiæ genus aſſequuntur, inferenda ne cui noceant injuria; in alterum incidunt ✠. Diſcendi enim ſtudio impediti,

54 *Leviora &c.*] Id non gratis monet. Stoici enim volebant, omnia injuſtitiæ genera eſſe æqualia. *Facc.*

55 *Aut etiam negligentia, pigritia, inertia*] Hæc addita, ut opinor, margini fuerant ad eos ſignificandos, qui laborem ſuſcipere nolunt; unde in contextum irrepſere ad conſtructionem turbandam. Quis enim dixerit, *impediri negligentia, aut inertia?* *Facc.*

56 *Itaque videndum*] Lege *Atqui*. Sic in Tuſcul. 2. c. 18. atqui vide ne &c. *Videndum* autem ponitur pro verendum. *Facc.*

57 *In philoſophos dictum*] *In philoſophos: in*, ad laudem ſpectat, ut 1. de Legib. *Quod item ad contrariam laudem in virtutem dici poteſt*. Et III. de Divin. *Dilexit municipem tuum Ruſtium, in quem etiam illud eſt ejus*, &c. Et in Bruto, *in legem Cæpionis*. Locus eſt apud Platonem in VI. de Rep. ſed optime explicatur in III. de Finibus a Catone, cur dialectica & phyſica virtutum appellatione veniant apud Stoicos. *Car. Lang.*

58 *Quod in veri inveſtigatione verſentur*] Epicuri dogma fuit ſapientem μὴ πολιτεύεσθαι, non accedere ad rempublicam. Quam ſententiam exagitat Cic. Orat. pro Sextio, cap. 10. *Grævius.*

59 *Non acceſſuros quidam*] Epicureis, qui ajebant, ut eſt in oratione pro Sextio cap. 10. *remp. capeſſere hominem bene ſanum non oportere*. Si Platonici idem ſentiebant, legendum eſt, *ne acceſſuros quidem*. *Facc.*

✠ *Nam alterum* juſtitiæ genus *aſſequuntur ... in alterum incidunt*] Non video quid ſignificent hæc verba *in alterum incidunt*. Num Cicero hoc vult, *in alterum* injuſtitiæ genus *incidunt*? Ita quidem nonnulli edideruntur: ſed cum in prima ſententiæ parte Noſter dixerit *alterum juſtitiæ genus aſſequuntur*,

diti, quos tueri debent, deserunt. Itaque eos ad rempublicam [59] ne accessuros quidem putant, nisi coactos: æquius autem erat id voluntate fieri. Nam hoc ipsum ita justum est, quod recte fit, si est voluntarium.

Sunt etiam, qui aut studio rei familiaris tuendæ, aut odio quodam hominum, suum se negotium agere dicant, ne facere cuiquam videantur injuriam [60]: qui altero injustitiæ genere vacant; in alterum incurrunt. Deserunt enim vitæ societatem, quia nihil conferunt in eam studii, nihil operæ, nihil facultatum.

Quoniam igitur duobus generibus injustitiæ propositis, adjunximus causas utriusque generis, easque res ante constituimus, quibus justitia continetur; facile, quod cujusque temporis officium sit, poterimus, nisi nosmet ipsos valde amabimus, judicare. Est enim difficilis cura rerum alienarum. Quanquam Terentianus ille Chremes *humani nihil a se alienum putat* [61]. Sed tamen, quia magis ea percipimus atque sentimus,

quæ

tur, hoc posterius *alterum* non potest esse genus injustitiæ. Num igitur Cicero hoc vult, *in alterum* justitiæ genus *incidunt*? at inde exurget sensus quovis scriptore, ne dicam Cicerone, prorsus indignus; cum nihil aliud contineat postrema pars sententiæ quam in prima diceretur. Adde quod huic sensui omnino se opponunt sequentia verba *discendi enim studio impediti* &c. His rationibus adductus lector, cum vulgatam lectionem rejiciendam esse viderit, Langii conjecturam fortasse probabit, qui legit *in alterum* non *incidunt*, id est, in alterum justitiæ genus: quamvis enim incidere in *vitio* usitatius, quam in *virtutes*, Latine dicatur, tamen non desunt exempla, quæ probant, Latine dici *in virtutes incidere*: ut in II. 21. de Orat. *Omnino in illud genus eum Crassi magnificum atque præclarum natura ipsa ducebat: sed ea non satis proficere potuisset, nisi eodem studio atque imitatione* incidisset. Si cui tamen Langii conjectura, quæ nullo MS. se defendit, non arrideat, videat an non alia aggrediendum sit via. Cum MS. Cant. omittit vocem *justitiæ* in priore parte sententiæ, malo equidem (hoc & sequenti verbo omisso) sic legere, *Nam*, dum *alterum assequuntur*, *inferenda ne cui noceant injuria*, *in alterum incidunt*. *Discendi enim* &c. In hac lectione, ut posterior vox *alterum* respicit ad sequentia *discendi enim studio impediti* &c. ita prior ad ea quæ ipsam proxime sequuntur, *inferenda ne cui noceant injuria*. Quod cum ignorarent librarii, videntur verba *justitiæ genus* inter lineas, interpretamenti loco, collocasse, ansamque dedisse aliis ea postea in textum inferendi. *Pearcius*.

60 *Ne facere cuiquam videantur*] Lego, *nec facere*. Passerat.

61 *Humani nihil a se alienum putat*] Putat ad se suamque curam pertinere aliorum hominum curas, molestias, negotia. Sic hunc versum intelligendum esse, non solum ex ipso Comico patet, & hoc Ciceronis loco, sed & ex alio Tullii, & ex Seneca. In primo de Leg. c. 12. inquit ille: *Quod si, quo modo est natura, sic judicio homines, humani, ut ait poeta, nihil a se alienum putarent, coleretur jus æque ab omnibus*. Et Seneca ep. 95. *Ille versus in ore & in pectore sit*: Homo sum, humani nihil a me alienum puto. *Habeamus in commune quod nati sumus. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, quæ casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur*. Quam inepta vulgo sententia huic versui affingatur, hinc licet videre. *Græv.*

quæ nobis ipsis aut prospera, aut adversa eveniunt, quam illa, quæ cæteris; quæ quasi longo intervallo interjecto videmus: aliter de illis, ac de nobis judicamus. Quocirca bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites [62], æquum sit, an iniquum. Æquitas enim lucet ipsa per se: dubitatio cogitationem significat injuriæ.

X. Sed incidunt sæpe tempora [63], cum ea, quæ maxime videntur digna esse justo homine, eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntque contraria: ut * reddere depositum, promissum facere [64], quæque pertinent ad veritatem, & ad fidem, ea migrare interdum, & non servare, fit justum [65]. Referri enim decet ad ea, quæ proposui in principio, fundamenta justitiæ: primum, ut ne cui noceatur: deinde, ut communi utilitati serviatur.

Cum tempora commutantur, commutatur officium; & non semper est idem. [66] Potest enim accidere promissum aliquod, & conventum, ut id effici sit inutile, vel ei, cui promissum sit, vel ei, qui promiserit. Nam si, ut in fabulis est, Neptunus, quod Theseo promiserat, non fecisset, Theseus filio Hippolyto non esset orbatus. Ex tribus enim optatis [67], ut scribitur, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit: quo impetrato, in maximos luctus incidit. Nec promissa igitur servanda sunt ea, quæ sint iis, quibus promise-

62 *Quod dubites*] Vide de hoc loco & dubiis casibus pulchre disputantem Hug. Grotium II. de Jure Belli & Pacis cap. 23. §. 1. 2. & seq. & ejusdem libri cap. 24. §. 4. *Idem*.

63 *Sed incidunt sæpe tempora*] Tale tempus illud erat, quo Cato ipse suadebat civibus esse pecuniam contra leges ambitus dandam, ne Lucceius cum Cæsare crearetur consul. Vide Sueton. in Jul. cap. 19. & quæ ibi notat Casaubonus. Tale fuit tempus cum Cicero judicaret in equestris ordinis vitiis connivendum esse, postulante id illorum temporum ratione, contra Catonis sententiam, quæ id quidem quod justum erat, statuerat, sed quod propter temporum rationem noxium reip. erat. De quibus Cic. II. ad Att. 1. *Catonem nostrum non tu amas plus, quam ego. Sed tamen ille optimo animo utens, & summa fide, nocet interdum reipublicæ; dicit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquam in Romuli fæce, sententiam*. Idem.

* Lamb. *ut* non *reddere depositum, etiam promissum* non *facere*.

64 *Promissum facere*] Vide Hug. Grot. II. de Jure Belli & Pacis cap. 11. ubi disserit de promissis. *Idem*.

65 *Referri enim decet*] Pro *decet* fortasse legendum *debent*. Scilicet promissa omnia revocari debent ad illa duo Justitiæ fundamenta, & ex iis dijudicari. *Face.*

66 *Potest enim accidere &c.*] Libenter transferrem particulam *ut*, atque ita legerem: *Potest enim accidere, ut promissum aliquod & conventum effici &c.* Ita puto scriptum a Cicerone fuisse. Quis enim ita loquatur: Accidit lex aliqua, ut eam servari sit inutile? *Face.*

67 *Ex tribus enim optatis*] Vide Meursii de Theseo librum, cap. 1. *Græ.*

miſeris [68], inutilia: nec, ſi plus tibi noceant, quam illi proſint, cui promiſeris. Contra officium eſt, majus non anteponi minori [68]: ut, ſi conſtitueris te cuipiam advocatum in rem præſentem eſſe venturum [69], atque interim graviter ægrotare filius cœperit, non ſit contra officium, non facere quod dixeris; magiſque ille, cui promiſſum ſit, ab officio diſcedat, ſi ſe deſtitutum queratur. Jam illis promiſſis ſtandum non eſſe, quis non videt, quæ coactus quis metu, quæ deceptus dolo promiſerit? Quæ quidem pleraque jure prætorio liberantur [70], nonnulla legibus [71].

Exſiſtunt etiam ſæpe injuriæ calumnia quadam [72], & nimis callida, ſed malitioſa juris interpretatione. Ex quo illud, *Summum jus, ſumma injuria*, factum eſt jam tritum ſermone proverbium. Quo in genere etiam in republica multa peccantur: ut ille, qui, cum triginta dierum eſſent cum hoſte pactæ indutiæ, noctu populabatur agros, quod dierum eſſent

68 *Quæ ſint iis quibus promiſeris, inutilia*] Hæc vero debent pendere non a judicio promiſſoris, ſed ejus cui promiſſum eſt. Vide Grot. lib. II. de Jure Belli & Pacis, cap. II. *Idem*.

68 *Cui promiſerit. Contra officium eſt, majus non anteponi minori*] Ita vulgo legimus, quamvis particula negativa *non* abſit ab omnibus MSſ. ſi excipias Pal. primum, & unum Grævianum. Sed Lambino aſſentior, qui olim monuit locum ſic mutata interpunctione legendum eſſe, *nec, ſi plus tibi noceant quam illi proſint cui promiſeris, contra officium eſt majus anteponi minori*. Constructio eſt, *nec contra officium eſt* &c. *Pearcius*.

69 *Si conſtitueris te cuipiam advocatum in rem præſentem venturum*] Proprie dicitur cum judex ſeu arbiter in locum, de quo controverſia eſt, venit. Cic. pro Cæcin. *Placuit Cæcinæ de amicorum ſententia conſtituere, quo die in rem præſentem venirent*. De re ipſa vide Senecam IV. de Beneſ. cap. 35. *Grævius*.

70 *Jure prætorio liberantur*] Per prætores in integrum reſtituuntur. Jus prætorium & leges opponuntur. Leges enim proprie Romanis dicebantur, quæ ſuffragiis populi ferebantur. Jus prætorium eſt quod dicitur l. 2. ff. de Orig. Jur. & l. 7. de Inſtit. & Jure *jus honorarium*, quia prætor, qui jus dicebat inter cives, *honorarius* dicebatur. Nihil autem erat jus prætorium, quam edicta prætorum. Quilibet prætor cum iniret magiſtratum, proponebat edictum, ex edictis deceſſorum ſuorum in id transferens, (hinc vocatur etiam *jus tranſlatitium*) quod juſtum & æquum putabat, nova etiam interponebat, veteribus repudiatis. Cæterum de promiſſis, quibus dolo deceptus ſe obſtrinxit, vide Grot. II. de Jure Belli & Pacis cap. II. §. 7. & cap. 17. §. 17. *Idem*.

71 *Nonnulla legibus*] Quærunt viri docti, quæ ſint illæ leges de dolo, cum quæ in codicibus legum Romanarum leguntur, diu ſint poſt Ciceronem latæ. Sed Cicero ipſe docet lib. III. quas hic leges ſignificet: *Ille*, inquit, *dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela XII. tabulis & circumſcriptio adoleſcentium lege Lætoria, & ſine lege judiciis, in quibus ex fide bona agitur*. Et lib. III. de Nat. Deor. *Inde judicium publicum rei privatæ lege Lætoria: inde everriculum malitiarum omnium judicium de dolo malo, quod C. Aquilius familiaris noſter protulit*. Idem.

72 *Calumnia quadam*] De calumnia, ſive malitioſa juris interpretatione, vide Hug. Grotium libro II. de Jure Belli & Pacis cap. 16. *Idem*.

sent pactæ, non noctium induciæ. Nec noster quidem probandus, si verum est, Q. Fabium Labeonem, seu quem alium (nihil enim præter auditum habeo) arbitrum Nolanis de finibus a senatu datum, cum ad locum venisset, cum utrisque separatim locutum, ut ne cupide quid agerent, [73] ne appetenter; atque ut regredi, quam progredi mallent. Id cum utrique fecissent, aliquantum agri in medio relictum est. Itaque illorum fines, sicut ipsi dixerant [74], terminavit: in medio relictum quod erat, populo Romano adjudicavit. Decipere hoc quidem est, non judicare. Quocirca in omni re fugienda est talis solertia.

XI. Sunt autem quædam officia etiam adversus eos servanda, a quibus injuriam acceperis. Est enim ulciscendi & puniendi modus. Atque haud scio, an satis sit eum, qui lacessierit, injuriæ suæ pœnitere: ut & ipse ne quid tale [75] posthac, & cæteri sint ad injuriam tardiores.

Atque in republica maxime conservanda sunt jura belli. Nam cum sint duo genera decertandi; unum per disceptationem, alterum per vim: cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum: confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore. Quare suscipienda quidem bella sunt ob eam causam, ut sine injuria in pace vivatur. Parta autem victoria, conservandi sunt ii, qui non crudeles in bello, [76] non immanes fuerunt: ut majores nostri Tusculanos, Æquos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam acceperunt: at Carthaginem & Numantiam funditus sustulerunt. Nollem Corinthum: sed credo aliquid secutos [77], opportunitatem loci maxime, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse ad-

73 *Ne appetenter*] Ita legendum, si Cicero qui toties de humanis cupiditatibus loquitur, adverbium hoc alias usurpasset. Sed non est, opinor, antiquius ætate Apuleji. Legere malim *nec appeterent*. Est enim *appeto* quasi immoderate peto. *Facc.*

74 *Sicut ipsi dixerant*] Quid & ubi dixerant? Illi sane non dixerant, ibi ponendos esse terminos, quo Labeo post posuit. Lege cum Pithœano, *sicut ipsi discesserant*. Nimirum quo utrique recesserunt. *Græ.*

75 *Posthac*] Al. addunt *committat*: quod non est necesse. Non putat Cicero, satis esse eum, qui læserit, pœnitere, ut & ipse posthac abstineat, & alii ab injuria deterreantur. Locum hunc Guntherus de Latin. Rest. c. 118. affirmantis esse scribit. *Facc.*

76 *Non immanes*] Al. omittunt has duas voces. *Facc.*

77 *Sed credo aliquid secutos*] Excusat M. Tullius majores, qui ut Corinthum exscinderent, non crudelitate sint adducti, sed aliam aliquam rationem secuti sint, & maxime opportunitatem loci. *Fabricius.*

adhortari . Mea quidem ſententia , paci , quæ nihil habitura ſit inſidiarum , ſemper eſt conſulendum . In quo ſi mihi eſſet obtemperatum ; ſi non optimam , at aliquam rempublicam , quæ nunc nulla eſt , haberemus . Et cum iis , quos vi deviceris , conſulendum eſt ; tum ii , qui , armis poſitis , ad imperatorum fidem confugient , quamvis murum aries percuſſerit [78] , recipiendi ſunt . In quo tantopere apud noſtros juſtitia culta eſt , ut ii , qui civitates , aut nationes devictas bello in fidem recepiſſent , earum patroni eſſent more majorum .

Ac belli quidem æquitas ſanctiſſime fetiali populi Romani jure perſcripta eſt . Ex quo intelligi poteſt , nullum bellum eſſe juſtum , niſi quod aut rebus repetitis geratur [79] , aut denuntiatum ante ſit & indictum . Pompilius imperator [80] tenebat provinciam : in cujus exercitu Catonis filius tiro militabat . Cum autem Pompilio videretur unam dimittere legionem , Catonis quoque filium , qui in eadem legione militabat , dimiſit . Sed cum amore pugnandi in exercitu remanſiſſet , Cato ad Pompilium ſcripſit , ut , ſi eum pateretur in exercitu remanere , ſecundo eum obligaret militiæ ſacramento : quia , priore amiſſo , jure cum hoſtibus pugnare non pote-

78 *Quamvis murum aries percuſſerit*] Dicit Cicero ex militari lege , qua , ubi mœnia quati ariete cœperunt , oppidani in deditionem fidemque non recipiebantur . Id & e Cicerone & e Commentariis Cæſaris cognoſcimus , in quorum libro II. Bell. Gall. ſic ſcribitur , *Cæſar Advaticis denuntiat ſe eorum civitatem conſervaturum , ſi priuſquam aries murum attigiſſet , ſe dedidiſſent* . Turnebus Adverſ. XXVI. 32. Vide Grot. III. de Jure Belli & Pacis , cap. II. §. 14.

79 *Rebus repetitis geratur*] Rerum repetitarum nomine jus feciale comprehendebat non tantum vindicationem ex jure dominii , ſed & perſecutionem ejus , quod ex cauſa civili aut criminis debetur , ut recte explicat Servius . Inde illud in formulis , *reddi* , *ſatisfieri* , *dedi* , ubi dedi intelligendum eſt , ni punire ſontem malint ipſi , qui conveniuntur . Hanc rerum repetitionem dictam eſſe clarigationem teſtis eſt Plinius . *H. Grotius* , de Jure Belli & Pacis , lib. III. c. 3.

80 *Pompilius imperator*] Langius edidit *Popilius* , & ſcribit , hunc eſſe M. Popilium Lænatem , qui coſ. anno urbis DXXV. Liguriam obtinuit , ac rem proſpere illic geſſit ; de quo Livius , lib. XLII. Balduinus quoque ex ſcripto codice legit , *Popilium* : ſed C. Popilium Lænatem intelligit , qui anno proximo poſt Marcum conſul fuit . Verum quia non ſolum in libris impreſſis , ſed & manuſcriptis permultis , *Pompilius* legitur , & Plutarchus in vita Catonis Cenſorii ſcribit , ejus filium cum Paulo Æmilio militaſſe , Paulo Manutio , pro , *Pompilius* , legendum videtur , Paulus Æmilius . Fabricius . *Pompilii* nomen , quod bis hic legitur , tanquam imperatoris , qui bello Perſico Macedoniam tenuerit , Langius & Schottus mutatum volunt in *Pauli Æmilii* : quamvis ego , ut vere dicam , iſtic potius *Hoſtilii* nomen repoſuerim , qui eo bello & in ea provincia imperator fuit , & in primis collapſam in exercitu diſciplinam reſtituit : quam ad rem pertinere queat , quod a Cicerone de Offic. l. II.) dicitur , unam dimiſiſſe legionem . Perizonius , *Animadv. Hiſtor.* cap. 10.

poterat.[81] Adeo summa erat observatio in bello movendo. M. quidem Catonis senis epistola est ad M. filium, in qua scripsit, „ se audisse, eum missum factum esse a consule, cum in Macedonia Persico bello[82] miles esset. Monet igitur ut caveat, ne prælium ineat. Negat enim jus esse, qui miles non sit, pugnare cum hoste[83].

XII. Equidem illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante. Hostis enim apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant duodecim tabulæ: AUT STATUS DIES CUM HOSTE[84]. Itemque, ADVERSUS HOSTEM ÆTERNA AUCTORITAS[85]. Quid ad hanc mansuetudinem addi potest? eum quicum bella geras, tam molli nomine appellari? Quanquam id nomen durius jam effecit vetustas: a peregrino enim recessit, & proprie in eo, qui arma contra ferret, remansit.

Cum vero de imperio decertatur, belloque quæritur gloria, causas omnino subesse tamen oportet easdem, quas dixi paulo ante justas causas esse bellorum. Sed ea bella, quibus imperii gloria proposita est, minus acerbe gerenda sunt. Ut enim cum civi aliter contendimus, si est inimicus; aliter, si competitor: cum altero certamen honoris & dignitatis est; cum altero capitis & famæ: sic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum, ut cum inimicis gerebatur, uter esset, non uter imperaret; cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho, de imperio dimicabatur. Pœni fœdifragi, crudelis Annibal, reli-

81 *Adeo summa erat observatio &c.*] Inepta exclamatio, ex margine traducta; ut alii quoque suspicati sunt. *Facc.*

82 *Persico bello*] *Perseo* Wolfius mavult, quod significetur bellum, non cum Persis, sed cum Perseo rege Macedonum gesto. Verum hoc etiam bellum Romani Persicum appellarunt, quod non solum hic omnes libri Ciceronis, sed & Fasti Capitolini convincunt: in quibus post consulatum C. Popilii Lænatis, & P. Ailii Liguris subscriptum invenitur, *Bellum Persicum*. Perizonius.

83 *Negat enim jus esse, qui miles non sit pugnare cum hoste*] Hoc Plutarchus pluribus explicat in Problematibus, ex quo intelligimus nefas fuisse hostem feriri ab alio, quam qui sacramento militari dixisset: qui secus fecisset, eum cædis reum visum fuisse. Vide Grot. lib. II. cap. 25. §. 9. 10. *Grævius*.

84 *Aut status dies cum hoste*] Festus: *Status dies vocatur, qui judicii causa est constitutus cum hoste, id est, peregrino*, &c. *Idem*.

85 *Adversus hostem æterna auctoritas*] Adversus peregrinum semper civi Romano salvum manet jus dominii; peregrinus nihil quod est civis Romani potest usucapere. Auctoritas hic est jus dominii, ut in lege XII. Tab. *Usus auctoritas fundi biennium esto*, &c. *Idem*.

qui justiores. Pyrrhi quidem de captivis reddendis, illa præclara :

Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis ;
Nec cauponantes bellum, sed belligerantes [86] ;
Ferro, non auro vitam cernamus [87] *utrique.*
Vosne velit [88], *an me regnare* [89] *hera, quidve ferat fors,*
Virtute experiamur. Et hoc simul accipe dictum :
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorumdem me libertati parcere certum est :
Dono ducite, doque volentibu' cum magnis diis.

XIII. Regalis sane & digna Æacidarum gente sententia. Atque etiam si quid singuli, temporibus adducti, hosti promiserint, est in eo ipso fides conservanda [90] : ut primo Punico bello Regulus captus a Pœnis, cum de captivis commutandis Romam missus esset, jurassetque se rediturum : primum, ut venit, captivos reddendos in senatu non censuit : deinde, cum retineretur a propinquis, & ab amicis, ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere [91].

Ac

86 *Nec cauponantes* &c.] Cum in vulgatis editionibus post præcedens verbum *dederitis* ponatur comma, & post *belligerantes* in hoc versu colon, vox *cauponantes* suam propriam vim habere non videtur : *cauponari* enim dicuntur ii, qui cum lucro vendunt, non qui pretium offerentes emunt : hoc vero posterius solum Romanis competit, de quibus Pyrrhus loquitur, & qui pretium isti regi pro reddendis captivis obtulerint. Hac ratione adductus Cl. Rich. Bentlejus sic legendum esse locum censuit,

Non mi aurum posco, nec mi pretium dederitis
Non cauponanti *bellum*, *sed* belligeranti.

Sed conjectura ista non opus erit, si sequamur interpunctionem Victorii & aliorum veterum editorum, qui habent,

Non mi aurum posco, nec mi pretium dederitis :
Nec cauponantes bellum, sed belligerantes
Ferro, *non auro, vitam cernamus utrique.*

Sic enim interpungendo vox *cauponantes* referri potest ad vocem *utrique*, quæ etiam Pyrrhum significat, a quo Romani, ut cum lucro captivos venderet, postulabant. *Pearc.*

87 *Vitam cernamus*] *Vitam cernere* locutione quadam prisca dictum crediderim, minimeque obvia. In Medea eodem genere orationis usus fuerat,

Nam tee sub armis malim vitam cernere,
Quam semel parere. Quod Euripides in Medea dixit, ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον, ἢ τεκεῖν ἅπαξ. Hic cernere vitam, est dimicare, pugnare. Id enim *cernere* Latinis est, quod Græcis [illegible]. Cernit autem vitam, qui eam constituit in dimicationem & discrimen adducere. *Turnebus*, Advers. XXVI. 32.

88 *Vosne velit*] Hoc est, Vosne velit regnare, an me, hera fors, sive domina fortuna, quidve ferat illa, quem successum sit habitura res. Cæterum versus Ennii in editione Gruteri sunt turbati pessime. *Grævius.*

89 *Hera fors*] fors domina rerum. *Hera* porro frequenter fortuna dicitur, quamvis & aliis Diis nomen hoc interdum tribuatur. *Facciolatus.*

90 *Si quid singuli, temporibus adducti, hosti promiserint, est in eo ipso fides conservanda*] Hæc in primis illustrat H. Grot. III. de Jure Belli & Pacis, cap. 23. *Grævius.*

91 *Fidem hosti datam fallere*] Post hæc verba Lambinus & Gruterus addunt : *Secundo*

autem

Ac de bellicis quidem officiis satis dictum est. Meminerimus autem, etiam adversus infimos justitiam esse servandam. Est autem infima conditio & fortuna servorum: quibus, non male præcipiunt, qui ita jubent uti, ut mercenariis: operam exigendam; justa præbenda.

Cum autem duobus modis, id est, aut vi, aut fraude fiat injuria: fraus, quasi vulpeculæ; vis, leonis videtur: utrumque homine alienissimum: sed fraus odio digna majore. Totius autem injustitiæ nulla capitalior est, quam eorum, qui cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur. De justitia satis dictum est.

XIV. Deinceps (ut erat propositum) de beneficentia ac liberalitate dicatur: qua quidem nihil est naturæ hominis accommodatius. Sed habet multas cautiones. Videndum est enim primum ne obsit benignitas, & iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, & cæteris: deinde, ne major benignitas sit, quam facultates; tum ut pro dignitate cuique tribuatur. Id enim est justitiæ fundamentum, ad quam hæc referenda sunt omnia. Nam & qui gratificantur [92] cuipiam, quod obsit illi, cui prodesse velle videantur, non benefici, neque liberales, sed perniciosi assentatores judicandi sunt: & qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt injustitia, ut si in suam rem aliena convertant.

Sunt autem multi, & quidem cupidi splendoris & gloriæ, qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur: hique arbitrantur se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos quacumque

que

autem Punico bello, post Cannensem pugnam, quos decem Hannibal Romam adstrictos misit jurejurando se redituros esse, nisi de redimendis iis, qui capti erant, impetrassent: eos omnes censores, quoad quisque eorum vixit, qui pejerassent, in ærariis reliquerunt: nec minus illum, qui jurisjurandi fraude culpam invenerat. Cum enim Hannibalis permissu exisset de castris, rediit paulo post, quod se oblitum nescio quid diceret. Deinde egressus e castris jurejurando se solutum putabat; & erat verbis, re non erat. Semper autem in fide, quid senseris, non quid dixeris, cogitandum. Maximum autem exemplum est justitiæ in hostem a majoribus nostris constitutum. Cum a Pyrrho perfuga senatui esset pollicitus, se venenum regi daturum, & eum necaturum: senatus, & C. Fabricius perfugam Pyrrho dedit. Ita ne hostis quidem, & potentis, & bellum ultro inferentis, interitum cum scelere approbavit. Quæ omittunt Victorius & Manutius: reperit in unico exemplari Langius. *An Ciceronis sint,* inquit, *non contendo: referuntur infra fere eadem.* lib. III. cap. 22. & 32.

92 *Cuipiam*] Legendum fortasse *quippiam*: vel *cui*, quod proxime sequitur, vertendum est in *cum*; & *obsit* in *obsint*. *Facc.*

que ratione. Id autem tantum abest ab officio, ut nihil magis officio possit esse contrarium. Videndum est igitur, ut ea liberalitate utamur, quæ prosit amicis, noceat nemini. Quare L. Syllæ, & C. Cæsaris pecuniarum translatio a justis dominis ad alienos non debet liberalis videri. Nihil est enim liberale, quod non idem justum.

Alter erat locus cautionis, ne benignitas major esset, quam facultates: quod, qui benigniores volunt esse quam res patitur, primum in eo peccant, quod injuriosi sunt in proximos. Quas enim copias his & suppeditari æquius est, & relinqui, eas transferunt ad alienos. Inest autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi & auferendi per injuriam, ut ad largiendum suppetant copiæ. Videre etiam licet plerosque non tam natura liberales, quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur, facere multa, quæ proficisci ab ostentatione magis, quam a voluntate videantur. Talis autem simulatio vanitati est conjunctior, quam aut liberalitati, aut honestati.

Tertium est propositum, ut in beneficentia delectus esset dignitatis: in quo & mores ejus erunt spectandi, in quem beneficium conferetur, & animus erga nos, & communitas ac societas vitæ, & ad nostras utilitates officia ante collata: quæ ut concurrant omnia, optabile est; sin minus, plures causæ majoresque ponderis plus habebunt.

XV. Quoniam autem vivitur non cum perfectis hominibus, pleneque sapientibus, sed cum iis, in quibus præclare agitur [93], si sunt simulacra virtutis: etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino esse negligendum, in quo aliqua significatio virtutis appareat: colendum autem esse ita quemque maxime, ut quisque maxime virtutibus his lenioribus erit ornatus, modestia, temperantia, hac ipsa, de qua jam multa dicta sunt, justitia. Nam fortis animus, magnus in homine non

93 *In quibus præclare agitur*] Ordo & sententia verborum perspicua est, nempe hæc: Vivitur cum iis hominibus, in quibus si insunt simulacra virtutis, præclare agitur. Cui simile est illud ad Plancium ep. 14. lib. IV. ad Fam. *Agiturque præclare, si nosmet ipsos regere possimus*. Quibus in locis, *Præclare agitur*, absolute dicitur: quod qui non attenderunt, ii contra libros antiquos legendum putant, *Cum quibus præclare agitur*: in qua sententia video esse Erasmum, Balduinum, Nannium, & alios. *Fabricius*.

non perfecto, [94] nec ſapiente, ferventior plerumqne: illæ virtutes virum bonum videntur potius attingere.

Atque hæc in moribus. De benevolentia autem, quam quiſque habeat erga nos, primum illud eſt in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligimur: ſed benevolentiam non adoleſcentulorum more, ardore quodam amoris, ſed ſtabilitate potius & conſtantia judicemus. Sin erunt merita, ut non ineunda, ſed referenda ſit gratia: major quædam cura adhibenda eſt. Nullum enim officium referenda gratia magis neceſſarium eſt.

Quod ſi ea, quæ utenda acceperis, majore menſura, ſi modo poſſis, jubet reddere Heſiodus: quidnam beneficio provocati facere debemus? annon imitari agros fertiles, qui multo plus afferuut, quam acceperunt? Etenim ſi in eos, quos ſperamus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre: quales in eos eſſe debemus, qui jam profuerunt? Nam cum duo genera liberalitatis ſint, unum dandi beneficii, alterum reddendi: demus, necne, in noſtra poteſtate eſt: non reddere, viro bono non licet, modo id facere poſſit ſine injuria.

Acceptorum autem beneficiorum ſunt delectus habendi. Nec dubium, quin maximo cuique plurimum debeatur. In quo tamen in primis, quo quiſque animo, ſtudio, benevolentia fecerit, ponderandum eſt. Multi enim faciunt multa temeritate quadam, ſine judicio, vel morbo, in omnes, vel repentino [95] quodam, quaſi vento, impetu animi incitati: quæ beneficia æque magna non ſunt habenda, atque ea, quæ judicio,

94 *Nec ſapiente*] Langio duo hæc verba temere adjuncta videntur. Facc.

95 *Vel morbo in omnes, vel repentino*] Ita Gruterus & Grævius, qui *morbum* interpretantur animi vitium. Ego Victorium reliquoſque veteres editores ſequor, quibus aſſentiuntur omnes fere Mſſ. Senſus eſt, Vel nullum habent delectum eorum quibus dant; dant igitur *ſine judicio*: vel, ſi delectum habeant, mediocritatem in dando non ſervant, dant igitur *ſine modo*. De hoc vero ſatis. In ſequentibus vulgo legimus *in omnes*, vel *repentino quodam, quaſi vento, impetu animi incitati*. Sed cum iſtud *vel* ante *repentino* ſenſum loci turbet, abſitque a Mſ. Cant. hac auctoritate ſic totum locum reformandum eſſe cenſeo, *Multi enim faciunt multa temeritate quadam, ſine judicio vel modo, in omnes repentino quodam (quaſi vento) impetu animi incitati*. Voces *in omnes* pendent a participio *incitati*, ut ſit *incitati in omnes* idem quod incitati erga omnes, ſeu propenſo in omnes animo. Cui ſimile eſt iſtud Trebonii in Ciceronis epiſt. ad Fam. XII. 16. *Ne putes in Aſia feriatum illum ab iis ſtudiis*, in quæ *tua cohortatione* incitatur, *futurum*. Pearcius.

cio, considerate, constanterque delata sunt. Sed in collocando beneficio, & in referenda gratia, si cætera paria sint, hoc maxime officii est, ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari. Quod contra fit a plerisque. A quo enim plurimum sperant, etiamsi ille his non eget, tamen ei potissimum inserviunt.

XVI. Optime autem societas hominum conjunctioque servabitur, si ut quisque erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Sed quæ natura principia sint communitatis & societatis humanæ, repetendum altius videtur [96]. Est enim primum, quod cernitur in universi generis humani societate. Ejus autem vinculum est, ratio & oratio: quæ docendo, discendo, communicando, disceptando, judicando, conciliat inter se homines, conjungitque naturali quadam societate. Neque ulla re longius absumus a natura ferarum: in quibus inesse fortitudinem sæpe dicimus, ut in equis, in leonibus: justitiam, æquitatem, bonitatem non dicimus. Sunt enim rationis & orationis expertes.

Ac latissime quidem patens hominibus inter ipsos, omnibus inter omnes, societas hæc est: in qua omnium rerum, quas ad communem hominum usum natura genuit, est servanda communitas: ut quæ descripta sunt legibus & jure civili, hæc ita teneantur, ut sit constitutum [97]: e quibus ipsis cætera sic observentur, ut in Græcorum proverbio est: *Amicorum esse omnia communia*. Omnia autem communia hominum videntur ea, quæ sunt generis ejus, quod ab Ennio positum in una re, transferri in multas potest.

Homo qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit:
Nihilominus ipsi lucet, cum illi accenderit.

Una ex re satis præcipitur, ut, quidquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex quo sunt illa communia, Non prohibere aqua profluente; Pati ab igne ignem capere, si quis velit; Consilium fidele deliberanti dare: quæ

96 *Est enim primum*] Quid hoc latini sermonis est? legendum: *Est autem primum, quod cernitur, in universi generis humani societate vinculum, ratio, & oratio*. Facc.

97 *E quibus ipsis*] Hæc verba tollenda arbitror. Facc.

quæ ſunt iis utilia, qui accipiunt; danti non moleſta. Quare & his utendum eſt, & ſemper aliquid ad communem utilitatem afferendum. Sed quoniam copiæ parvæ ſingulorum ſunt: eorum autem, qui his egeant, infinita eſt multitudo: vulgaris liberalitas referenda eſt ad illum Ennii finem, *Nihilominus ipſi lucet*: ut facultas ſit, qua in noſtros ſimus liberales.

XVII. Gradus autem plures ſunt ſocietatis hominum. Ut enim ab infinita illa diſcedatur, propior eſt ejuſdem gentis, nationis, linguæ, qua maxime homines conjunguntur. Interius etiam eſt, ejuſdem eſſe civitatis. Multa enim ſunt civibus inter ſe communia, forum, fana, porticus, viæ, leges, jura, judicia, ſuffragia, conſuetudines præterea & familiaritates, multiſque cum multis res rationeſque contractæ. Arctior vero colligatio eſt ſocietatis propinquorum. Ab illa enim immenſa ſocietate humani generis in exiguum anguſtumque concluditur.

Nam cum ſit hoc natura commune animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima ſocietas in ipſo conjugio eſt: proxima in liberis: [98] deinde una domus, communia omnia. Id autem eſt principium urbis, & quaſi ſeminarium reipublicæ. Sequuntur fratrum conjunctiones: poſt conſobrinorum, ſobrinorumque, qui, cum una domo jam capi non poſſint, in alias domos, tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia & affinitates: ex quibus etiam plures propinqui. Quæ propagatio & ſoboles origo eſt rerum publicarum. Sanguinis autem conjunctio, benevolentia devincit homines & caritate. Magnum eſt enim, eadem habere monumenta majorum, iiſdem uti ſacris, ſepulcra habere communia.

Sed omnium ſocietatum nulla præſtantior eſt, nulla firmior, quam cum viri boni, moribus ſimiles, ſunt familiaritate conjuncti. Illud enim honeſtum (quod ſæpe dicimus) etiam ſi in alio cernimus, tamen nos movet, atque illi, in quo id ineſſe videtur, amicos facit. Et quamquam omnis virtus nos ad ſe allicit, facitque ut eos diligamus, in quibus ipſa ineſſe videa-

98 *Deinde una domus*] Quæ conſtructio eſt hæc? pro *deinde* lege *unde*. Facc.

videatur: tamen justitia & liberalitas id maxime efficit. Nihil autem est amabilius, nec copulatius, quam morum similitudo bonorum. In quibus enim eadem studia sunt, eædemque voluntates, in his fit, ut æque quisque altero delectetur, ac se ipso: efficiturque id, * quod Pythagoras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus. Magna etiam illa communitas est, quæ conficitur ex beneficiis ultro citro datis acceptis: quæ mutua, & grata dum sunt, inter quos ea sunt, firma illi devinciuntur societate.

Sed cum omnia ratione animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quam ea, quæ cum republica est unicuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Quo est detestabilior istorum immanitas, qui lacerarunt omni scelere patriam; & in ea fundıtus delenda occupati & sunt, & fuerunt.

Sed si contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit officii, principes sint patria & parentes, quorum beneficiis maxime obligati sumus: proximi, liberi, totaque domus, quæ spectat in nos solos, neque aliud ullum potest habere perfugium: deinceps bene convenientes propinqui, quibuscum etiam communis plerumque fortuna est. Quamobrem necessaria præsidia vitæ debentur iis maxime, quos ante dixi: vita autem, victusque communis, consilia, sermones, cohortationes, consolationes, interdum etiam objurgationes in amicitiis vigent maxime: [99] estque ea jucundissima amicitia, quam similitudo morum conjugavit.

XVIII. Sed in his omnibus officiis tribuendis videndum erit, quid cuique maxime necesse sit, & quid quisque vel sine nobis [1] aut possit consequi, aut non possit. Ita non iidem erunt neces-

* Lamb. *quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit, ut*

99 *Estque ea jucundissima*] Facile apparet, membrum hoc additum fuisse ex monito margini adscripto: nam & supervacuum est, cum idem bis dixerit; nec facit ad locum hunc, ubi agitur, non de jucunditate amicitiæ, sed de Officiis amico tribuendis. *Facc.*

1 *Quid quisque* vel *sine nobis* &c.] Otiosa hic, ne dicam inepta & molesta, videtur ista conjunctio *vel*, quæ bene abest a Mſ. primo Grævii. In quibusdam Mſſ. legitur, *quid*

necessitudinum gradus, qui temporum. Sunt quædam officia, quæ aliis magis, quam aliis debeantur: ut vicinum citius adjuveris in fructibus percipiendis, quam aut fratrem, aut familiarem. At, si lis in judicio sit, propinquum potius & amicum, quam vicinum defenderis. Hæc igitur, & talia, circumspicienda sunt in omni officio: [2] & consuetudo exercitatioque capienda, ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus, & addendo deducendoque videre, quæ reliqui summa fiat: ex quo, quantum cuique debeatur, intelligas.

Sed ut nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum sine usu & exercitatione consequi possunt: sic officii conservandi præcepta traduntur illa quidem, ut facimus ipsi: sed rei magnitudo usum quoque exercitationemque desiderat. Atque ab iis rebus, quæ sunt in jure societatis humanæ, quemadmodum ducatur honestum, ex quo aptum est officium [3], satis fere diximus.

Intelligendum est autem, cum proposita sint genera quatuor, e quibus honestas officiumque manaret, splendidissimum videri, quod animo magno, elatoque, humanasque res despiciente factum sit. Itaque in probris maxime in promptu est, si quid tale dici potest:

Vos etenim juvenes, animum geritis muliebrem [4]*;*
Illa virago viri.

& si quid ejusmodi:

Salmaci [5]*, da spolia, sine sudore & sanguine.*

Con-

quid quisque nobiscum *vel sine nobis* &c. Unde conjicio, in aliis MSS. exstitisse quondam solum *quid quisque nobiscum*, in aliis rectius *quid quisque sine nobis*: istud vero *vel* puto positum fuisse olim inter lineas, ut ostenderet duplicem fuisse hujus loci lectionem, *nobiscum*, vel *sine nobis*. Pearc.

2 *Et consuetudo exercitatioque capienda*] Verba hæc, nisi fallor, adscripta margini fuerant, ad innuendum quod est in periodo proxima, ut fieri videmus in multis codicibus. *Facc.*

3 *Ex quo aptum est officium*] *Aptum* a verbo *apiscor*; quo Lucretius, Manilius, & ICti usi sunt. Ex quo *adipiscor* est compositum *indipiscor*. Pacuvius Hermiona: *Quod ego in acie celebri objectans vitam bellando aptus sum*. Cicero *aptus* capit pro eo quod vulgo dicimus, adaptatus, compositus, exornatus: ut de Finibus II. *Aptum ex tribus illis*, & alibi persæpe. *Car. Langius.*

4 *Vos etenim juvenes*] Versus est Ennianus, in quo juvenes Romanos accusat poeta, quod a Clœlia virgine superarentur, quæ cum Porsennæ data esset obses, trajecto Tiberi, Romam est reversa. *Anonymus.*

5 *Salmaci*] Salmacis, inquit Sextus Pompejus, nympha, Cæli & Terræ filia, fertur

causa

Contraque in laudibus, quæ magno animo, & fortiter excellenterque gesta sunt, ea nescio quomodo quasi pleniore ore laudamus [6]. Hinc rhetorum campus de Marathone, Salamine, Platæis, Thermopylis, Leuctris. Hinc noster Cocles, hinc Decii, hinc Cn. & P. Scipiones, hinc M. Marcellus, innumerabilesque alii: maximeque ipse populus Romanus animi magnitudine excellit. Declaratur autem studium bellicæ gloriæ, quod statuas quoque videmus ornatu fere militari.

XIX. Sed ea animi elatio, quæ cernitur in periculis & laboribus, si justitia vacat, pugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est. Non enim modo id virtutis non est, sed potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis. Itaque probe definitur a Stoicis fortitudo, cum eam, virtutem esse dicunt propugnantem pro æquitate. Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam consecutus est insidiis & malitia, laudem est adeptus: nihil enim honestum esse potest, quod justitia vacat. Præclarum igitur Platonis illud: Non solum, inquit, scientia, quæ est remota a justitia, calliditas potius, quam sapientia, est appellanda: verum etiam animus paratus ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate communi, impellitur, audaciæ potius nomen habeat, quam fortitudinis. Itaque viros fortes & magnanimos, eosdem bonos

causa fontis Halicarnassi aquæ appellandæ fuisse Salmacidis: quam qui bibisset, vitio impudicitiæ mollesceret, ob eam rem, quod ejus aditus angustatus parietibus, occasionem largitur juvenibus petulantibus, puerorum puellarumque violandarum, quia non patet effugium. Inde Ennius, *Salmaci, da spolia* &c. Hæc Pompejus. Sic itaque Ennius fontem alloquens, juvenes arguit ignaviæ, qui veluti spoliis hosti detractis, erepta alicui virgini gaudent pudicitia. Erit igitur *Salmaci* vocandi casus, O Salmaci, tu das spolia sine sudore &c. *Maturantius*.

6 *Nescio quomodo quasi pleniore ore laudamus*] Magnum enim videtur in publico civitatis metu ac trepidatione, irruenti sese hostium agmini opponere, non tubarum sonum, non lituorum clangorem, non equorum hinnitum, non armorum fulgorem, non avida sanguinis tela, non crebris cinctos cædibus gladios extimescere, ire immo obviam omnibus, & periculum ab aliis præsenti vitæ suæ periculo depellere, pro aris & focis, pro templis & mœnibus, pro salute ac libertate communi, ictus, vulnera, mortem denique, si res ferat, non excipere tantum, verum etiam ultro appetere. Hæc qui præstiterunt in omni ætate, apud omnes populos clari, illustres, honorati fuerunt. Illis ovationes, supplicationes, triumphi, illis statuæ, arcus, tropæa, illis monumenta publica, illis denique omnia singularia, & divinis honoribus proxima ornamenta decreta sunt, qualia aut nunquam, aut perraro temperantiæ, liberalitati, justitiæ tributa legimus. *Muretus*.

bonos & ſimplices : veritatis amicos minimeque fallaces eſſe volumus : quæ ſunt [7] ex media laude juſtitiæ.

Sed illud odioſum eſt, quod in hac elatione & magnitudine animi, facillime pertinacia & nimia cupiditas principatus innaſcitur. Ut enim apud Platonem eſt, omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum eſſe cupiditate vincendi [8] : ſic, ut quiſque animi magnitudine maxime excellit, ita maxime vult princeps omnium, vel potius ſolus eſſe. Difficile autem eſt, cum præſtare omnibus concupieris, ſervare æquitatem, quæ eſt juſtitiæ maxime propria. Ex quo fit, ut neque diſceptatione vinci ſe, nec ullo publico ac legitimo jure patiantur : exſiſtuntque in republica plerumque largitores, & factioſi, ut opes quam maximas conſequantur, & ſint vi potius ſuperiores, quam juſtitia pares. Sed quo difficilius, hoc præclarius. Nullum enim tempus eſt, quod juſtitia vacare debeat.

Fortes igitur & magnanimi ſunt habendi, non qui faciunt, ſed qui propulſant injuriam. Vera autem & ſapiens animi magnitudo honeſtum illud, quod maxime natura ſequitur, in factis poſitum, non in gloria judicat : principemque ſe eſſe mavult, quam videri. Etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non eſt habendus. Facillime autem ad res injuſtas impellitur, ut quiſque eſt altiſſimo animo, & gloriæ cupido [9]. Qui locus eſt ſane lubricus, quod

vix

7 *Ex media laude juſtitiæ*] Ideſt ex ipſo Juſtitiæ fundo : qua ratione alibi, *ex medio jure civili*, *ex media philoſophia*, *ex mediis C. Cæſaris partibus*. Heuſinger vocem *media* ſumit pro vulgari. *Facc.*

8 *Omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum eſſe cupiditate vincendi*] Vetus codex habet, *omnem vim Lacedæmoniorum inflammatam*, ſed repugnant Platonis verba ex Lachete, ſive περὶ ἀνδρείας, unde Tulliana translata ſunt : Λακεδαιμονίοις, οἷς οὐδὲν ἄλλο μέλει ἐν τῷ βίῳ, ἢ τοῦτο ζητεῖν καὶ ἐπιτηδεύειν, ὅ, τι ἂν μαθόντες καὶ ἐπιτηδεύσαντες, πλεονεκτοῖεν τῶν ἄλλων περὶ τὸν πόλεμον. *Urſin.*

9 *Et gloriæ cupido*] Ita Victorius, & Manutius : ſed *cupidiſſimo* Lambinus, & *cupiditate* Gruterus, quem Grævius ſequitur. Jam vero criticum audiamus unum & alterum. *Viderunt jam plures*, cupiditate *hoc loco vitioſe ſcriptum eſſe. Neque vero cum iis ſentire poſſum, qui legunt* cupido, *vel* cupidiſſimo. *Hoc enim longius a vulgata ſcriptura recedit. Lego, quod proxime ad eam accedit*, cupidiore, *id quod facile corruptum fuit in* cupiditate. *Idcirco autem illud amplector libentius, quod ipſa dicti ſententia confirmatur.* Chriſtoph. Auguſt. *Heumannus*, in Parergis Criticis. *Scripſerat, opinor, Cicero :* Facillime autem ad res injuſtas impellitur, ut quiſque altiſſimo animo eſt, gloriæ cupiditate. *Constructio eſt :* Ut quiſque eſt altiſſimo animo, facillime impellitur ad res injuſtas cupiditate gloriæ. *Huic meæ conjecturæ* anſam dedit Mſ. Mead. *qui omittit verbum* eſt *ante vocem* altiſſimo. *Pearcius.*

vix invenitur, qui laboribus susceptis, periculisque aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam.

XX. Omnino fortis animus, & magnus, duabus rebus maxime cernitur: quarum una in rerum externarum despicientia ponitur, cum persuasum sit, nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, admirari, aut optare, aut expetere oportere: nullique neque homini, neque perturbationi animi, nec fortunæ succumbere. Altera est res, ut, cum ita sis affectus animo, ut supra dixi, res geras magnas illas quidem, & maxime utiles, sed & vehementer arduas plenasque laborum & periculorum, tum vitæ, tum multarum rerum, quæ ad vitam pertinent.

Harum rerum duarum splendor omnis & amplitudo, addo etiam utilitatem, in posteriore est: causa autem & ratio efficiens magnos viros, est in priore. In eo enim est illud, quod excellentes animos, & humana contemnentes facit. Id autem ipsum cernitur in duobus, si & solum id, quod honestum sit, bonum judices, & ab omni animi perturbatione liber sis. Nam & ea, quæ eximia plerisque & præclara videntur, parva ducere, eaque ratione stabili firmaque contemnere, fortis animi magnique ducendum est: & ea, quæ videntur acerba, quæ multa & varia in hominum vita fortunaque versantur, ita ferre, ut nihil a statu naturæ discedas, nihil a dignitate sapientis, robusti animi est, magnæque constantiæ.

Non est autem consentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate: nec, qui invictum se a labore præstiterit, vinci a voluptate. Quamobrem & hæc * videnda; & pecuniæ fugienda cupiditas: nihil enim est tam angusti animi tamque parvi, quam amare divitias: nihil honestius magnificentiusque, quam pecuniam contemnere, si non habeas: si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre. Cavenda est etiam gloriæ cupiditas, ut supra dixi. Eripit enim libertatem [10], pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio.

* Man. Lamb. *vitanda sunt;*

10 *Eripit enim libertatem*] Si, qui uni domino paret, servus est: quid eum putamus, qui multitudini servire cogitur? qui dignos, indignos, nobiles, abjectos, notos, ignotos salutare, appellare, prensare, eorum omnium

tio. Nec vero imperia expetenda, ac potius, aut non accipienda [11] interdum, aut deponenda nonnunquam.

Vacandum autem est omni animi perturbatione, tum cupiditate & metu, tum etiam ægritudine, & voluptate animi, & iracundia; ut tranquillitas & securitas adsit, quæ * affert cum constantiam, tum etiam dignitatem. Multi autem & sunt, & fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes, a negotiis publicis se removerint [12] ad otiumque perfugerint. In his & nobilissimi philosophi [13], longeque principes, & quidam homines severi & graves, nec populi, nec principum mores ferre potuerunt: vixeruntque nonnulli in agris, delectati re sua familiari. His idem propositum fuit, quod regibus, ut ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur: cujus proprium est, sic vivere, ut velis.

XXI. Quare cum hoc commune sit potentiæ cupidorum cum iis, quos dixi, otiosis: alteri se adipisci id posse arbitrantur, si opes magnas habeant: alteri, si contenti sint & suo, & parvo. In quo neutrorum omnino contemnenda est sententia: sed & facilior, & tutior, & minus aliis gravis aut molesta vita est otiosorum, fructuosior autem hominum generi, & ad claritatem amplitudinemque aptior eorum, qui se ad rempublicam & ad res magnas gerendas accommodaverunt. Quapropter & iis forsitan [14] concedendum sit, rempublicam non capessen-

omnium vultus, nutus, gestus observare necesse habet, eisque sæpenumero servilem in modum blandiri, atque adulari, quos, si eo morbo careret, ne congressu quidem satis dignos suo duceret? *Muretus*.

11 *Aut non accipienda*] Ut Timoleon regnum Corinthi. C. *Nepos*, *vit. Timol.* Q. Fabius & T. Manlius Torquatus consulatum. *Liv.* X. 11. & XXVI. 22. Scipio Africanus regnum Hispaniæ. *Liv.* XXVII. 21. *J. Fr. Gronovius*.

* Man. Lamb. *offerat*.

12 *Tranquillitatem expetentes a negotiis publicis se removerint*] Sollicito enim atque anxio animo vivere necesse est, qui, cum multitudinis ingenia tam varia, tamque multiplicia sint, satagit tamen & laborat, ut apud omnes gratiosus sit, ut se omnibus probet ac venditet, & in levissimam etiam levissimorum hominum offensionem incurrere mortis instar putat: Hunc sordibus, illum cultu ne offendat veretur: huic ne nimis severus, illi ne nimium dissolutus videatur timet: hunc muneribus, illum fictis laudibus inescare studet: omnium stultitiam ferre, omnium ineptias devorare cogitur: nunquam apertus, nunquam simplex, nunquam suavis: ut aliquando omnibus imperare possit, omnibus interea servit. Quæ vero stultitia est incertam potentiam certa servitute mercari? *Muretus*.

13 *In his & nobilissimi philosophi*] Ut Socrates, Plato, Aristoteles, Epicurus cum suis sectatoribus, qui negabant sapientem ad remp. accedere. Vide Gassendum ad Diog. Laert. de philosophia morali Epicuri. *Grævius*.

14 *Concedendum sit*] idest, assentiendum. Quid si legas, *parcendum sit*? Proxime enim sequitur *concederent*: nec solet Cicero verborum inopia laborare. *Facc.*

pessentibus, qui excellenti ingenio, doctrinæ sese dediderunt: & iis, qui aut valetudinis imbecillitate, aut aliqua graviore causa impediti, a republica recesserunt, cum ejus administrandæ potestatem aliis, laudemque concederent. Quibus autem talis nulla sit causa, si despicere se dicant ea, quæ plerique admirantur, imperia & magistratus, iis non modo non laudi, verum etiam vitio dandum puto. Quorum judicium in eo, quod gloriam contemnant & pro nihilo putent, difficile factu est non probare: sed videntur labores & molestias tum offensionum, tum repulsarum, quasi quandam ignominiam timere, & infamiam. Sunt enim, qui in rebus contrariis parum sibi constent: voluptatem severissime contemnant, in dolore sint molliores: gloriam negligant, frangantur infamia: atque ea quidem non satis constanter.

Sed iis, qui habent a natura adjumenta rerum gerendarum, abjecta omni cunctatione, adipiscendi magistratus, & gerenda respublica est. Nec enim aliter aut regi civitas, aut declarari animi magnitudo potest. Capessentibus autem rempublicam nihilo minus, quam philosophis, haud scio an magis etiam, & magnificentia, & despicientia adhibenda sit rerum humanarum, &, quam sæpe dico, tranquillitas animi, atque securitas: si quidem nec anxii futuri sunt, & cum gravitate constantiaque victuri. Quæ eo faciliora sunt philosophis, quo minus multa patent in eorum vita, quæ fortuna feriat, & quo minus multis rebus egent: & quia, si quid adversi eveniat, tam graviter cadere non possunt. Quocirca non sine causa majores motus animorum concitantur, majoraque efficienda rempublicam gerentibus, quam quietis; quo magis his & magnitudo animi est adhibenda, & vacuitas ab angoribus.

Ad rem gerendam autem qui accedit, caveat, ne id modo consideret, quam illa res honesta sit: sed etiam, ut habeat efficiendi facultatem. In quo ipso considerandum est, ne aut temere desperet, propter ignaviam: aut nimis confidat, propter cupiditatem. In omnibus autem negotiis, prius, quam aggrediare, adhibenda est præparatio diligens.

XXII. Sed cum plerique arbitrentur res bellicas majores esse,

se, quam urbanas, minuenda est hæc opinio. Multi enim bella sæpe quæsierunt propter gloriæ cupiditatem: atque id in magnis animis ingeniisque plerumque contingit: eoque magis, si sunt ad rem militarem apti, & cupidi bellorum gerendorum. Vere autem si volumus judicare, multæ res exstiterunt urbanæ majores clarioresque, quam bellicæ. Quamvis enim Themistocles jure laudetur, & sit ejus nomen, quam Solonis, illustrius, citeturque Salamis, clarissimæ testis victoriæ, quæ anteponatur consilio Solonis, ei, quo primum constituit Areopagitas [15]: non minus præclarum hoc, quam illud, judicandum est. Illud enim semel profuit, hoc semper proderit civitati: hoc consilio leges Atheniensium, hoc majorum instituta servantur. Et Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipse Areopagum adjuverit: at ille vere, a se adjutum Themistoclem. Est enim bellum gestum consilio senatus ejus, qui a Solone erat constitutus.

Licet eadem de Pausania, Lysandroque dicere: quorum rebus gestis quanquam imperium Lacedæmoniis dilatatum [16] putatur; tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus & disciplinæ conferendi sunt. Quin etiam ob has ipsas causas & parentiores habuerunt exercitus, & fortiores. Mihi quidem neque pueris nobis, M. Scaurus C. Mario, neque, cum versaremur in republica, Q. Catulus Cn. Pompejo cedere videbatur.

15 *Quo primum constituit Areopagitas*] Petrus Victorius in Variis lectionibus lib. VI. cap. 5. hæc verba sic accepit, quasi Cicero velit, Solonem Areopagi consilium primum instituisse. Quod si esset, non solum ab Aristotele, verum etiam ab Eusebio, Apollodoro, Pausania, & Demosthene ipso dissentiret. Verum non est ita. Sed cum Eusebius scribat, Cecropem primum, qui urbem Athenarum condidit, Areopagum instituisse, atque ab urbe condita usque ad annum tertium Olympiadis XLVI. quo Solo archon & legislator creatus novis legibus rempublicam Atheniensium temperavit, anni fere CCCLV. numerentur: dubium non est, quin tam longo tempore hoc consilium labefactatum, & Areopagitarum auctoritas imminuta fuerit, quam Solo restituit, & consilium ipsum constituit. Sic in Bruto, *leges & judicia constituta dicit*, non quæ tum primum instituta fuerunt, sed quæ bello civili ac tumultu labefactata & intermissa, eo tempore repetita & revocata κατάστασιν ἦλθον. *Fabricius*.

16 *Imperium* Lacedæmoniis *dilatatum*] Ita vulgo legitur. cum tamen hæc lectio doctis non parum displicuerit. Pro *dilatatum* Lambinus legebat *partum*, Gronov. pater *datum*, Gronov. filius *delatum*, id est, comparatum. Ego vero Victorium sequendum esse puto, qui edidit *imperium* Lacedæmonis *dilatatum*. Vox *dilatatum* locum, non tempus, hic respicere videtur: & sensus est: Eorum rebus gestis imperium Lacedæmonis sive Spartæ creditur fuisse ita auctum & amplificatum, ut non suis solum civibus, sed etiam aliis quibusdam Græciæ civitatibus ipsa imperaret. *Pearcius*.

batur. Parvi enim sunt foris arma, nisi est consilium domi. Nec plus Africanus, singularis & vir, & imperator, in exscindenda Numantia reipublicæ profuit, quam eodem tempore P. Nasica privatus, cum Tib. Gracchum interemit: quanquam hæc quidem res non solum ex domestica est ratione: attingit etiam bellicam, quoniam vi, manuque confecta est: sed tamen id ipsum gestum est consilio urbano, sine exercitu.

Illud autem optimum est, in quod invadi solere ab invidis & improbis audio:

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ [17].

Ut enim alios omittam, nobis rempublicam gubernantibus nonne togæ arma cessere? neque enim in republica periculum fuit gravius unquam, nec majus otium [18]. Ita consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt. Quæ res igitur gesta unquam in bello tanta? qui triumphus conferendus? Licet enim mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem & hereditas hujus gloriæ, & factorum imitatio pertinet. Mihi quidem certe vir abundans bellicis laudibus Cn. Pompejus, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, frustra se triumphum tertium deportaturum fuisse, nisi meo in rempublicam beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus. Sunt ergo domesticæ fortitudines non inferio-

res

17 *Concedat laurea linguæ*] Linguam dixit pro eloquentia. Ita enim legerunt Sallustius, sive Porcius Latro, vel quisquis auctor invectivæ in Ciceronem, Quinctilian. lib. II. 1. & Plutarchus in Cicerone. Non tamen repugnem si quis *laudi* potius cum F. Ursino, & Fr. Polleto legere malit, quam *linguæ* cum Victorio & Lambino: tum quia elegantior est *ἀντίθεσις*, ut forensia conferantur cum castrensibus, & amborum præmia inter sese: (nam armorum præmium laurea est, togæ sive forensium actionum laus & gloria) tum quia optimi & laudatissimi codices *laudi* habent: tum quia Cicero studuisse videtur syllabarum antanaclasi, unde illud ejusdem:

O fortunatam natam me consule Romam!
Tum quia Tullius ipse comprobare videtur, cum in orat. in Pisonem ubi hujus versus hemistichium primum est interpretatus, subjicit: *Nam cum tu timidus ac tremens tuis ipse furacissimis manibus detractam e cruentis fascibus lauream ad portam Esquilinam abjecisti, indicasti, non modo amplissimæ, sed etiam minimæ laudi lauream concessisse*. G. I. Vossius.

18 *Nec majus otium*] *Majus otium*, it omnibus antiquis libris reperio, & notavit etiam Pet. Victorius, Var. Lect. VII. 13. Periculosissimæ enim conspirationes, dum in utramque auram dormitatur; maxime vero, id quod hic evenit, populo velut respirante a longis bellis civilibus, armisque quodam modo projectis: id quod in Ilii excidio Homerus expressit. Otium enim non tam cessationem significat, quam securitatem quandam. Terent. in And. & alibi sæpe. *Langius*.

res militaribus : in quibus plus etiam, quam in his, operæ studiique ponendum est.

XXIII. Omnino illud honestum, quod ex animo excelso magnificoque quærimus, animi efficitur, non corporis viribus. Exercendum tamen corpus, & ita afficiendum est, ut obedire consilio rationique possit in exsequendis negotiis, & in labore tolerando. [19] Honestum autem id, quod exquirimus, totum est positum in animi cura & cogitatione: in quo non minorem utilitatem afferunt, qui togati reipublicæ præsunt, quam qui bellum gerunt. Itaque eorum consilio sæpe aut non suscepta, aut confecta bella sunt, nonnunquam etiam illata: ut M. Catonis [20] bellum tertium Punicum, in quo etiam mortui valuit auctoritas.

Quare expetenda quidem magis est decernendi ratio, quam decertandi fortitudo: sed cavendum, ne id bellandi magis fuga, quam utilitatis ratione faciamus. Bellum autem ita suscipiatur, ut nihil aliud, nisi pax quæsita videatur. Fortis vero animi & constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur; sed præsenti animo uti & consilio, nec a ratione discedere: quanquam hoc animi, illud etiam ingenii magni est, præcipere cogitatione futura, & aliquanto ante constituere, quid accidere possit in utramque partem: &, quod agendum sit, cum quid evenerit; nec committere, ut aliquando dicendum sit, *Non putaram*. Hæc sunt opera magni animi, & excelsi, & prudentia consilioque fidentis. Temere autem in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam & belluarum simile est. Sed cum tempus necessitasque postulat, decertandum manu est, & mors servituti turpitudinique anteponenda.

XXIV. De evertendis autem diripiendisque urbibus valde considerandum est, ne quid temere, ne quid crudeliter. Idque est

 viri

19 *Honestum autem*] totum hoc membrum alia expressum forma monitum erat margini appositum. *Facc.*

20 *Bellum tertium Punicum*] de quo Florus lib. 2. cap. 15. Susceptum dicitur auctoritate Catonis, quia cum viveret, delendam esse Carthaginem, etiam cum de alio consuleretur, pronunciabat. Porro post vocem *Catonis* quidam codices addunt *consilio*. Mortuus est Cato ante triennium, quam Carthago deleretur, L. Censorino, & M. Manlio Coss., ut est apud Paterculum l. 1. c. 13. *Facc.*

viri magni, rebus agitatis [21], punire sontes: multitudinem conservare: in omni fortuna, recta atque honesta retinere. Ut enim sunt, quemadmodum supra dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponant: sic reperies multos, quibus periculosa & calida consilia, quietis & cogitatis & splendidiora, & majora videantur.

Nunquam omnino periculi fuga committendum est, ut imbelles timidique videamur. Sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine causa: quo nihil potest esse stultius. Quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leviter ægrotantes leniter curant: gravioribus autem morbis periculosas curationes & ancipites adhibere coguntur. Quare in tranquillo tempestatem adversam optare, dementis est: subvenire autem tempestati quavis ratione, sapientis: eoque magis, si plus adipiscare re explicata boni, quam addubitata [22] mali. Periculosæ autem rerum actiones partim iis sunt, qui eas suscipiunt, partim reipublicæ. Itemque alii de vita, alii de gloria, & benevolentia civium in discrimen vocantur. Promptiores igitur debemus esse ad nostra pericula, quam ad communia, dimicareque paratius de honore & gloria, quam de cæteris commodis.

Inventi autem multi sunt, qui non modo pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent: iidem gloriæ jacturam ne minimam quidem facere vellent, ne republica quidem postulante: ut Callicratidas, qui cum Lacedæmoniorum dux fuisset Peloponnesiaco bello, multaque fecisset egregie, vertit ad extremum omnia, cum consilio non paruit eorum, qui

21 *Rebus agitatis*] Vult Cicero, virum magnum non temere ad puniendum ruere, sed expensa demum & animo diligenter voluta causa. Nam hoc est agitare: a quo cogitare, quasi coagitare, ut a coago, cogo. Sallust. in Jugur. *Quæ cum præcepta parentis mei agitarem*. Et paulo post: *Nam callidus id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere, ne mox agitando, aliud quam bellum mallet*. Sic Cic. cap. 2. de Finibus, & alibi. *Longius*.

22 *Addubitata*] *Addubitata*, est propter spem incerti exitus omissa. Quod hic Cicero docet, præstitit Alexander Magnus, cujus valetudo cum esset conclamata, & solus medicus Philippus, quem cavendum tanquam suspectæ fidei, & corruptum a Dario, monuerat eodem tempore Parmenio, remedium ei offerret, *tutius est ratus dubiæ se fidei medico credere, quam indubitato morbo perire*: auctore Justino xt. 9. De re ipsa pulcre multa præcipit Grotius II. de Jure Belli, & Pacis cap. 24. §. 5. *Grævius*.

qui classem ab Arginussis [23] removendam, nec cum Atheniensibus dimicandum putabant. Quibus ille respondit, Lacedæmonios, classe illa amissa, aliam parare posse: se fugere sine suo dedecore non posse. Atque hæc quidem Lacedæmoniis plaga mediocris fuit: illa pestifera, qua, cum Cleombrotus, invidiam timens, temere cum Epaminonda conflixisset, Lacedæmoniorum opes corruerunt. Quanto Q. Maximus melius? de quo Ennius:

Unus homo nobis cunctando restituit rem;
Non ponebat enim rumores ante salutem:
Ergo postque, magisque viri nunc gloria claret.

Quod genus peccandi vitandum est etiam in rebus urbanis. Sunt enim, qui, quod sentiunt, etsi optimum sit, tamen invidiæ metu non audent dicere.

XXV. Omnino qui reipublicæ præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant. Unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quæcumque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum, ut totum corpus reipublicæ curent: [24] ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Ut enim tutela [25], sic procuratio reipublicæ ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. Qui autem parti civium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem atque discordiam; ex quo evenit, ut alii populares, alii studiosi optimi cujusque videantur, pauci universorum.

Hinc apud Athenienses magnæ discordiæ: in nostra republica non solum seditiones, sed pestifera etiam bella civilia: quæ gravis & fortis civis, & in republica dignus principatu fugiet atque oderit: tradetque se totum reipublicæ, neque opes,

23 *Ab Arginussis*] Vide de hoc prælio Diod. Sic. lib xv. *Idem*.

24 *Ne, dum*] Olivetus legit *ne, dum* quasi vero ratio reddatur membro hoc membri superioris. Sed mihi videtur battologia quædam, si dicas, omnes reipublicæ partes cura, ne, dum unam curas, reliquas deseras. Itaque reponendum *nec*, ut sensus idem continuetur majore quadam explicatione. *Facc.*

25 *Ut enim tutela*] Constituitur enim tutor in rem pupilli, & ut ejus serviat rationibus. Hinc in suam rem auctor fieri tutor prohibetur, *l. 1. pr. ff. de auct. & cons. tut.* Neque lucrum facere ex tutela quisquam debet, *l. 58. pr. ff. de adm. & peric. tut.* Neque in hoc administrantur tutelæ, ut mergantur pupilli, *l. 3. pr. ff. contr. tut. act.* Quæ aliæque similes juris regulæ etiam religiosius in reip. administratione sunt observandæ. *Rachelius.*

pes, aut potentiam consectabitur: totamque eam sic tuebitur, ut omnibus consulat. Nec vero criminibus falsis in odium aut invidiam quemquam vocabit: omninoque ita justitiæ honestatique adhærescet, ut, [26] dum [a] ea conservet, [b] quamvis graviter offendat, mortemque oppetat potius, quam deserat illa, quæ dixi.

Miserrima est omnino ambitio [27], honorumque contentio: de qua præclare apud eundem est Platonem: „ Similiter facere eos, qui inter se contenderent [28], uter potius rempublicam administraret, ut si nautæ certarent, quis eorum potissimum gubernaret. Idemque præcepit, ut eos adversarios existimemus, qui arma contra ferant; non eos, qui suo judicio tueri rempublicam velint [29]: qualis fuit inter P. Africanum, & Q. Metellum [30] sine acerbitate dissensio.

Nec

26 *Dum ea conservet*] quamvis in gravis offensionis periculum incidat. In his verbis est quidem sensus sed non ita planus. Legere malim *ut eam conservet*. Al. ut, *dum eam conservet, quemvis*, *&c.* Sed ita quidem locum non habet adverbium *graviter*, ut facile intelliget, qui habet latinas aures. *Fac.*

a Vict. Man. *eam*

b Vict. Lamb. *quemvis*

27 *Miserrima est omnino ambitio*] Miserrimam esse ambitionem ex eo intelligi potest, quod, quæ duæ res in vita plurimum habent suavitatis, & sapientissimo cuique in prima commendatione semper fuerunt, iis utrisque ambitio spoliat suos, libertate, & tranquillitate animi. Vide de utroque superius ad c. 20. *Muret.*

28 *Similiter facere eos, qui inter se contenderent*] Plato VI. de Rep. comparatione quadam utentem Socratem facit, qua doceat, cur veri philosophi, cum ad regendas civitates omnium aptissimi sint, aut soli potius apti, vulgo tamen ad id munus obeundum uni ex omnibus minime apti videantur. Ait autem id ex eo evenire, quod in civitatibus, ut quisque quo jure, quaque injuria deturbare alios ab honoribus & imperiis, eaque ipse arripere atque occupare maxime potest, ita maxime navus & industrius, & ad res gerendas idoneus haberi solet; cum veri philosophi, qui ab omni ambitione sunt remotissimi, quia nihil unquam tale conantur, sed in studiis cognitionis & scientiæ acquiescunt, ignavi & desides, & ab administratione reipublicæ alieni existimentur. Idem autem eventurum ait homini gubernandæ navis perito, & intelligenti, si ea versetur in navi, in qua vectores ita insaniant, ut inter se contendant, quis potissimum gubernare debeat, & ut quisque depellere alios a gubernaculis, eaque ipse occupare potuerit, ita eum plurimi faciant, eique navis gubernandæ curam optime committi putent. *Idem.*

29 *Qui suo judicio tueri rempub. velint*] Longe aliud est judicio & sententia, aliud voluntate atque animo dissidere. Nam etiam in sententiarum dissimilitudine ac discrepantia, animorum tamen conjunctio servari potest: neque unquam boni viri quenquam quod a se dissentiret, propterea in inimici loco habendum existimarunt. Evertendam Carthaginem Cato, conservandam Scipio Nasica censebat. Num igitur eos inimico inter se fuisse animo credimus? Stultorum & imperitorum ista consuetudo est: qui, quoniam, ut ait Comicus, nisi quod ipsi faciunt, nihil recte fieri putant, idcirco a se ne levissimis quidem in rebus dissentientes ferunt. *Fabric.*

30 *Qualis fuit inter P. Africanum & Q. Metellum*] Africanum minorem dicit, & Q. Metellum Macedonicum, summos viros, de quorum dissensione ita in Lælio: *Ab amicitia Q. Pompeji meo nomine se removerat, ut scitis, Scipio: propter dissensionem autem, quæ erat*

Nec vero audiendi, qui graviter irascendum inimicis putabunt, idque magnanimi & fortis viri esse censebunt. Nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atque clementia. In liberis vero populis, & in juris æquabilitate exercenda etiam est facilitas [31], & altitudo animi [32], quæ dicitur: ne, si irascamur aut intempestive accedentibus, aut impudenter rogantibus, in morositatem inutilem & odiosam incidamus. Et tamen ita probanda est mansue-

erat in republica alienatus est a collega nostro Metello. Utrumque egit graviter auctoritate & offensione non acerba. Vide & Valer. IV. 1. & Plin. VII. 44. *Idem.*

31 *Exercenda etiam est facilitas*] Qui liberos populos regunt, jurique dicendo præsunt, perpetuo cogitare debent, se in illo honoris, ac dignitatis gradu constitutos esse, ut omnium querelas patienter audiant, ut omnium jura cognoscant, ut lites dijudicent, ac componant, ut suum cuique tribuant. Itaque faciles omnibus aditus ad eos esse debent: neque ulla esse occupatio tanta, quæ eos impediat ab iis, qui querelas suas ad eos perferre volunt, audiendis. Qua de re ita Cic. in oratione pro Murena: *Sapiens prætor offensionem vitat æquabilitate decernendi, benevolentiam adjungit lenitate audiendi.* Et in Epist. ad Q. Fratrem: *Adjungenda etiam est facilitas in audiendo, lenitas in decernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia.* Et alibi in eadem epistola admonet eum, ut se facilem in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis admittendisque præbeat. Scitum est quod de Philippo, Alexandri Magni patre, traditur, a quo cum peteret anicula quædam, ut causam quandam suam cognosceret: negassetque ille sibi vacare: *Ne vaces igitur*, inquit illa, *regnare, si non vacat audire.* Etsi autem qui ad eos adeunt, tempus ad eam rem opportunum captare debent, si quis tamen aut rusticitate, aut cogente necessitate, aut casu aliquo, parum in tempore ad eos venerit, non est iracunde ac superbe rejiciendus, ac repellendus: sed aut audiendus sic quoque, si fieri potest: aut certe placide ac leniter commonefaciendus, ut tempus aliud commodius capiat: esse alios quoque, quibus consulendum sit; & æquum esse ipsis quoque rectoribus aliquam diei partem ad curanda corpora, & ad animi quietem, relaxationemque concedi. Eademque comitas adhibenda est adversus eos quoque, qui quædam interdum parum prudenter rogant: ut non aspere cum eis agamus, neque eos acerbe, ac contumeliose repellamus: sed efficiamus, ut ipsi intelligant, planeque videant inverecundam esse petitionem suam, neque sibi nos, salva ratione officii, obsequi posse. Valde amicus erat Themistocli poeta Simonides. Cum igitur in magistratu esset Themistocles, & Simonides fretus ea, quæ sibi cum illo erat, familiaritate, injustum quiddam ab eo peteret: *Neque tu*, inquit Themistocles, *bonus poeta fueris, neque ego bonus prætor, si utervis nostrum quidquam adversus leges fecerit.* Hoc Græce aliquanto dicitur suavius; quod ejus gentis lingua, & leges, quibus civitas temperatur, & quædam poetarum cantilenæ, eodem nomine vocantur. Sed ille neque objurgavit Simonidem, neque iracunde eum a se repulit: sed eo est genere orationis usus, ut cum ei, quod petebat, negaret, æquum tamen eum a se placatumque dimitteret. Quæ exempla qui sequentur, & dignitatem retinebunt, & vitabunt eam, quam Cicero *inutilem & odiosam* esse ait, *morositatem*. Muret.

32 *Altitudo animi*] Altitudo animi non est hoc loco excelsitas, vel elatio. Sed βαθύτης, ut cum *altitudinem* puteorum dicimus, qua præditum hominem κρυψίνουν Græci vocant, qui non statim detegit omnes animi motus, neque eos in promptu habet, sed abdit ac tegit cum opus est: qualem esse Pompejum ipse alicubi dicit in epistolis ad Atticum: & qualem Tiberium Augustum fuisse historiæ loquuntur. Idem. *Altitudo animi, quæ dicitur* &c. Locum hunc illustrare tuerique potest id quod legitur in Partit. Orator. cap. 22. *Est altitudo animi in capiendis incommodis, & maxime injuriis.* Hanc autem formulam, *quæ dicitur*, quoniam solet adhibere

suetudo atque clementia, ut adhibeatur, reipublicæ causa, severitas, [33], sine qua administrari civitas non potest.

Omnis autem & animadversio, & castigatio, contumelia vacare debet [34]: neque ad ejus, qui punitur aliquem [35], aut verbis castigat, sed ad reipublicæ utilitatem referri.

Cavendum est etiam, ne major pœna, quam culpa sit: & ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem.

Prohibenda autem maxime est ira in puniendo [36]. Nunquam

re Tullius, ubi vocabulum quodpiam Græcum subjuncturus est, in quo vis insit antecedentis Latini; opinor scriptum fuisse: *quæ* βαθύτης *dicitur*. Neque dissensuros abitror, qui hos tres locos ex epistolis ad Atticum inspexerint. Lib. IV. epist. 6. βαθύτης *mea quæ in agenda apparuit*. V. 10. *Admirabere meam* βαθύτητα, *tum salvi redierimus: tanta mihi* μελέτη *hujus virtutis datur*. VI. 1. *Quod meam* βαθύτητα *in Appio tibi ... probo; vehementer gaudeo*. Qua de voce sic Bosius: Βαθύτητα *vocat taciturnitatem, & occultum aliqua de re animi sensum, sumpta translatione a puteis, & aliis locis altis, in quibus demersa ita latent, ut non appareant*. Eodem sensu dixit Horatius, II. Sat. VI. 57.

Mirantur, ut unum
Scilicet egregii mortalem altique silenti.
Fr. Odinus.

altitudo] legendum *lenitudo*. Excusat autem verbum duriusculum. Ait, liberos populos regendos esse non solum animo placabili, sed interdum etiam lento, ut ne impudenter quidem rogantibus irascamur. Hujus autem vocis duritiem notat etiam in Tuscul. 4. cap. 19. *Facc.*

33 *Ita probanda est mansuetudo atque clementia, ut adhibeatur reip. causa severitas*] Ut morositas odium, ita nimia facilitas contemptum parit. Utraque igitur vitanda iis, qui cum imperio sunt: & adhibenda moderata severitas, quæ si absit, omnis magistratus auctoritas obsolescit, quæ certissima pestis est civitatum. Quoniam enim magistratus legum custodes sunt, aut ipsi potius vivæ ac spirantes leges, cum magistratus contemnuntur, perinde est ac si leges contemnerentur. Videndum igitur ut & ab odio severitatem comitas vindicet, & a contemptu severitas comitatem. *Mur.*

34 *Omnis autem animadversio & castigatio contumelia vacare debet*] Qui in castigando contumeliosus est, ostendit se libidine potius & iracundia, quam justitiæ studio duci. Vide Gellium lib. VI. 14. *Idem*.

35 *Qui punitur aliquem*] *Punitur aliquem*, pro punit, Ciceeonem hic dixisse, non solum Nonius, sed & Servius in XI. Æneidos observavit. Sic Tusc. I. 44. *Cum multi inimicos etiam mortuos puniantur*, pro puniant: in Miloniana, cap. 13. *punitus es*, pro punivisti: Philippica quoque VIII. ex libris antiquis jam recte legitur: *Ut clarissimorum hominum crudelissimam puniretur necem*. Fabric.

36 *Prohibenda autem maxime est ira in puniendo*] Cupiditas modum non novit: & quæcunque cupide facimus, immodici in eis, atque immoderati sumus. Est autem *ira*, ut in secundo de Anima traditur, *cupiditas ultionis*. Quare quicunque ad reposcendam pœnam iratus accedit, modum tenere non potest. Est igitur magni & sapientis viri, aut omnino non irasci, aut, quod fortasse majus est, iram vincere ac cohibere, neque quidquam ulciscendi causa facere, donec ille iræ tumor resederit, impetus constiterit, ardor refrixerit. Ἅπαν δὲ ὀργιζόμενος ἄνθρωπος ποιεῖ, ταῦθ' ὕστερον λήψεται ἂν ἡμαρτημένα, ait Menander. Itaque laudatur Plato, qui servo cuidam suo iratus, *Tu vero*, inquit, *gratias diis agito, quod tibi iratus sim; pœnas enim a te exigerem, nisi iratus essem*. Et Xenocrati, qui tum præsens aderat, *Quæso*, inquit, *tu hunc verberato; me enim, cum iratus sim, id facere non decet*. Eadem fere narrantur de Archyta Tarentino, qui, ut est apud Ciceronem IV. Tuscul. cum villico factus esset iratior, *Quomodo te*, inquit, *accepissem*,

quam enim iratus qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium & parum; quæ placet Peripateticis: & recte placet, modo ne laudarent iracundiam [37], & dicerent utiliter a natura datam. Illa vero omnibus in rebus repudianda est: optandumque, ut ii, qui præsunt rei-

 publi-

pissem, nisi iratus essem. Sed & de Platone ipso ejusdem generis alia. Quod servo iratus, sublata manu, quasi eum percussurus, diu eodem in statu constiterit, cumque rogaretur, cur id faceret: *A me ipso*, inquit, *exigo iracundiæ meæ pœnas*. Et quod adolescens quidam, qui diu apud eum vixerat, cum domum rediisset, vidissetque aliquando iratum matri patrem: *Apud Platonem*, inquit, *nihil unquam tale vidi*. Dandam autem iræ moram dum relanguescat, neque præcipitandum, quod illa suaserit, eleganter docuit Athenodorus Stoicus, qui Octaviani Augusti temporibus fuit. Cum enim Augustum facile ac celeriter irasci videret, monuit eum, ut quoties irasceretur, antequam quidquam imperaret, recitaret Græcarum literarum nomina: illo quamvis exiguo temporis intervallo judicans fore, ut iræ impetus, vel frangeretur, vel certe remitteretur. Sextus Aurelius Victor in Theodosio. Sapientissime itaque decrevit senatus temporibus Tiberii, ne de iis, qui capitis damnati essent, supplicium ante decimum diem sumeretur. Cujus senatus consulti meminit Tacitus lib. III. Dio lib. LVII. Suetonius in Tiberio. Seneca in libro de Tranquillitate vitæ. Sidonius Apollinarius lib. XI. epist. 7. Quod temporis spatium optimus imperator Theodosius ad triginta dies prorogavit: cum ob ingentem quandam stragem ipsius jussu Thessalonicæ factam a sanctissimo & fortissimo Episcopo Ambrosio Ecclesiæ foribus exclusus, neque nisi post actam, ex veteri ecclesiastica consuetudine, publicam pœnitentiam, ad sacrorum mysteriorum communionem admissus esset. Historia est apud Theodoretum lib. V. cap. 17. & Sozomenum lib. VII. cap. 24. & extat ipsa Theodosii constitutio, *L. si vindicari*. C. de pœnis. *Muretus*.

37 *Modo ne laudarent iracundiam*] Reprehendit Peripateticos, quod iracundiam laudent, & a natura utiliter datam dicant. In quo considerandum primum quid sit *iracundia*, & quomodo ab ira differat: dein verumne sit iracundiam a Peripateticis laudari: & tandem quid inter Peripateticos & Stoicos hac in re non conveniat, & num merito Peripatetici a Stoicis reprehendantur. Seneca igitur lib. I. *De ira* c. 4. ait inter *iram* & *iracundiam* idem interesse, quod inter *ebrium* & *ebriosum*, inter *timentem* & *timidum*. Iratus potest esse non iracundus. Iracundus potest aliquando iratus non esse. Ira igitur est ὀργή, iracundia ὀργιλότης. Hæc etiam Claudius Cæsar distinxit edicto, de quo Suet. *Iræ atque iracundiæ conscius sibi, utrumque excusavit edicto, distinxitque, pollicitus alteram quidem brevem, & innoxiam, alteram non injustam fore*. Iracundiam tamen Latini interdum pro *ira* dicunt. Plautus Asinar. *Non hercle te prævideram. Quæso ne vitio vertas. Ita iracundia obstitit oculis*. Et Terent. *Vix sum compos animi, ita ardeo iracundia*. Nunc videamus num Peripatetici iracundiam laudent. Sane Aristot. II. Eth. prolixus est in iracundia ὀργιλότητι reprehendenda ut vitiosa. Hoc tamen eis Cicero sæpe objicit, ut hic & IV. Tuscul. cap. 19. sed hæc ex aliorum Peripateticorum commentariis Cicero, ut videtur, hauserat. Et tamen vituperant Peripatetici ἀοργησίαν, & Aristoteles ipse ait τὸν θυμὸν τῇ ἀνδρείᾳ συνεργεῖν. Neque aliter Plato, qui & II. Polit. ait omnem ἀνδρεῖον εἶναι θυμοειδῆ, & V. de Legibus θυμοειδῆ μὲν χρή, inquit, πάντα ἄνδρα εἶναι, & Græci proverbio ajunt, qui irasci nesciat, eum mente etiam carere. Stoici autem iram damnant. Sed tamen de vocibus tantum videntur litigare. Nam si ira semper est πάθος ἄλογον, recte eam vituperant: sin potest ratione dirigi, & est interdum ὁρμή τις ἐγείρουσα τὴν ψυχὴν πρὸς τὴν ἀνδρείαν, merito commendari potest, neque eradicanda, sed moderanda est. Itaque Horatius Epist. lib. I. ep. 2. vers. 62. cum dixit, *ira furor brevis est*, addit, *qui non moderabitur iræ*, &c. Non dicit, qui non extinguet, sed qui non moderabitur. *Idem*.

publicæ, legum ſimiles ſint, quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur.

XXVI. Atque etiam in rebus proſperis, & ad voluntatem noſtram fluentibus, ſuperbiam, faſtidium, arrogantiamque magnopere fugiamus. Nam ut adverſas res, ſic ſecundas immoderate ferre, levitatis eſt: præclaraque eſt æquabilitas in omni vita, & idem ſemper vultus, eademque frons, ut de Socrate [38], item de C. Lælio accepimus. Philippum quidem Macedonum regem, rebus geſtis & gloria ſuperatum a filio; facilitate & humanitate video ſuperiorem fuiſſe [39]. Itaque alter ſemper magnus, alter ſæpe turpiſſimus fuit: ut recte præcipere videantur, qui monent, ut quanto ſuperiores ſumus, tanto nos geramus ſummiſſius. Panætius quidem Africanum auditorem, & familiarem ſuum, ſolitum ait dicere, ut equos, propter crebras contentiones præliorum ferocitate exſultantes, domitoribus tradere ſoleant, ut his facilioribus poſſint uti: ſic homines ſecundis rebus effrenatos, ſibique præfidentes, tanquam [40] in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere, ut perſpicerent rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque fortunæ.

Atque etiam in ſecundiſſimis rebus maxime eſt utendum conſilio amicorum, hiſque major etiam, quam ante, tribuenda auctoritas. Iiſdemque temporibus cavendum eſt, ne aſſentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos ſinamus [41]: in quo falli facile eſt. Tales enim nos tunc eſſe putamus, ut jure laudemur. Ex quo naſcuntur innumerabilia peccata, cum homines inflati opinionibus, turpiter irridentur, & in maximis verſantur erroribus. Sed hæc quidem hactenus.

[42] Illud

38 *Ut de Socrate*] Hæc de Socrate Xantippe prædicat III. Tuſcul. 15. Vide & Senec. epiſt. 104. Laert. in ejus vita. *Idem*.

39 *Facilitate & humanitate video ſuperiorem fuiſſe*] Juſt. IX. 8. *Iram pater* (Philippus) *diſſimulare*, *plerumque etiam vincere*: *hic ubi exarſiſſet*, *nec dilatio ultionis*, *nec modus erat*. Mox: *regnare ille cum amicis volebat*, *hic in amicos regna exercebat*. Grævius.

40 *In gyrum*] petita ab equis ſimilitudine, qui aguntur in gyrum, certis præfinitis limitibus, ut eorum impetus frangatur. *Facc.*

41 *Nec adulari nos ſinamus*] Vel *adulari* patiendi hic ſignificationem habet, vel legendum, *adulari nobis ſinamus*. Lamb. Apud Nonium ita refertur, *Neve adulari nos ſinamus*. Quare nihil in hoc genere contra librorum veterum auctoritatem eſt immutandum. *Fabric.* Totum hoc membrum, *nec adulari nos ſinamus*, inſertum videtur, & quidem ante Nonii ætatem, ut eſt apud Heumannum in Arte Crit. n. XXXIII. *Facc.*

[42] Illud autem sic est judicandum, maximas geri res, & maximi animi ab iis, qui respublicas regant, quod earum administratio latissime pateat, ad plurimosque pertineat. Esse autem magni animi, & fuisse multos etiam in vita otiosa, qui aut investigarent, aut conarentur magna quædam, seseque suarum rerum finibus continerent: aut interjecti inter philosophos, & eos, qui rempublicam administrarent, delectarentur re sua familiari, non eam quidem omni ratione exaggerantes, neque excludentes ab ejus usu suos: potiusque & amicis impertientes, & reipublicæ, si quando usus esset. Quæ primum bene parta sit, nullo neque turpi quæstu, neque odioso: tum quam plurimis, modo dignis, se utilem præbeat: deinde augeatur ratione, diligentia, parsimonia: nec libidini potius luxuriæque, quam liberalitati & beneficentiæ pateat. Hæc præscripta servantem licet magnifice, graviter, animoseque vivere, atque etiam simpliciter, fideliter, vitæque hominum amice.

XXVII. Sequitur, ut de una reliqua parte honestatis dicendum sit: in qua verecundia, & quasi quidam ornatus vitæ, temperantia & modestia, omnisque sedatio perturbationum animi, & rerum modus cernitur. Hoc loco continetur id, quod dici Latine decorum potest: Græce enim πρέπον dicitur. Hujus vis ea est, ut ab honesto non queat separari. Nam & quod decet, honestum est: & quod honestum est, decet.

Qualis autem differentia sit honesti & decori, facilius intelligi, quam explanari potest. Quidquid est enim, quod deceat, id tum apparet, cum antegressa est honestas. Itaque non solum in hac parte honestatis, de qua hoc loco disserendum est, sed etiam in tribus superioribus, quid deceat, apparet. Nam & ratione uti, atque oratione prudenter: & agere quod agas, considerate: omnique in re quid sit veri, videre & tueri decet: contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quam delirare & mente esse captum. Et justa omnia, decora sunt; injusta contra, ut turpia, sic indecora.

42 *Illud autem*] Hæc omnia, qualiacumque sint, usque ad caput proximum, hoc loco male habitant: potius eo retrahenda videntur, si cui placent, ubi de politicis & de otiosis agitur. *Facc.*

Similis eſt ratio fortitudinis. Quod enim viriliter animoque magno fit, id dignum viro & decorum videtur: quod contra, id ut turpe, ſic indecorum.

Quare pertinet quidem ad omnium honeſtatem hoc, quod dico, decorum: & ita pertinet, ut non recondita quadam ratione cernatur, ſed ſit in promptu. Eſt enim quiddam, idque intelligitur in omni virtute, quod deceat: quod cogitatione magis a virtute poteſt, quam re ſeparari. Ut venuſtas & pulchritudo corporis ſecerni non poteſt a valetudine: ſic hoc, de quo loquimur decorum, totum illud quidem eſt cum virtute confuſum: ſed mente & cogitatione diſtinguitur.

Eſt autem ejus deſcriptio duplex. Nam & generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honeſtate verſatur: & aliud huic ſubjectum, quod pertinet ad ſingulas partes honeſtatis. Atque illud ſuperius ſic fere definiri ſolet: Decorum id eſſe, quod conſentaneum ſit hominis excellentiæ, in eo, in quo natura ejus a reliquis animantibus differat. Quæ autem pars ſubjecta generi eſt, eam ſic definiunt, ut id decorum eſſe velint, quod [43] ita naturæ conſentaneum ſit, ut in eo moderatio & temperantia appareat cum ſpecie quadam liberali.

XXVIII. Hæc ita intelligi, exiſtimare poſſumus ex eo decoro, quod poetæ ſequuntur: de quo alio plura dici ſolent. Sed tum ſervare illud poetas dicimus, quod deceat, cum id, quod quaque perſona dignum eſt, & ſit, & dicitur. Ut, ſi Æacus, aut Minos diceret,

Oderint dum metuant: aut, *Natis ſepulcro ipſe eſt parens* [44]: indecorum videretur: quod eos fuiſſe juſtos accepimus. At Atreo dicente, plauſus excitantur: eſt enim digna perſona oratio. Sed poetæ quid quemque deceat, ex perſona judicabunt: nobis autem perſonam impoſuit ipſa natura, magna

cum

43 *Ita natura*] Legendum opinor: *ita naturæ cujuſque*. Et quæ præcedunt, & quæ ſequuntur, ita poſcunt. *Facc.*

44 *Natis ſepulcro ipſa eſt parens*] Applaudo Joanni Frid. Gronovio conjicienti tyrannum apud poetam dixiſſe: *Natis ſepulcro ipſe ſit parens*, ut in præcedente verſu, *Oderint dum metuant*. Hoc enim vere tyrannicum. Illud vero Thyeſteas epulas commemorans, *parens eſt natis ſepulcro*, quilibet dicere poteſt. Quid enim in illis tyrannicum? *Grævius.*

cum excellentia præſtantiaque [45] animantium reliquarum. Quocirca poetæ in magna varietate perſonarum, etiam vitioſis quid conveniat, & quid deceat, videbunt: nobis autem cum a natura conſtantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes datæ ſint; cumque eadem natura doceat non negligere, quemadmodum nos adverſus homines geramus: efficitur, ut & illud, quod ad omnem honeſtatem pertinet, decorum, quam late fuſum ſit [46], appareat; & hoc, quod ſpectatur in unoquoque genere virtutis. Ut enim pulchritudo corporis apta compoſitione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes cum quodam lepore conſentiunt: ſic hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuſcum vivitur, ordine, & conſtantia, & moderatione dictorum omnium atque factorum.

Adhibenda eſt igitur quædam reverentia adverſus homines, & optimi cujuſque, & reliquorum. Nam negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti. Eſt autem quod differat, in hominum ratione habenda, inter juſtitiam & verecundiam. Juſtitiæ partes ſunt, non violare homines: verecundiæ, non offendere: in quo maxime perſpicitur vis decori. His igitur expoſitis, quale ſit id, quod decere dicimus, intellectum puto.

Officium autem, quod ab eo ducitur, hanc primum habet viam, quæ deducit ad convenientiam conſervationemque naturæ: quam ſi ſequemur ducem, nunquam aberrabimus: ſequemurque & id, quod acutum & perſpicax natura eſt: & id, quod ad hominum conſociationem accommodatum: & id, quod vehemens atque forte. Sed maxima vis decori in

hac

45 *Animantium reliquarum*] ideſt ſupra reliquas animantes. Genitivus caſus in hac ſyntaxi duriuſculus videtur. Sed fortaſſe totum hoc membrum, *magna cum excellentia præſtantiaque animantium reliquarum*, formatum eſt ex iis, quæ paullo ante dicta ſunt, & margini adjectum, poſtea vero a librariis huc inſertum. *Facc.*

46 *Illud, quod ad omnem honeſtatem pertinet decorum, quam late fuſum ſit*] Alexander Aphrodiſienſis honeſtum circuli centro comparat, quod cum re ipſa ſit unum, pro varietate tamen linearum, in diverſas partes atque regiones ex eo productarum, ſit quodammodo varium & multiplex, & nunc hujus, nunc illius lineæ terminus appellatur. Eadem prorſus ratione honeſtum, cum natura ſua ſit unum, pro varietate tamen motuum animi, & actionum, quas prudenter moderatur, varium quaſi redditur & multiplex. *Rachel.*

hac inest parte, de qua disputamus. [47] Neque enim solum corporis, qui ad naturam apti sunt, sed multo etiam magis animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati sunt. Duplex est enim vis animorum, atque naturæ: una pars in appetitu posita est, quæ est ὁρμὴ Græce, quæ hominem huc & illuc rapit: altera in ratione, quæ docet, & explanat, quid faciendum fugiendumque sit. Ita fit, ut ratio præsit, appetitus obtemperet.

XXIX. [48] Omnis autem actio vacare debet temeritate, & negligentia: nec vero agere quidquam, cujus non possit causam probabilem reddere. Hæc est enim fere descriptio officii. Efficiendum autem est, ut appetitus rationi obediant, eamque * neque præcurrant, nec propter pigritiam, aut ignaviam deserant: sintque tranquilli, atque omni perturbatione animi careant. Ex quo elucebit omnis constantia, omnisque moderatio. Nam qui appetitus longius evagantur, & tanquam exsultantes sive cupiendo, sive fugiendo, non satis a ratione retinentur, hi sine dubio finem & modum transeunt. Relinquunt enim & abjiciunt obedientiam, nec rationi parent, cui sunt subjecti lege naturæ: a quibus non modo animi perturbantur, sed etiam corpora. Licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti sunt, aut voluptate nimia gestiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, statusque mutantur.

Ex quibus illud intelligitur (ut ad officii formam revertamur) appetitus omnes contrahendos sedandosque, excitandamque animadversionem & diligentiam, ut ne quid temere ac fortuitu, inconsiderate, negligenterque agamus. Neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum & jocum facti esse videamur: sed ad severitatem potius, & ad quædam studia graviora atque majora. Ludo autem & joco uti illo quidem licet:

47 *Neque enim solum &c.*] Periodus hæc orta videtur ex monito alicujus Grammatici margini adscripto. *Facc.*

48 *Omnis autem actio &c.*] Ex Officii descriptione, quæ est in lib. 3. de Fin. c. 17. hæc omnia concinnata videntur. Si tollantur, tum sensa, tum verba rectius inter se congruent. Alii leg. *omnis autem ratio*. Sane melius. Quomodo enim *actio* dicitur *agere?* *Facc.*

* Vict. *neque præcurrant propter temeritatem, nec*

licet : sed sicut somno [49] & quietibus cæteris, tum cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. Ipsumque genus jocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum & facetum esse debet. Ut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quæ ab honestis actionibus non sit aliena: sic in ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat.

Duplex omnino est jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum; alterum, elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus noster [50], & Atticorum antiqua comœdia [51], sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt: multaque multorum facete dicta : ut ea, quæ a sene Catone collecta sunt, quæ vocant

49 *Et quietibus ceteris*] Casus pluralis duriusculus fecit, ut alii legerent *quietis*, alii aliter. Sed nihil variandum. Ita enim locutus est atiam Salustius in bello Catilin. cap. 15. *Facc.*

50 *Plautus noster*] Plauti sales & facetias omnis laudavit & admirata est antiquitas. Tritos plerique ac notatos versus habebant, ac ax eorum naturali quodam & insito lepore, quæ veræ & germanæ Plauti fabulæ essent, nullo negotio dignoscebant. Nec eo solum, quo vixit, tempore cum nihil forsan occurreret melius, habuit poeta hic laudis fautores ac præcones suæ, sed etiam annis postea consecutis multis, cum ridiculi tractatio, quod opus comœdiæ præcipuum est, perfici potuerit, & numeris omnibus absolvi. Atque hæc talis & tanta de jocis Plautinis opinio ad Augusti usque imperatoris ætatem mansit. Quo primum seculo neque jocos istos, neque jocorum laudatores ferre potuit severior & fastidiosior judex Horatius, ac fortasse melior : quippe quos nimiæ patientiæ ac propemodum stultitiæ condemnet. Tametsi hujus ego judicium non unius hominis, sed totius seculi illius eruditissimi judicium putaverim. Neque enim scripsit Horatius alitar, ac videretur Augusto : neque Augustus cupidus ipse dictorum & cujusvis generis ejus intelligens in alia, atque probi & politi ejusdem ævi scriptores essent, sententia fuit. Nisi forte suspicari &c. Vavassor, *de Lud. Dict.*

51 *Atticorum antiqua comœdia*] Adversatur Ciceroni Aristoteles, lib. IV. Eth. ad Nicom. 8. qui monet facilem esse distinctionem ingenui & scurrilis joci ex veteribus & novis comœdiis, perinde ac si dicat, tantumdem sibi veteres comicos permittere, quantum scurræ solent, quibus nihil unquam nefas sit nec in rebus, nec in verbis, quosque nihil, dummodo aliis risum excutiant, neque pudeat, neque tædeat. Aristoteli adversatur Cicero. Hic enim ab antiqua comœdia illiberalitatem, petulantiam, turpitudinem flagitiosam removet, quibus ille eam sua sententia damnat. Quanquam non cum Aristotele duntaxat Cicero, sed secum ipse pugnat, qui continuo post dicat, facile distingui ingenuum & illiberalem jocum : alterum esse si tempore fit, ac remisso animo, homine libero dignum : alterum ne homine quidem, si rerum turpitudini adhibeatur verborum obscœnitas. Quis autem non videt genus jocandi profusum & immodestum inesse in Plauto : comœdiam veterem nec ingenuitatem, nec ruborem, nec moderationem ullam præstitisse, vel offensione hominum, vel rerum turpitudina, & verborum obscœnitate vitanda? *Vavassor*. Tamen pro Aristophane, veteris comœdiæ auctore præcipue facit Plato : ei enim Thomas magister tribuit hoc apigramma, quo canit, sorores Gratias, tres præsides venustatis deas, quæsivissa templum sibi, in quo divinis honoribus consecratæ perpetuo colerentur : ac demum pro templo animam Aristophanis poetæ feliciter & commode asse nactas:

Αἱ χάριτες τέμενός τι λαβεῖν, ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται,
Ζητοῦσαι, ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.
Nunquam casurum cupidæ sibi sumere templum
Invenere animam Gratiæ Aristophanis. Id.

vocant ἀποφθέγματα. Facilis igitur eſt diſtinctio ingenui & illiberalis joci. Alter eſt, ſi tempore fit, ac remiſſo animo, * homine dignus: alter ne libero quidem, ſi rerum turpitudini adhibetur verborum obſcœnitas. Ludendi etiam eſt quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus, [52] elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditant autem & campus noſter, & ſtudia venandi, honeſta exempla ludendi.

XXX. Sed pertinet ad omnem officii quæſtionem, ſemper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus reliquiſque belluis antecedat. Illæ nihil ſentiunt, niſi voluptate, ad eamque feruntur omni impetu; hominis autem mens diſcendo alitur, & cogitando [53], ſemper aliquid aut anquirit, aut agit, videndique & audiendi delectatione ducitur. Quin etiam ſi quis eſt paulo ad voluptates propenſior, modo ne ſit ex pecudum genere, (ſunt enim quidam homines non re, ſed nomine) ſed ſi quis eſt paulo erectior, quamvis voluptate capiatur, occultat & diſſimulat appetitum voluptatis, propter verecundiam. Ex quo intelligitur, corporis voluptatem non ſatis eſſe dignam hominis præſtantia, eamque contemni & rejici oportere. Sin ſit quiſquam qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum eſſe ejus fruendæ modum. Itaque victus cultuſque corporis ad valetudinem referantur, & ad vires, non ad voluptatem. Atque etiam ſi conſiderare volumus, quæ ſit in natura excellentia & dignitas; intelligemus, quam ſit turpe, diffluere luxuria, & delicate ac molliter vivere: quamque honeſtum, parce, continenter, ſevere, ſobrie.

Intel-

* Man. *libero dignus: alter ne homine quidem.*

52 *Ut ne nimis omnia profundamus*] Lambinus edi juſſerat, *Ne nimis joca profundamus*. Quæ lectio & ſententiam commodam habet & a vulgata non multum diſcrepat. Langius vetuſtorum librorum auctoritate neglecta edidit, *ut ne nimis profundamur*. Putat enim, *profundamus*, ſcriptum eſſe a librariis pro, *profundamur*, ac deinde ab aliis adjectum eſſe *omnia*. Ego ante annos XVI. cum hos libros publice interpretarer, hanc profuſionem referebam ad illam, de qua Cicero in Cæliana, *Voluptates*, inquit, *cum prima ætate compreſſæ & conſtrictæ fuerunt, ſubito ſe nonnunquam profundunt, atque ejiciunt univerſæ*. Fabrit.

53 *Semper aliquid aut inquirit, aut agit,*] Totum hoc membrum vacat; & formatum puto ex eo, quod eſt in cap. 36. de duplici animorum motu. Duo tamen priora verba *ſemper aliquid* retineri poſſunt, ſi conjungantur cum *cogitando*. *Facc.*

Intelligendum est etiam, duabus quasi nos a natura indutos esse personis: quarum una est communis, ex eo, quod omnes participes sumus rationis præstantiæque ejus, qua antecellimus bestiis; a qua omne honestum decorumque trahitur, & ex qua ratio inveniendi officii exquiritur: altera autem, quæ proprie singulis est tributa. Ut enim in corporibus magnæ dissimilitudines sunt, (alios enim videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere: itemque in formis aliis dignitatem inesse, aliis venustatem) sic in animis exsistunt etiam majores varietates.

Erat in L. Crasso [54], & in L. Philippo [55] multus lepos: major etiam magisque de industria in C. Cæsare [56], Lucii filio. At iisdem temporibus in M. Scauro [57], & in M. Druso [58] adolescente, singularis severitas: in C. Lælio multa hilaritas [59]: in ejus familiari Scipione ambitio major, vita tristior. De Græcis autem, dulcem & facetum, festivique sermonis, atque in omni oratione [60] simulatorem [61], quem εἴρωνα Græci nominaverunt, Socratem accepimus: contra, Pythagoram & Periclem summam auctoritatem consecutos, sine ulla hilaritate. Callidum Annibalem, ex Pœnorum; ex nostris ducibus Q. Maximum accepimus: facile celare, tacere, dissimulare, insidiari, præcipere hostium consilia. In quo genere

54 *In L. Crasso*] Ideo lib. II. de Orat. *Non fere quisquam reperietur præter hunc* (Crassum) *in utroque genere leporis excellens: & illo quod in perpetuitate sermonis, & hoc quod in celeritate atque dicto est*. Grævius.

55 *In L. Philippo*] Hic fuit L. Martius Philippus Q. F. qui consul fuit anno U. C. 663. de quo in Bruto Cicero: *Erat in eo summa libertas, multæ facetiæ, satis creber in reperiendis, solutus in explicandis sententiis*. Idem.

56 *In C. Cæsare*] Is fuit C. Cæsar Strabo, quo & filio negat quemquam in Bruto Cicero sale & lepore conditiorem fuisse. Hinc in II. de Orat. ipsum induxit de facetiis disputantem. *Idem*.

57 *In M. Scauro*] Quanta fuerit in illo gravitas cum multis aliis locis Cicero testatur, tum in primis in Bruto: *In oratione Scauri sapientis hominis & recti gravitas summa, & naturalis quædam inerat auctoritas, ut testimonium dicere putares, cum pro reo diceret*. Idem.

58 *In M. Druso*] Is fuit M. Drusus C. filius, qui in tribunatu C. Gracchum collegam iterum trib. fregit, *vir & oratione gravis & auctoritate*, ut de illo Tullius testatur in Bruto. *Idem*.

59 *In C. Lælio multa hilaritas*] Cic. pro Muræna: *Quis C. Lælio comior? quis jucundior eodem ex studio isto? quis illo gravior? quis sapientior?* Hinc etiam propter istam hilaritatem, ut & sermonis elegantiam, putabantur fabellæ Terentii ab illo scribi, ut idem auctor est in VII. ad Attic. III. *Idem*.

60 *Simulatorem*] Hoc loco *simulator* ad laudem refertur. Alii tamen leg. *dissimulatorem*. *Facc.*

61 *Quem εἴρωνα Græci nominaverunt*] Hæc verba esse ab aliena manu Heumannus monet in Arte Crit. n. XXVII. *Facc.*

Græci Themiſtoclem & Pheræum Jaſonem [62] cæteris anteponunt: in primiſque verſutum & callidum factum Solonis, qui, quo & tutior vita ejus eſſet, & plus aliquanto reipublicæ prodeſſet, furere ſe ſimulavit.

Sunt his alii multum diſpares, ſimplices & aperti: qui nihil ex occulto, nihil ex inſidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici: itemque alii, qui quidvis perpetiantur, cuivis deſerviant, dum, quod velint, conſequantur: ut Syllam & M. Craſſum [63] videbamus. Quo in genere verſutiſſimum & patientiſſimum Lacedæmonium Lyſandrum [64] accepimus; contraque Callicratidam [65], qui præfectus claſſi proximus poſt Lyſandrum fuit. Itemque in ſermonibus alium quemque, quamvis præpotens ſit, efficere [66], ut unus de multis eſſe videatur. Quod in Catulo, & in patre, & in filio: idemque in Q. Mutio Mancia vidimus. Audivi ex majoribus natu hoc idem fuiſſe in P. Scipione Naſica: contraque patrem ejus, illum, qui Tib. Gracchi conatus perditos vindicavit [67] nullam comitatem habuiſſe ſermonis: ne Xenocratem quidem [68], ſeveriſſimum philoſophorum, ob eamque rem ipſam magnum clarumque fuiſſe. Innumerabiles aliæ diſſimilitudines ſunt naturæ morumque, minime tamen vituperandorum.

XXXI. Ad-

62 *Pheræum Jaſonem*] Vide de ejus prudentia & potentia Xenophontem VI. Ἑλλην. Et Diod. Sic. XV. *Grævius*.

63 *Ut Syllam & M. Craſſum*] Syllam alios coluiſſe, & ſervili obſequio dignitates meruiſſe, nuſquam dictum ſcriptumve. In ætate tenera cum ſcurris & mimis potavit, & genio indulſit frequenter, ſed de adulatione potentium dignitateque florentium nihil. Craſſus autem Syllam ſectatus eſt, & coluit enixe, ejuſque gratia potiſſimum ad illas divitias & poſtea honores eſt evectus. Vide Plutarchum in ejus vita. Sine dubio locus eſt contaminatus, quem ſic purgabis ex meo primo codice, in quo claro ſcribitur: *Ut Sylla M. Craſſum videbamus*. Grævius.

64 *Lyſandrum*] Vide C. Nep. in ejus vita. *Idem*.

65 *Callicratidam*] De hoc etiam egit cap. 24. hujus libri. *Idem*.

66 *Itemque in ſermonibus alium quemque, quamvis præpotens ſit, efficere*] Hoc vult: Eſſe in quibuſdam ſermonis comitatem, ut, quamvis ſint in magna dignitate conſtituti, tamen cum ſermones ſerunt cum infimæ quoque ſortis hominibus, videantur & ipſi ejuſdem loci & ordinis homines eſſe, nullum ut præ ſe ferant in oratione faſtum. Cic. II. de Finibus: *Tenuis L. Virginius unuſque de multis*. Sic Græcis ὡς τῶν πολλῶν. *Idem*.

67 *Nullam comitatem*] nullas ſermonis blanditias, quibus caruit Xenocrates quoque: ob hoc autem ipſum in primis celebratus eſt. Exemplum Xenocratis tamquam inſititium putat expungendum eſſe Heumannus in Arte Crit. n. XXVII. *Facc.*

68 *Ne Xenocratem quidem*] Hanc lectionem optimorum librorum auctoritas, & ſententia comprobat. Hoc enim dicit, Ne ſeveriſſimum quidem philoſophorum Xenocratem comitatem ſermonis habuiſſe, & in gravitate maxima præſtitiſſe dignitate, ut Camerarius ſcribit. *Fabric.*

XXXI. Admodum autem tenenda ſunt ſua cuique, non vitioſa, ſed tamen propria, quo facilius decorum illud, quod quærimus, retineatur. Sic enim eſt faciendum, ut contra univerſam naturam nihil contendamus: ea tamen conſervata, propriam naturam ſequamur: ut, etiam ſi ſint alia graviora atque meliora, tamen nos ſtudia noſtra naturæ regula metiamur [69]. Neque enim attinet repugnare naturæ, nec quidquam ſequi, quod aſſequi nequeas. Ex quo magis emergit, quale ſit decorum illud, ideo, quia nihil decet invita (ut ajunt) Minerva, id eſt, adverſante & repugnante natura.

Omnino ſi quidquam eſt decorum, nihil eſt profecto magis, quam æquabilitas univerſæ vitæ, tum ſingularum actionum: quam conſervare non poſſis, ſi aliorum naturam imitans, omittas tuam. Ut enim ſermone eo debemus uti, qui notus eſt nobis, ne, ut quidam Græca verba inculcantes, jure optimo irrideamur: ſic in actiones omnemque vitam nullam diſcrepantiam conferre debemus.

Atque hæc differentia naturarum tantam habet vim, ut nonnunquam mortem ſibi ipſe conſciſcere alius debeat, alius in eadem cauſa non debeat. Num enim alia in cauſa M. Cato fuit, alia cæteri, qui ſe in Africa Cæſari tradiderunt? Atqui cæteris forſitan vitio datum eſſet, ſi ſe interemiſſent, propterea quod eorum vita lenior, & mores fuerant faciliores: Catoni autem cum incredibilem tribuiſſet natura gravitatem, eamque ipſe perpetua conſtantia roboraviſſet, ſemperque in propoſito ſuſceptoque conſilio permanſiſſet, moriendum potius, quam tyranni vultus adſpiciendus fuit. Quam multa paſſus eſt Ulyſſes in illo errore diuturno, cum & mulieribus (ſi Circe & Calypſo mulieres appellandæ ſunt) inſerviret, & in omni ſermone omnibus affabilem & jucundum ſe eſſe vellet? domi vero etiam contumelias ſervorum ancillarumque pertulit, ut ad id aliquando, quod cupiebat, perveniret. At

 Ajax,

69 *Tamen nos ſtudia* noſtra *naturæ regula metiamur*] Nonnulli Mſſ. habent *noſtra naturæ*, quod vulgatæ lectioni *noſtræ naturæ* præferendum videtur; quia non cujuſcunque naturæ, ſed noſtræ regula ſtudia noſtra ſunt metienda. Idem dicendum eſt de *ſtudiis*; quocirca legendum eſſe arbitror, *tamen noſtra ſtudia* noſtræ *naturæ regula metiamur*. *Pearc.* Video ſine emendandi ratione apertam ſententiam. Satis enim ſignificavit Cicero quam dicat naturam. *Anonymus*.

Ajax, quo animo traditur, millies oppetere mortem, quam illa perpeti maluisset.

Quæ contemplantes expendere oportebit, quid quisque habeat sui: eaque moderari, nec velle experiri, quam se aliena deceant. Id enim maxime quemque decet, quod est cujusque suum maxime. Suum igitur quisque noscat ingenium, acremque se & bonorum & vitiorum suorum judicem præbeat: ne scenici plus, quam nos, videantur habere prudentiæ. Illi enim non optimas, sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt. Qui voce freti sunt [70], Epigonos [71], Medumque: qui gestu, Menalippam, Clytæmnestram: semper Rupilius, quem ego memini, Antiopam: non sæpe Æsopus Ajacem. Ergo histrio hoc videbit in scena, quod non videbit sapiens in vita? Ad quas igitur res aptissimi erimus, in iis potissimum elaborabimus. Sin aliquando necessitas nos ad ea detruserit, quæ nostri ingenii non erunt: omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea, si non decore, at quam minimum indecore facere possimus. Nec tam est enitendum, ut bona, quæ nobis data non sint, sequamur, quam ut vitia fugiamus.

XXXII. Ac duabus iis personis, quas supra dixi, tertia adjungitur, quam casus aliquis, aut tempus imponit: quarta etiam, quam nobismet ipsis judicio nostro accommodamus. Nam regna, imperia, nobilitates, honores, divitiæ, opes, eaque, quæ sunt his contraria, in casu sita, temporibus gubernantur. Ipsi autem quam personam gerere velimus, a nostra voluntate proficiscitur. Itaque se alii ad philosophiam, alii ad jus civile, alii ad eloquentiam applicant: ipsarumque virtutum in alia alius mavult excellere.

Quorum vero patres, aut majores aliqua gloria præstiterunt, ii student plerumque eodem in genere laudis excellere: ut Q. Mutius, P. filius, in jure civili; Pauli filius Africanus in re militari. Quidam autem ad eas laudes, quas a patribus,

70 *Epigonos*] Accii Tragœdiam. Sunt autem Epigoni auctores secundi belli Thebani, quorum nomine Euripides tragœdiam scripsit. Hanc imitatus est Accius. *Facc.*

71 *Medumque*] Pacuvii tragœdiam, a Nonio & Charisio citatam. Alii leg. *Medeamque*. Medum autem esse volunt Medeæ filium. *Facc.*

tribus acceperunt, addunt aliquam suam: ut hic idem Africanus eloquentia cumulavit bellicam gloriam. Quod idem fecit Timotheus, Cononis filius, qui, cum belli laude non inferior fuisset, quam pater: ad eam laudem, doctrinæ & ingenii gloriam adjecit. Fit autem interdum, ut nonnulli, omissa imitatione majorum, suum quoddam institutum [72] consequantur: maximeque in eo plerumque elaborant ii, qui magna sibi proponunt, obscuris orti majoribus.

Hæc igitur omnia, cum quærimus quid deceat, complecti animo & cogitatione debemus. In primis autem constituendum est, quos nos, & quales esse velimus, & in quo genere vitæ: quæ deliberatio est omnium difficillima. Ineunte enim adolescentia, cum est maxima imbecillitas consilii, tum id sibi quisque genus ætatis degendæ constituit, quod maxime adamavit. Itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quam potuit, quid optimum esset, judicare. Nam quod Herculem Prodicium [73] dicunt (ut est apud Xenophontem) cum primum pubesceret (quod tempus a natura ad deligendum, quam quisque viam vivendi sit ingressurus, datum est) exisse in solitudinem, atque ibi sedentem, diu secum multumque dubitasse, cum duas cerneret vias, unam Voluptatis, alteram Virtutis, utram ingredi melius esset: hoc Herculi, [74] Jovis satu edito, potuit fortasse contingere: nobis non item, qui imitamur, quos cuique visum est, atque ad eorum studia institutaque impellimur: plerumque autem parentum præceptis imbuti, ad eorum consuetudinem moremque deducimur. Alii multitudinis judicio feruntur, quæque majori parti pulcherrima videntur, ea maxime exoptant. Nonnulli tamen sive felicitate quadam, sive bonitate naturæ, sive parentum disciplina, rectam vitæ secuti sunt viam.

XXXIII. Illud

72 *consequantur*] Legere malim, *sequantur*. *Facc.*

73 *Herculem Prodicium*] Quemadmodum hoc loco, *Herculem Prodicium*, ita in epistola ad Lucceium, *Herculem Xenophontium*, dicit. Nam Xenophon in secundum librum Commentariorum retulit, quod Prodicus in libro de Hercule exposuerat. *Fabrit.*

74 *Jovis satu edito*] Urbane ex veteri aliquo Poeta, ea tempestate noto. Alii malunt leg. *Jove edito*, perperam veriti, ne modus hic poeticus Ciceronem dedeceat. *Facc.*

XXXIII. Illud autem maxime rarum genus eſt eorum, qui aut excellente ingenii magnitudine, aut præclara eruditione atque doctrina, aut utraque re ornati, ſpatium etiam deliberandi habuerunt, quem potiſſimum vitæ curſum ſequi vellent: in qua deliberatione ad ſuam cujuſque naturam conſilium eſt omne revocandum. Nam cum in omnibus quæ aguntur, ex eo modo, quo quiſque natus eſt, ut ſupra dictum eſt, quid deceat exquirimus; tum in tota vita conſtituenda, multo eſt ei rei cura major adhibenda, ut conſtare in vitæ perpetuitate poſſimus nobiſmetipſis, nec in ullo officio claudicare.

Ad hanc autem rationem quoniam maximam vim natura habet, fortuna proximam: utriuſque omnino ratio habenda eſt in deligendo genere vitæ; ſed naturæ magis. Multo enim & firmior eſt, & conſtantior: ut fortuna nonnunquam tanquam ipſa mortalis, cum immortali natura pugnare videatur [75]. Qui igitur ad naturæ ſuæ non vitioſæ genus, conſilium vivendi omne contulerit, is conſtantiam teneat. Id enim maxime decet: niſi forte ſe intellexerit erraſſe in deligendo genere vitæ. Quod ſi acciderit, (poteſt autem accidere) facienda morum inſtitutorumque mutatio eſt. Eam mutationem, ſi tempora adjuvabunt, facilius commodiuſque faciemus. Sin minus; ſenſim erit pedetentimque facienda: ut amicitias, quæ minus delectent, & minus probentur, magis decere cenſent ſapientes ſenſim diſſuere [76], quam repente præcidere.

75 *Ut fortuna nonnunquam, tanquam ipſa mortalis, cum immortali natura pugnare videatur*] Merito diſplicuit doctis hic locus non uno modo corruptus. Quid de eo cenſeam, liceat proferre. Editio Rom. prima, & tres Mſſ. Oxon. habent *quam fortuna*, pro *ut fortuna*. Unde conjectura ſic ſententiam totam refingo: *multo enim & firmior & conſtantior eſt* quam *fortuna: ut ipſa* (ſcilicet fortuna) *nonnunquam, tanquam mortalis cum immortali*, cum *natura pugnare videatur*. Video ab hac non multum Grævii conjecturam recedere: ſed in mea vulgatus ordo verborum magis ſervatur. Conjunctio *ut* idem valet quod *ita ut*; ſenſuſque loci hic eſt, Quoties fortuna cum natura (ut fit aliquando) pugnat, videtur impari certamine pugnare, quaſi mortalis homo cum immortali deo contenderet. *Pearcius*.

76 *Amicitias ſenſim diſſuere*] Eleganter & acute, *diſſuere*: ſed tamen veteres omnes libri *diluere*, habent; quod eſt extenuare. Sic colores, ſic vina diluuntur. Sic *unguenta lacrymis diluere* dixit Ovidius, *auctoritatem diluere* Seneca. Sed maxime ad hunc locum, quod Gellius priſcorum vocabulorum mirus ſectator libro XII. cap. I. *Vinculum*, inquit, *illud coaguiumque animi atque amoris, quo parentes cum filiis natura conſociat, interſcindunt, aut certe quidem diluunt deteruntque*. Ubi *deterunt* eadem metaphora dixit, nempe a pictoribus colores terentibus. Ut Horatius, *Culpa deterere ingenii*, id eſt imminuere. *Lang.*

cidere. Commutato autem genere vitæ, omni ratione curandum est, ut id bono consilio fecisse videamur.

Sed quoniam paulo ante dictum est, imitandos esse majores: primum illud exceptum sit, ne vitia sint imitanda: deinde, si natura non feret, ut quædam imitari possint, ut superioris Africani filius, qui hunc Paulo natum adoptavit, propter infirmitatem valetudinis non tam potuit patris similis esse, quam ille fuerat sui [77]: si igitur non poterit sive causas defensitare, sive populum concionibus tenere, sive bella gerere: illa tamen præstare debebit, quæ erunt in ipsius potestate, justitiam, fidem, liberalitatem, modestiam, temperantiam, quo minus ab eo id, quod desit, requiratur. Optima autem hereditas a patribus traditur liberis, omnique patrimonio præstantior, gloria virtutis rerumque gestarum: cui dedecori esse, nefas & impium judicandum [78] est.

XXXIV. Et quoniam officia non eadem disparibus ætatibus tribuuntur, aliaque sunt juvenum, alia seniorum: aliquid etiam de hac distinctione dicendum est. Est igitur adolescentis, majores natu vereri: exque his deligere optimos & probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur. Ineuntis enim ætatis inscientia senum constituenda & regenda prudentia est. Maxime autem hæc ætas a libidinibus arcenda est, exercendaque in labore patientiaque & animi, & corporis: ut eorum & in bellicis, & in civilibus officiis vigeat industria. Atque etiam cum relaxare animos, & dare se jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ, quod erit facilius, si in ejusmodi quidem rebus majores natu interesse [79] velint.

Seni-

77 *Si igitur*] Schema est, per quod verborum constructio mutatur, servata sententia: *ἀνακόλουθον* vocant. Legere malim, *siquis igitur*; nec aliter scripsisse Ciceronem puto. *Facc.*

78 *Nefas & vitium judicandum*] Quam male *vitium* cum *nefas* jungatur, vident omnes, qui aut præceptis rhetorum sunt imbuti, aut recte loquentium usum & consuetudinem in consilium adhibent. Vitium enim est infra nefas. Itaque clarissimus Gruterus bene notavit, se vix se continere potuisse, quin deleto illo *vitium* intulerit *impium*, quia id repererit in primo Palatino. Cum vero *impium* quoque in meo primo conspiciatur, nullus dubitavi id reponere. *Grævius.*

79 *Majores natu interesse*] Hoc ex instituto Lycurgi observabatur in Lacedæmoniorum republica, & faciendum præscribit Plato II. de Legibus. Nam Seneca epist. 25. bene dicit: *Omnia nobis mala solitudo persuadet*,

Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendæ videntur. Danda vero opera, ut & amicos, & juventutem, & maxime rempublicam consilio & prudentia quam plurimum adjuvent. Nihil autem magis cavendum est senectuti, quam ne languori se desidiæque dedat. Luxuria vero cum omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est. Sin autem libidinum etiam intemperantia accesserit, duplex malum est, quod & ipsa senectus concipit dedecus, & facit adolescentium impudentiorem intemperantiam.

Ac ne illud quidem alienum est, de magistratuum, de privatorum, de civium, de peregrinorum officiis dicere [80]. Est igitur proprium munus magistratus, intelligere, se gerere personam civitatis, debereque ejus dignitatem & decus sustinere, servare leges, jura describere [81], ea fidei suæ commissa meminisse. Privatum autem oportet æquo & pari cum civibus jure vivere, neque summissum & abjectum, neque se efferentem: tum in republica ea velle, quæ tranquilla & honesta sint. Talem enim & sentire bonum civem, & dicere solemus. Peregrini autem & incolæ officium est, nihil præter suum negotium agere, nihil de alieno anquirere, minimeque in aliena esse republica curiosum. Ita fere officia reperientur,

cum

det. Et ep. 11. *Magna pars peccatorum tollitur, si peccatori testis adsistat*. Ceterum hic locus in antiquis libris varie legitur. In nonnullis est: *Si ejusmodi quidem in rebus majores natu nolint interesse*. Unde conjicit Lambinus: *non nolint interesse*. Pith. & Græv. prim. *Si in ejusmodi quidem rebus majores natu interesse volent*. Et sic fere Palat. prim. quos sequor. *Idem*.

80 *De magistratuum, de privatorum*, de civium, *de peregrinorum officiis dicere*.] Mss. Laud. & Mert. pr. omittunt vocem *civium*: Bodl. vero secundus vocem *de*. Ego utramque delendam esse censeo, ut legatur *de magistratuum, de privatorum, de peregrinorum officiis dicere*. Voces *de civium* videntur interpretamento fuisse vocum *de privatorum*: de tribus enim solum generibus personarum Cicero in sequente capitis parte agit; & de secundo sic dicit, *Privatum autem oportet æquo & pari cum civibus jure vivere*: ubi post vocem *privatum* non inferitur vox *civem*, quamvis ea (ut & hic *civium*) subintelligenda esse videatur. *Pearcius*.

81 *Jura describere*] Non est leges ferre, seu condere, sed jus suum cuique tribuere, jus dicere. Cic. v. in Verrem, cap. 11. *Eadem lectica usque in cubiculum deferebatur. Eo veniebant Siculorum magistratus, veniebant equites Romani, id quod ex multis juratis audistis. Controversiæ secreto deferebantur: paulo post palam decreta auferebantur. Deinde ubi paulisper in cubiculo pretio, non æquitate jura descripserat, Veneri jam & Libero reliquum tempus deberi putabat*. Et pro Quint. *Quis tandem nobis ista jura tam æqua describit? quis hoc statuit, quod æquum sit in Quintium, id iniquum esse in Nævium?* Describere enim est ordinare, distribuere. Cic. de lege agraria: *Duodecim describit in singulos homines jugera*. Lib. xii. ad Fam. epist. 1. *Tabulæ figuntur, immunitates dantur, pecuniæ maximæ describuntur*. Grævius.

cum quæretur, quid deceat, & quid aptum sit personis, temporibus, ætatibus. Nihil est autem, quod tam deceat, quam in omni re gerenda, consilioque capiendo servare constantiam.

XXXV. Sed quoniam [82] decorum illud in omnibus factis & dictis, in corporis denique motu & statu cernitur, idque positum est in tribus rebus, formositate, ordine, ornatu ad actionem apto: [83] difficilius ad eloquendum [84]: sed satis erit intelligi [85]. In his autem tribus continetur cura etiam illa, ut probemur iis, quibuscum, apud quosque vivamus. His quoque de rebus pauca dicantur.

Principio, corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem: quæ formam nostram, reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu: quæ autem partes corporis ad naturæ necessitatem datæ, adspectum essent deformem habituræ atque turpem, eas contexit, atque abdidit. Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia. Quæ enim natura occultavit, eadem omnes, qui sana mente sunt, removent ab oculis: ipsique necessitati dant operam ut quam occultissime pareant: quarumque partium corporis usus sunt necessarii, eas neque partes, neque earum usus suis nominibus appellant: quodque facere turpe non est, modo occulte; id dicere obscœnum est. Itaque nec aperta actio rerum illarum petulantia vacat * nec orationis obscœnitas. Nec vero audiendi sunt Cynici, aut si

82 *Decorum illud*] Vox *illud* videtur redundare, & omittitur in aliquo codice: sed tamen habetur etiam paullo infra. Significat autem decorum illud, de quo loquimur. *Facc.*

83 *Difficiliue*] Ita vulgo legitur: minus tamen recte. Legendum *difficilibus*, rebus scilicet difficilibus ad explicandum: sed satis est, inquit, eas intelligi. *Facc.*

84 *Difficilius ad eloquendum*] Ista non bene cohærent cum præcedentibus. Pet. Victorius edidit: *difficilius ad eloquendum est*; sed sic quoque aspera & hiulca est oratio, nec pro illa facilitate & suavitate Tulliana se habet. Eam vero duritiem tollit meus primus & optimus codex. *Difficilius ad eloquendum rebus* in eo extat, quod & Gruterus reperit in Palat. primo, & editione Romana anni CCCCLXXI, ut plane probem Gruteri sententiam, legendum esse *difficillibus ad eloquendum*, & respici *rebus*, quod præcesserat, repetitum esse a librariis. *Grævius.*

85 *Satis erit intelligi*] Ambrosius lib. 1. Officiorum cap. 19. ita scribit: *Unde Tullius etiam ordinem putat in illo decore servari oportere, idque positum dicit in formositate, ordine, ornatu ad actionem apto, quæ difficile ait loquendo explicari posse, & ideo satis esse intelligi*. Quæmadmodum autem hic dicitur, *difficilius ad eloquendum*, sic in Oratore legitur, *Quo est ad inveniendum difficilior in oratione numerus, quam in versibus*. Fabritius.

* Man. Grut. *nec oratio obscœnitate*.

qui fuerunt Stoici pæne Cynici [86], qui reprehendunt, & irrident, quod ea, quæ turpia re non ſint, nominibus ac verbis flagitioſa ducamus; illa autem, quæ turpia ſint, nominibus appellemus ſuis. Latrocinari, fraudare, adulterari, re turpe eſt: ſed dicitur non obſcœne: liberis dare operam, re honeſtum eſt, nomine obſcœnum: pluraque in eam ſententiam ab eiſdem contra verecundiam diſputantur. Nos autem naturam ſequamur, & ab omni, quod abhorret ab oculorum auriumque approbatione, fugiamus.

Status, inceſſus, ſeſſio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus, teneant illud decorum.

Quibus in rebus duo maxime ſunt fugienda; ne quid effœminatum, aut molle, & ne quid durum, aut ruſticum ſit. Nec vero hiſtrionibus oratoribuſque concedendum eſt, ut iis hæc apta ſint, nobis diſſoluta. Scenicorum quidem mos tantam habet veteri diſciplina verecundiam, ut in ſcenam ſine ſubligaculo prodeat nemo. Verentur enim, ne, ſi quo caſu evenerit ut corporis partes quædam aperiantur, adſpiciantur non decore. Noſtro quidem more cum parentibus puberes filii, cum ſoceris generi non lavantur. Retinenda eſt igitur hujus generis verecundia, præſertim natura ipſa magiſtra & duce.

XXXVI. Cum autem pulchritudinis duo genera ſint, quorum in altero venuſtas ſit, in altero dignitas: venuſtatem, muliebrem ducere debemus; dignitatem, virilem. Ergo & a forma removeatur omnis viro non dignus ornatus: & huic ſimile vitium in geſtu motuque caveatur. Nam & palæſtrici motus [87] ſæpe ſunt odioſiores; & hiſtrionum nonnulli [88] ge-

86 *Aut ſi qui fuerunt Stoici pæne Cynici*] Fuerunt enim Stoici, qui τὸν κυνισμὸν, id eſt Cynicorum rationem atque vitam probaverunt. De quibus Cicero extremo libro tertio de Finibus, & Laertius lib. 7. Eſt quoque apud Arrianum caput περὶ κυνισμοῦ, lib. III. cap. 22. *Fabrit.* Hinc Stoicorum dogmata tunica tantum a Cynicis diſtare Juven. Satyr. III. ait, hoc eſt ſolo habitu a Stoicis differre, cum dogmata fere habeant eadem. *Grævius.*

87 *Palæſtrici motus*] In palæſtris docebantur, & brachia, & totum corpus movere decore ad leges, numeroſque. Hinc Horat. lib. I. de Mercurio:

Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſti catus, & decoræ
More palæſtræ.

Tu primus docuiſti homines eleganti more ac ratione luctari, cum antea luctæ eſſent inconditæ & inſulſæ. Hinc *palæſtra* pro ipſa ratione quadam eleganti. Cic. de perfecto Oratore: *Ut athletas, nec multo ſecus gladiatores videmus nihil nec vitando facere, nec peten-*

[88] gestus inepti non vacant offensione: & in utroque genere, quæ sunt recta & simplicia, laudantur. Formæ autem dignitas, coloris bonitate tuenda est: color, exercitationibus corporis. Adhibenda est præterea munditia non odiosa, neque exquisita nimis; tantum quæ fugiat agrestem & inhumanam negligentiam. Eadem ratio est habenda vestitus: in quo (sicut in plerisque rebus) mediocritas optima est.

Cavendum est autem, ne aut tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur [89], aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates; quæ cum fiunt, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna significatio fit, non adesse constantiam. Sed multo etiam magis elaborandum est, ne animi motus a natura recedant: quod assequemur, si cavebimus, ne in perturbationes atque exanimationes incidamus; [90] & si attentos animos ad decori conservationem tenebimus. Motus autem animorum duplices sunt; alteri, cogitationis; alteri, appetitus. Cogitatio in vero exquirendo maxime versatur: appetitus impellit ad agendum. Curandum est igitur, ut cogitatione ad res quam optimas utamur: appetitum rationi obedientem præbeamus.

XXXVII. Et quoniam magna vis orationis est, eaque duplex: altera, contentionis; altera, sermonis: contentio disceptationibus tribuatur judiciorum, concionum, senatus: ser-

petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palæstram quandam. Sic in 1. de Legibus: *Fannii autem ætati conjunctus Antipater paulo inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem atque horridas, sine nitore & palæstra*. Qui sunt autem palæstrici motus eleganter docet Quintil. lib. 11. Institut. *Ne illos quidem reprehendendos putem, qui paulum etiam palæstricis vacaverint*. Nimirum ut paulo post dicit, *ut recta sint brachia, ne indoctæ rusticæve manus, ne status indecorus, ne qua in proferendis pedibus inscitia, ne caput oculique ab alia corporis inclinatione dissideant*. Vide ibi plura. Quod olim palæstra, hoc nunc docet orchestra. *Grævius*.

88 *Gestus inepti*] Si gestus sunt inepti, quid mirum, quod offendant? Legendum *ineptiis non vacant*, omissa *offensione*. Facc.

89 *Ut pomparum ferculis similes esse videamur*] In quibus sacra & simulacra lentissimo incessu circumferebantur. Horat. lib. 1. Sat. 3.

Sæpe velut qui
Currebat fugiens hostem, persæpe velut qui
Junonis sacra ferret. Erasmus.

90 *Et si attentos animos &c.*] Cum proxime *animum* singulari numero dixerit, constructionis ratio poscebat, *animumque ipsum attentum &c.* Præterquamquod monitum nimis commune est, nec sine idiotismo expressum: ac proinde inter suspecta refero. Videtur, ut alia multa, ex margine traductum. *Facc.*

mo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium versetur: persequatur etiam convivia. Contentionis præcepta rhetorum sunt; nulla sermonis: quanquam haud scio, an possint hæc quoque esse. Sed discentium studiis inveniuntur magistri: huic autem qui studeant, sunt nulli: rhetorum turba referta omnia: quanquam quæ verborum sententiarumque præcepta sunt, eadem ad sermonem pertinebunt.

Sed cum orationis indicem vocem habeamus; in voce autem duo sequamur, ut clara sit, ut suavis: utrumque omnino a natura petendum est: verum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio presse loquentium [91], & leniter. Nihil aliud fuit in Catulis, ut eos [92] exquisito judicio putares uti literarum: quanquam erant literati: sed & alii [93]. Hi autem opti-

91 *Presse loquentium*] Ita clare, ut omnes audiantur literæ, sed tanta lenitate, ut nullius aures offendant. Quint. lib. 11. 8. *Non satis est dicere presse tantum, aut subtiliter, aut aspere: non magis quam phonasco acutis tantum aut mediis, aut gravibus sonis, aut horum etiam particulis excellere*. In 111. de Orat. *Me*, inquit Cicero ad Catulum, *tuus sonus & suavitas illa delectat*, (nonnullis interpositis pergit) *hanc dico suavitatem, quæ exit ex ore: quæ quidem, ut apud Græcos, Atticorum, sic in Latino sermone, hujus est urbis maxime propria. Athenis diu doctrina Atheniensium interiit*, &c. *Tamen eruditissimos homines Asiaticos quivis Atheniensis indoctus, non verbis, sed sona vocis, nec tam bene, quam suaviter loquendo facile superabit. Nostri minus student literis, quam Latini. Tamen ex istis, quos nostis, urbanis, in quibus minimum est literarum, nemo est quin literatissimum togatorum omnium, Q. Valerium Soranum, lenitate vocis, atque ipso oris pressu ac sono facile vincat*. His qui presse loquuntur opponuntur ii, qui aut opprimunt literas, aut putide nimis rusticeque se exprimunt, ut statim dicet Cicero. *Grævius*.

92 *Nihil* aliud *fuit in Catulis, ut eos* &c.] Cum sex MSS. Oxon. deleo vocem *aliud*, quæ mihi videtur prorsus menti Ciceronis adversari. Sensus est (opinor) Nihil fuit, cur Catulos maxime literatos & doctos fuisse putares. Contrarium vero videtur vox *aliud* innuere; quasi colligi potuisset, ex eorum modo presse & leniter loquendi, eos fuisse maxime literatos. *Pearcius*.

93 *Quanquam erant literati, sed & alii*] Forte, *sed ut alii*: ut sensus sit, Non tam literati erant, ut non alios in ea re sibi æquales haberent. Censeo voces vulgatas, *sed & alii*, minus significare quam postulat sententia, cum mensuram & gradum eruditionis Catulorum non exprimant. *Idem*. Ut quod sentio dicam, est in duabus his doctissimi Pearcii annotationibus quod me angat. Non dicit Cicero Catulos fuisse habitos maxime literatos; sed existimatos esse *exquisito uti judicio literarum*. At videntur hæc differre: non enim si quis exquisito utitur judicio literarum, continuo est maxime doctus; neque sunt omnes Pearcii, utramque ut laudem conjungant. Vocem *aliud* puto non posse a phrasi abesse; nam hoc vult, ni fallor, Tullius: Nihil aliud præter suavitatem vocis, & pronuntiandi venustatem, in Catulis fuisse, cur putarentur *exquisito uti judicio literarum*. Tum quasi corrigens aut mollieus quod dixerat, subjungit: Non quod literati non fuerint; sed erant quoque alii tunc temporis, illa eadem ætate literati, de quibus tamen non eadem erat hominum opinio, *uti eos exquisito judicio literarum*. Cur vero eam non adepti sunt famam? Nimirum deerat illis illud *aliud*, quod in Catulis erat, *qui optime uti lingua Latina putabantur*. Otiosis liceat, & curiosis adire Janum Parrhasium in Quæsitis per epistolam: *epist.* 17. *Olivetus*.

optime uti lingua Latina putabantur. Sonus erat dulcis: literæ [94] neque expressæ, neque oppressæ [95], ne aut obscurum esset, aut putidum [96]. Sine contentione vox, nec languens, nec canora [97]. Uberior oratio L. Crassi, nec minus faceta: sed bene loquendi de Catulis opinio non minor. Sale vero & facetiis Cæsar [98], Catuli patris frater, vicit omnes: ut in ipso illo forensi genere dicendi contentiones aliorum sermone vinceret.

In omnibus igitur his elaborandum est, si in omni re, quid deceat, exquirimus. Sit igitur sermo, in quo Socratici ma-

94 *Neque expressæ*] Legendum censeo *expressæ nimis*. Particula autem *nimis*, quæ in multis editionibus invenitur ante *putidum*, huc est transferenda. Nulla abesse ratione potest: quia litteræ exprimi debent, ut Cicero ipse alibi monet, non tamen *putidius*, idest affectatius. *Face.*

95 *Literæ neque expressæ, neque oppressæ*] Quid sit *exprimere*, & *opprimere literas* optime docet Quintil. Instit. lib. 11. *In primis vitia, si qua sunt oris, emendet: ut expressa sint verba, ut suis quæque literæ sonis enuncientur. Quarumdam enim vel exilitate, vel pinguedine nimia laboramus: quasdam velut acriores parum efflamus, & aliis non dissimilibus, sed quasi hebetioribus permutamus.* Sequuntur ibi plura in hanc sententiam. *Gravius.*

96 *Aut putidum*] Quid sit *putidum* in pronuntiatione, docet Nonius Marcellus. *Putidum non solum ab ore fætido & gravi, quod naribus præbetur, sed & quod auribus triste, & insuave, austerum, & rancidum, id putidum dici posse auctoritas vetustatis asbuisit.* Repetiit hoc præceptum Cic. III. de Orat. c. 11. *Nolo exprimi literas putidius, nolo obscurari negligentius: nolo verba exiliter exanimata, nolo inflata, & quasi anhelata gravius.* Quod hic *putidum* dicit, in sequente capite vocat *aspere, vaste, rustice, hiulce loqui*, quibus opponit, *presse, æquabiliter, leniter*. Illudque putidum & asperum improbat in Cotta, cujus pronuntiationem *latam* vocat, ut qui jota literam tollat, & E *plenissimum* dicat, ideoque videri non oratores antiquos, sed messores imitari, propter rusticam illam scilicet illarum literarum expressionem. Apud Quintilian. lib. I. cap. 11. alia exempla invenies. *Idem.*

97 *Sine contentione vox nec languens, nec canora*] Nec torpens, nec tinnula. Bene autem Cicero dixit, *sine contentione* vocem non debere esse canoram: nam in oratore illa probatur. In Bruto enim dicit: *Canorum oratorem concursus hominum forique strepitus desiderat*. In Hortensio talem vocem laudavit idem: *Vox canora & suavis, motus & gestus etiam plus artis habebat*. Hinc musicen utilem oratori esse ostendit Quintilian. lib. x. Sed tamen studendum summopere, ne oratio fiat deforme canticum, neve frangatur in effœminatam & scenicam pronuntiationem. Quintil. xi. 3. cum de vitiis pronuntiationis variis egisset, addit: *Quodcumque ex his vitium magis tulerim, quam quo nunc maxime laboratur in caussis omnibusque scholis, cantandi: quod inutilius sit an fœdius, nescio. Quid enim minus oratori convenit, quam modulatio scenica & nonnunquam ebriorum aut comessantium licentiæ similis?* Sed hæc uberius ibi persequitur. Laborabant hoc vitio sophistæ in Græcia in primis, ut videre licet ex Philostrato. *Idem*. Uberius etiam Cressolius in suo Rhetorum Theatro.

98 *Cæsar*] De quo supra, cap. 30. & in Bruto, cap. 48. Hunc, Lucii filium, Catuli patris fratrem fuisse manifestum fit ex lib. II. de Orat. cap. 3. *Postero igitur die quam illa erant acta, hora fere secunda, cum etiam tum in lecto Crassus esset, & apud eum Sulpitius sederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repente eo Q. Catulus senex cum C. Julio fratre venit*. Betuleius. Fratres apud Romanos dicti fuerunt non modo qui iisdem parentibus, sed & qui fratribus, & qui fratre ac sorore nati erant, ut de Metellis & Clodiis in Ciceronis historia demonstravi. *Fabric.*

maxime excellunt, lenis, minimeque pertinax: insit in eo lepos. Nec vero, tanquam in possessionem suam venerit, excludat alios: sed cum reliquis in rebus, tum in sermone communi, vicissitudinem non iniquam putet. Ac videat in primis, quibus de rebus loquatur: si seriis, severitatem adhibeat; si jocosis, leporem. In primisque provideat, ne sermo vitium aliquod indicet inesse in moribus: quod maxime tum solet evenire, cum studiose de absentibus detrahendi causa, aut per ridiculum, aut severe, maledice, contumeliose que dicitur.

Habentur autem plerumque sermones aut de domesticis negotiis, aut de republica, aut de artium studiis atque doctrina. Danda igitur opera est, ut etiam si aberrare ad alia cœperit, ad hæc revocetur oratio: sed, utcumque [a] aderunt [99]: neque enim omnes iisdem de rebus, nec omni tempore, nec similiter delectamur [1]. Animadvertendum est etiam, quatenus sermo delectationem habeat: &, ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus.

XXXVIII. Sed quomodo in omni vita rectissime præcipitur, ut perturbationes fugiamus, id est, motus animi nimios, rationi non obtemperantes: sic ejusmodi motibus sermo debet vacare, ne aut ira exsistat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignavia, aut tale aliquid appareat. Maximeque curandum est, ut eos, quibuscum sermonem conferemus, & vereri,

a Vict. Man. Grut. *aderunt res*.

99 *Sed, utcumque aderunt*] *Utcumque aderunt*, in omnibus libris reperio scriptum: id est cuicuimodi homines. Adverbium loco nominis. Terent. *sic homo est; ita homo est*. Locus hic turpiter erat maculatus. *Langius*. Plerique ediderunt, *utcumque aderunt res*: quod ultimum non est delendum, sententia postulante. Ultima syllaba præcedentis vocis videtur hanc voculam absorpsisse. Verba quæ sequuntur quasi in parenthesi sunt posita. Sententia hæc est, Qualescumque res erunt, de quibus loquimur, (non enim semper de iisdem rebus loqui placet) opera est danda, ne modum excedamus, & iis, quibuscum loquimur, fastidium & molestiam moveamus. Videndum quousque oratio nostra placeat audientibus. Quemadmodum considerandum est, antequam incipiamus loqui, ne aures aliorum offendamus, sic & in finiendo sermone nobis erit curæ, ne nimii simus, & nimia prolixitate de eodem argumento simus aliis odio. In primis videndum, quibuscum sermones serimus. Nam velle apud nautas de re rustica loqui, aut apud milites de navibus, & instrumento nautico, ineptum esset. Itaque ad eorum ingenium est accommodandus sermo, cum quibus seritur. *Gravius*.

1 *Nec omni tempore*, nec *similiter delectamur*] Ms. Cant. omittit conjunctionem *nec* ante *similiter*; quam & omittendam esse arbitror, ut legamus, *nec omni tempore similiter delectamur*: id est, res, quæ nos delectant, non semper nos eodem modo delectant. *Pearcius*.

ri, & diligere videamur. Objurgationes etiam nonnunquam incidunt neceſſariæ, in quibus utendum eſt fortaſſe & vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore. Id agendum etiam, ut ne ea facere videamur irati: ſed, ut ad urendum & [a] ſecandum, ſic & ad hoc genus caſtigandi, raro invitique veniemus: nec unquam, niſi neceſſario, ſi nulla reperietur alia medicina: ſed tamen ira procul abſit, cum qua nihil recte fieri, nihil conſiderate poteſt.

Magna autem ex parte clementi caſtigatione licet uti, gravitate tamen adjuncta, ut & ſeveritas adhibeatur, & contumelia repellatur. Atque etiam illud ipſum, quod acerbitatis habet objurgatio, ſignificandum eſt, ipſius cauſa, qui objurgetur, ſuſceptum eſſe. Rectum eſt autem, etiam in illis contentionibus, quæ cum inimiciſſimis fiunt, etiam ſi nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam repellere. Quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec conſtanter fieri poſſunt, neque iis, qui adſunt, probari. Deforme etiam eſt de ſe ipſo prædicare, falſa præſertim, & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum.

XXXIX. Et quoniam omnia perſequimur, (volumus quidem certe) dicendum eſt etiam, qualem hominis honorati & principis domum placeat eſſe, cujus finis eſt uſus: ad quem accommodanda eſt ædificandi deſcriptio: & tamen adhibenda dignitatis commoditatiſque diligentia. Cn. Octavio [2], qui primus ex illa familia conſul factus eſt, honori fuiſſe accepimus, quod præclaram ædificaſſet in Palatio, & plenam dignitatis domum: quæ cum vulgo viſeretur, ſuffragata domino, novo homini [3], ad conſulatum putabatur. Hanc Scaurus demolitus, acceſſionem adjunxit ædibus. Itaque ille in ſuam domum conſulatum primus attulit: hic ſummi & clariſſimi viri filius [4], in

a Man. Lamb. *ſecandum medici; ſic*

2 *Cn. Octavio*] De Perſe rege Macedoniæ triumphavit poſt præturam, ſed navali triumpho. Conſul fuit anno U. C. DXXCIIX. De hoc etiam Cicero Philippic. IX. *Cn. Octavii clari & magni viri, qui primus in eam familiam, quæ poſtea viris fortiſſimis floruit, attulit conſulatum, ſtatuam videmus in Roſtris: nemo enim novitati invidebat, nemo virtutem non honorabat*. Grævius.

3 *Novo homini*] Non *novus* dicitur Octavius, quatenus reſpicitur familiæ origo, quam jamdudum Numa civitate donaverat: ſed quod ante id tempus majores nullum magiſtratum populi ſuffragio datum geſſerant. *Anonymus*.

4 *Hic ſummi & clariſſimi viri filius*] M. Æmi-

in domum multiplicatam, non repulsam solum retulit, sed ignominiam, etiam calamitatem. Ornanda est enim dignitas domo, non ex domo dignitas tota quærenda: nec domo dominus, sed domino domus honestanda est. Et ut in cæteris habenda ratio non sui solum, sed etiam aliorum: sic in domo clari hominis, in quam & hospites multi recipiendi, & admittenda hominum cujusque modi multitudo, adhibenda est cura laxitatis. Aliter ampla domus dedecori domino sæpe fit, si est in ea solitudo, & maxime, si aliquando alio domino solita est frequentari. Odiosum est enim, cum a prætereuntibus dicitur:

O domus antiqua, heu quam dispari dominare domino!

quod quidem his temporibus in multis licet dicere.

Cavendum autem est, præsertim si ipse ædifices, ne extra modum sumptu & magnificentia prodeas: quo in genere multum mali etiam in exemplo est. Studiose enim plerique, præsertim in hanc partem, facta principum imitantur: ut L. Luculli, summi viri, virtutem quis, at quam multi villarum magnificentiam imitati sunt? quarum quidem certe est adhibendus modus, ad mediocritatemque revocandus: eademque mediocritas ad omnem usum cultumque vitæ transferenda est. Sed hæc hactenus.

[5] In omni autem actione suscipienda, tria sunt tenenda: primum, ut appetitus rationi pareat; quo nihil est ad officia conservanda accommodatius: deinde, ut animadvertatur, quanta illa res sit, quam efficere velimus; ut neve major, neve minor cura & opera suscipiatur, quam causa postulet: tertium est, ut caveamus, ut ea, quæ pertinent ad liberalem speciem & dignitatem [6], moderata sint. Modus autem est optimi-

Æmilii Scauri, principis senatus & triumphalis viri, cujus gravitas & abstinentia mirifice prædicatur ab omnibus. *Grævius*.

5 *In omni autem actione suscipienda*] Quomodo cohærent hæc? suntne Ciceronis? Si enim conjungenda sunt cum postremis verbis capitis superioris, non habent locum illa, *Sed hæc hactenus*. Quicumque sit auctor, per quamdam veluti epitomen colligit in tria capita, quæ hactenus de ornatu ad actionem apto sunt explicata, vel explicata fuisse putat. *Facc.*

6 *Ad liberalem speciem, & dignitatem*] Liberalitatem hic Cicero vocat sumptum & magnificentiam qua utimur in iis quæ pertinent ad cultum vitæ. *Species* autem & *dignitas* est externa pompa, splendor, ornatus, qui in cultu & alio paratu in oculos hominum incurrit. *Grævius*.

ptimus, [7] decus ipsum tenere, de quo ante diximus, nec progredi longius. Horum tamen trium præstantissimum est, appetitum obtemperare rationi.

XL. Deinceps de ordine rerum, & temporum opportunitate dicendum est. Hac autem scientia continetur ea, quam Græci εὐταξίαν nominant: non hæc, quam interpretamur modestiam; quo in verbo modus inest: sed illa est εὐταξία, in qua intelligitur ordinis conservatio. Itaque, ut eandem nos modestiam appellemus, sic definitur a Stoicis, ut modestia sit scientia earum rerum, quæ agentur, aut dicentur, loco suo collocandarum [8]. Itaque videtur eadem vis ordinis & collocationis fore. Nam & ordinem sic definiunt, compositionem rerum aptis & accommodatis locis. [9] Locum autem actionis, opportunitatem temporis esse dicunt. Tempus autem actionis opportunum, Græce εὐκαιρία, Latine appellatur *occasio*. Sic fit, ut modestia hæc, quam ita interpretamur, ut dixi, scientia sit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum.

Sed potest eadem esse prudentiæ definitio [10], de qua principio diximus. Hoc autem loco de moderatione, [11] & temperan-

7 *Decus ipsum tenere*] Decorum, non *decus* dicendum videbatur, quemadmodum hactenus dixit. Decus enim significat honestatem, ut in lib. 3. c. XVII. vel cum honestate conjungitur, ut in lib. 1. c. IV. tametsi discrimen est aliquod inter utramque vocem, ut inter honestum & decorum, quod magis intelligi, quam explicari potest. Cui porro satis probatur hæc loquendi ratio, *modus est optimus tenere decus?*

8 *Modestia sit scientia earum rerum, quæ agentur, aut dicentur, loco suo collocandarum*] Duplicem Cicero facit modestiam, ut annotavit Isaac. Casaubonus ad Theophrasti Characteres, de hoc loco disputans: alteram in qua modus spectatur, ea est μετριότης: alteram, in qua ordinis est conservatio, ea est Stoicorum εὐταξία. Neque dubium est Ciceronem duabus dictionibus fuisse usurum, si potuisset, hoc est, si tulisset Latini sermonis paupertas. Non tamen soli Stoici sic definierunt εὐταξίαν, sed Andronicus Rhodius Peripateticus, qui ubi de σωφροσύνῃ agit, subjicit: εὐταξία ἐπιστήμη καταχωρητικὴ πράξεως. Non potuit rotundius vis Græcorum verborum exprimi, ut hic fecit Cicero, cum dixit *scientiam esse earum rerum, quæ aguntur, aut dicuntur, suo loco collocandarum*. Adjicit Andronicus & aliam definitionem: ἢ περὶ τὰς πράξεις ἔχουσα τὸ βέβαιον. Alludit horsum Tullius: *Talis est igitur*, ait, *ordo actionum adhibendus, ut quemadmodum in oratione constanti, sic in vita omnia sint apta inter se, & convenientia*. Grævius.

9 *Locum autem actionis*] Locus actionis est ipsum actionis tempus; & loco agere aliquid, vel agere in loco, est agere pro temporis ratione & opportunitate. *Facc.*

10 *Sed potest eadem esse prudentiæ definitio*] Quia rationem ostendit, qua quidque faciendum sit. Itaque prudentiæ nomine virtutes omnes Socrates intelligit. Et Plato in Legibus *prudentiam* oculum, *justitiam* pulchritudinem, *temperantiam* sanitatem, *fortitudinem* manum animi virtute instructi eleganter nuncupat. *Grævius*.

11 *Temperantia*] Hæc princeps est hujus classis virtus: & hanc ipsam ordinem vocat Alcinous de doctrina Platonis cap. 21. quatenus in eo, qui temperans est, appetitus paret, & ratio imperat, pro naturali harum facultatum constitutione atque ordine. *Facc.*

perantia, & harum ſimilibus virtutibus quærimus. Itaque, quæ erant prudentiæ propria, ſuo loco dicta ſunt. Quæ autem harum virtutum, de quibus jamdiu loquimur, quæ pertinent ad verecundiam, & ad eorum approbationem, quibuſcum vivimus, nunc dicenda ſunt.

Talis eſt igitur ordo actionum adhibendus, ut, quemadmodum in oratione conſtanti, ſic in vita omnia ſint apta inter ſe, & convenientia. Turpe eſt enim, valdeque vitioſum, in re ſevera convivii dicta, aut delicatum aliquem inferre ſermonem. Bene Pericles, cum haberet collegam in prætura Sophoclem [13] poetam, hique de communi officio conveniſſent, & caſu formoſus puer præteriret, dixiſſetque Sophocles, O puerum pulchrum, Pericle! *At enim prætorem, Sophocle, decet non ſolum manus, ſed etiam oculos abſtinentes habere*. Atqui hoc idem Sophocles ſi in athletarum probatione dixiſſet, juſta reprehenſione caruiſſet. Tanta vis eſt & loci, & temporis. Ut ſi quis, cum cauſam ſit acturus, in itinere, aut in ambulatione ſecum ipſe [14] meditetur, aut ſi quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur: at hoc idem ſi in convivio faciat, inhumanus videatur, inſcientia temporis.

Sed ea, quæ multum ab humanitate diſcrepant, ut, ſi quis in foro cantet, aut ſi qua eſt alia magna perverſitas, facile apparent, nec magnopere admonitionem & præcepta deſiderant. Quæ autem parva videntur eſſe delicta, neque a multis intelligi poſſunt, ab iis eſt diligentius declinandum. Ut in fidibus, aut in tibiis, quamvis paulum diſcrepent, tamen id a ſciente animadverti ſolet: ſic videndum eſt in vita, ne forte quid diſcrepet; vel multo etiam magis, quo major & melior actionum, quam ſonorum concentus eſt.

XLI. Itaque, ut in fidibus muſicorum aures vel minima ſentiunt; ſic nos, ſi acres ac diligentes eſſe volumus, animadverſoreſque vitiorum, magna ſæpe intelligemus ex parvis. Ex ocu-

13 *Cum haberet collegam in prætura Sophoclem*] Periclis in Prætura collega Sophocles fuit bello Samio, ut Strabo lib. 14. ſcribit. Hoc autem bellum Periclis ductu & auſpiciis geſtum ab Athenienſibus fuit anno quarto Olymp. xxciv. de quo Diodorus lib. xii. & Plutarchus in Pericle. *Fabritius*.

14 *Meditetur*] Tacito murmure ſecum loquatur. *Facc.*

oculorum obtutu, ex ſuperciliorum aut remiſſione, aut contractione, ex mœſtitia, ex hilaritate, ex riſu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex ſubmiſſione, ex cæteris ſimilibus, facile judicabimus, quid eorum apte fiat, quid ab officio naturaque diſcrepet. Quo in genere non eſt incommodum, quale quodque eorum ſit, ex aliis judicare: ut ſi quid dedeceat in aliis, vitemus ipſi. Fit enim neſcio quo modo, ut magis in aliis cernamus: quam in nobiſmet ipſis, ſi quid delinquitur. Itaque facillime corriguntur in diſcendo, quorum vitia imitantur, emendandi cauſa, magiſtri.

Nec vero alienum eſt, ad ea eligenda, quæ dubitationem afferunt, adhibere doctos homines, vel etiam uſu peritos, &, quid his de quoque officii genere placeat, exquirere. Major enim pars eo fere deferri ſolet, quo a natura ipſa deducitur. In quibus videndum eſt, non modo quid quiſque loquatur, ſed etiam, quid quiſque ſentiat, atque etiam, qua de cauſa quiſque ſentiat. Ut enim pictores, & ii, qui ſigna fabricantur, & vero etiam poetæ, ſuum quiſque opus a vulgo conſiderari vult; ut, ſi quid reprehenſum ſit a pluribus, id corrigatur: hique & ſecum, & cum aliis, quid in eo peccatum ſit, exquirunt: ſic aliorum judicio permulta nobis & facienda, & non facienda, & mutanda, & corrigenda ſunt.

Quæ vero more aguntur inſtitutiſque civilibus, de iis nihil eſt præcipiendum. Illa enim ipſa præcepta ſunt: nec quemquam hoc errore duci oportet, ut, ſi quid Socrates aut Ariſtippus contra morem conſuetudinemque civilem fecerint, locutive ſint [15], idem ſibi arbitretur licere. Magnis illi, & divinis bonis hanc licentiam aſſequebantur. Cynicorum vero ratio, tota eſt ejicienda: eſt enim inimica verecundiæ, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum.

15 *Ut ſi quid Socrates* aut *Ariſtippus contra morem ..... fecerint locutive ſint*] Cum verba *fecerint* & *locuti ſint* pluralis ſint numeri, legendum eſſe arbitror, Latinæ linguæ ratione poſtulante, *ut, ſi quid Socrates* & *Ariſtippus* &c. Nam, ſi cum vulgatis editionibus legamus *aut*, neceſſe videtur, ut ſequantur verba ſingularis numeri. Sic in Tuſc. diſp. V. 9. *ſed ſi Socrates* aut *Antiſthenes* diceret: &, *praclare, ſi Ariſto Chius*, aut *ſi Zeno Stoicus* diceret. *Pearcius*. Ne totus aſſentiar, facit Sanctii hæc animadverſio, *Minerv.* I. 18. *Omnes ſunt conjunctiones, etiamſi videantur disjungere*. Phraſis Ciceroniana, ut idem docet, ſic reſolvenda eſt: *Si quid Socrates fecerit, aut ſi quid Ariſtippus fecerit*. Numeri duo ſingulares in pluralem confluunt. *Olivetus*.

Eos autem, quorum vita perſpecta in rebus honeſtis atque magnis eſt, bene de republica ſentientes, ac bene meritos, aut merentes, ſicut aliquo honore aut imperio affectos obſervare & colere debemus: tribuere etiam multum ſenectuti: cedere iis, qui magiſtratum habebunt: habere delectum civis & peregrini: in ipſoque peregrino, privatimne, an publice venerit. Ad ſummum, ne agam de ſingulis, communem totius generis hominum conciliationem & conſociationem colere, tueri, ſervare debemus.

XLII. Jam de artificiis & quæſtibus, qui liberales habendi, qui ſordidi ſint, hæc fere accepimus. Primum improbantur ii quæſtus, qui in odia hominum incurrunt: ut portitorum, ut fœneratorum. Illiberales autem & ſordidi quæſtus mercenariorum, omniumque, quorum operæ, non quorum artes emuntur. Eſt enim illis ipſa merces auctoramentum ſervitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod ſtatim vendant: nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur. Nec vero quidpiam eſt turpius vanitate: opificeſque omnes in ſordida arte verſantur: nec enim quidquam ingenuum poteſt habere officina. Minimeque artes hæ probandæ: quæ miniſtræ ſunt voluptatum, *cetarii*, *lanii*, *coqui*, *fartores*, *piſcatores*, ut ait Terentius. Adde huc, ſi placet, unguentarios, ſaltatores, totumque ludum talarium [16].

Quibus autem artibus aut prudentia major ineſt, aut non mediocris utilitas quæritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honeſtarum, hæ ſunt iis, quorum ordini conveniunt, honeſtæ. Mercatura autem, ſi [17] tenuis eſt, ſordida

16 *Totumque ludum talarium*] Non quod talis aut alea ludere fuerit vetitum, & illicitum apud Romanos, ut quidam exiſtimant. Nam alea luſerunt etiam viri honeſtiſſimi, ut Auguſtus apud Suetonium in ejus vita cap. 71. & triſtis ille Cato, ut auctor eſt Plutarchus in ejus vita. Hinc ipſe dicit apud Ciceronem in libro de Senectute: *Nobis ſenibus ex luſionibus multis talos relinquant & teſſeras*. Sed tamen ludus talarius hic damnatur, & aleatores non ſolum in jure Romano fuerunt infames, ſed & in omnibus rebus publicis bene conſtitutis. Verum ſicut non infames ſunt *fœneratores*, qui uſuras legitimas paciſcuntur, nec *ſaltatores* infames, qui ſive ſacrorum, ſive animi cauſa non indecore ſaltant, ſic non ſunt infames qui oblectandi, non lucri cauſa aleam ludunt, quod Auguſtus apud Sueton. cap. 72. vocat *ſimpliciter* & *γεροντικῶς ludere*. Græv.

17 *Si tenuis*] v. g. qui emunt Patavii, quod vendant Patavii, & ſtatim vendant; ut ſupra dixit. Ital. *rivendugliolì*. Facc.

da putanda eſt: ſin magna & copioſa [18], multa undique apportans, multiſque ſine [19] vanitate impartiens, non eſt admodum vituperanda. Atque etiam, ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potius, ut ſæpe ex alto in portum, ſic ex ipſo portu ſe in agros poſſeſſioneſque contulerit, videtur jure optimo poſſe laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine, nihil libero dignius: de qua, quoniam in Catone majore ſatis multa diximus, illinc aſſumes, quæ ad hunc locum pertinebunt.

XLIII. Sed ab iis partibus, quæ ſunt honeſtatis, quemadmodum officia ducerentur, ſatis expoſitum videtur. Eorum autem ipſorum, quæ honeſta ſunt, poteſt incidere ſæpe contentio & comparatio; de duobus honeſtis utrum honeſtius: qui locus a Panætio eſt prætermiſſus [20]. Nam cum omnis honeſtas manet a partibus quatuor, quarum una ſit cognitionis: alte-

18 *Sin magna & copioſa*] Intelligit, quos Græci non ſimpliciter *ἐμπόρους*, ſed *μεγαλεμπόρους*, Latini *magnarios negotiatores*, ut Apulejus, qui per averſionem emunt, ac vendunt, non per partes. Nec ſic quidem magnopere laudandos eſſe, qui magnariam hanc mercaturam exercent, docet hic Cicero, niſi quæſtu abdicato, & catalyſi facta artis quæſtuariæ, ſeſe in agros conferant. Nimirum eo hæc recidunt, ut cum Platone & Ariſtotele ſentiat, agriculturam digniorem eſſe homine libero, & liberaliter educato, quam aliam artem quamlibet unde hominibus vita toleratur. Quod & ipſe fateor. Idemque judicium Gallorum noſtrorum, qui bono genere prognatis parum convenire mercaturam exiſtimant, ut nobilitate excedere ſit, eam colere, aut quamcumque ejus ſpeciem attingere. Et ſane nihil tam dedecet generoſum animum, quam fallere, decipere, ſimulare, ae mentiri. Quod adeo familiare eſt mercatoribus, ut congenitum videatur, & ſine his ſacra eorum conſtare vix videantur. Nobiliores noſtri in agris vivunt, & mercimonia ſic dedignantur, ut quo jure utimur, ſimul aliquis mercator & nobilis eſſe non queat. Quid enim illo hominum genere vanius, quid infidelius, aut mendaciloquum magis? Nec amicis, nec parentibus parcunt, dum rem faciant. Perjuria, fraudes, fallaciæ, offuciæ tela ſunt & machinæ, quibus opes amplificant ſuas, ut de minimis repente, immo de nihilo ad ſummum provolent. Merito ergo & qui claris eſſent natalibus, & dignitate aliqua conſpicui, immo & qui in re paulo lautiore, negotiari prohibentur lege Honorii ac Theodoſii, quam in codicem ſuum retulit Juſtinianus tit. de commerciis & mercatoribus. *Nobiliores*, inquit, *natalibus, & honorum luce, conſpicuiores, & patrimonio ditiores, pernicioſum urbibus mercimonium exercere prohibemus, ut inter plebejos & negotiatores facilius ſit emendi vendendique commercium*. Sic enim verba legis emendavimus ex ſcriptis codicibus, qui habent *conſpicuo ore*, pro *conſpicuiores*. Omnia enim hic enuntiata in comparandi gradu. At *conſpicuior* παράβλεπτος, ut *egregior*, & *idoneior* apud juriſconſultos. Ut nobiles autem hic & magiſtratu fungentes vel divites prohibentur mereaturis inſiſtere, ita mercatoribus ad ullam militiam adſpirare interdictum voluit Juſtinianus, leg. un. codicis, *Negotiatores ne militent*. Salmaſius.

19 *Sine vanitate*] Sine mendacio. *Facc.*

20 *Qui locus a Panetio eſt prætermiſſus*] Non mirum. Stoicis enim placebat peccata eſſe paria, ut notum eſt, & nullum eſſe medium inter virtutem & vitium. *Grævius.*

altera, communitatis: tertia, magnanimitatis: quarta, moderationis, hæ in deligendo officio sæpe inter se comparentur, necesse est.

Placet igitur, aptiora esse naturæ ea officia, quæ ex communitate, quam ea, quæ ex cognitione ducantur [21]: idque hoc argumento confirmari potest, quod, si contigerit ea vita sapienti, ut in omnium rerum affluentibus copiis, quamvis omnia, quæ cognitione digna sunt, summo otio secum ipse consideret & contempletur: tamen, si solitudo tanta sit, ut hominem videre non possit [22] excedat e vita. Princepsque omnium virtutum est illa sapientia, quam σοφίαν vocant: prudentiam enim, quam Græci φρόνησιν, aliam quandam intelligimus: quæ est rerum expetendarum fugiendarumque scientia. Illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum atque humanarum scientia [23]: in qua continetur [24] deorum & hominum communitas & societas inter ipsos. Ea si maxima est, ut est certe: necesse est, quod a communitate

21 *Officia, quæ ex communitate, quam ea, quæ ex cognitione ducantur.*] Hoc est, illa officia, quæ faciunt ad societatem humanam tuendam, quam quæ versantur in inquirendo vero. Et hoc nihil est certius. Superius in capite sexto id satis ostenderat: *veri investigandi studia a rebus gerundis abduci contra officium est.* Nodus in scirpo non est hic quærendus. *Idem.*

22 *Excedat e vita*] Hæc lectio communior est, sed nimio plus significat: mihi arridet *excidat a vita*, scilicet contabescat velut pars a suo corpore rescissa. Amittit enim potissimum vitæ bonum; nec ea vita dicenda est, sed βίος ἄβιος, ut eam vocat Aristoteles, *vita non vitalis*. Facc.

23 *Rerum est divinarum atque humanarum scientia.*] Per res divinas intelligit naturales, & illarum causas, uti non solum patet ex sequentibus, ubi docet exemplis cur ea quæ pertinent ad societatem hominum, præferenda sint iis, quæ pertinent ad communitatem, quæ est inter homines & deos; nominat enim cognitionem rerum naturæ, dinumerationem stellarum, mensuram magnitudinis mundi. Et sic veteres loquebantur. Seneca præfat. Quæst. Natural. *Hoc habet argumentum divinitatis suæ animus, quod illum divina delectant.* Quæ sint illa divina & in libris illis quæstionum naturalium ostendit, & in toto illo proœmio, nimirum naturæ contemplatio. Et hoc loquendi genus plane philosophorum gentilium plerorumque omnium sententiæ recte convenit, qui statuebant aut mundum esse Deum, aut Dei partem. Harum autem rerum scientiam, sapientiam vocat Cicero, in qua contineatur deorum & hominum communitas, sicut vocabulum sapientiæ varie usurpatur cum a Cicerone, tum ab aliis philosophis; humanarum autem rerum scientiam, quæ complectitur doctrinam societatis humanæ tuendæ. Sic hic Ciceronis locus intelligendus, male vexatus a doctis viris. *Grævius.*

24 *Deorum & hominum communitas*] Philosophi isti communitatis voce non homines modo, sed Deos quoque comprehendebant, quorum numine & providentia ita contineri rerum universitatem putabant, ut ne ipsi quidem excluderentur. *Mundum* (inquit Cicero lib. 3. de Fin. c. 19.) *censent regi numine deorum, eumque esse quasi communem urbem & civitatem hominum, & deorum.*

te ducatur officium, id esse maximum [25]. Etenim cognitio contemplatioque naturæ manca quodam modo atque inchoata sit, si nulla actio rerum consequatur. Ea autem actio in hominum commodis tuendi maxime cernitur. Pertinet igitur ad societatem generis humani. Ergo hæc [26] cognitioni anteponenda est: atque id optimus quisque re ipsa ostendit, & * judicat. Quis enim est tam cupidus in perspicienda cognoscendaque rerum natura, ut, si ei tractanti contemplantique res cognitione dignissimas, subito sit allatum periculum discrimenque patriæ, cui subvenire opitularique possit: non illa omnia relinquat atque abjiciat. etiam si dinumerare se stellas, aut metiri mundi magnitudinem posse arbitretur? Atque hoc idem in parentis, in amici re, aut periculo fecerit. Quibns rebus intelligitur, studiis officiisque scientiæ præponenda esse officia justitiæ, quæ pertinent ad hominum utilitatem: qua nihil homini esse debet antiquius.

XLIV. Atque illi, quorum studia vitaque omnis in rerum cognitione versata est, tamen ab augendis hominum utilitatibus & commodis non recesserunt. Nam & erudierunt multos, quo meliores cives, utilioresque rebus suis publicis essent: ut Thebanum Epaminondam Lysis Pythagoreus, Syracusium Dionem Plato, multique multos: nosque ipsi, quidquid ad rempublicam attulimus, (si modo aliquid attulimus) a doctoribus, atque a doctrina instructi ad eam, & ornati accessimus. Neque solum vivi atque præsentes studiosos discendi erudiunt, atque docent: sed hoc idem etiam post mortem monumentis lite-

25 *Quod a communitate ducatur officium, id esse maximum*] Maximum officium est, quod ducitur a sapientia, quæ maxima est & princeps omnium. Sola contemplatio rerum naturalium non est perfecta sine rerum actione. Homo enim ad duas res natus est, ad contemplandum & agendum. Officium maximum implet, si utrumque agit. Præstat tamen actio, quam contemplatio, cum illa pro communi hominum societate & utilitate suscipitur, quia vitæ humanæ plus prodest, quam rerum absconditarum scientia. Tales sapientes fuerunt ante Socratem philosophi omnes, sed quia inutilis censebatur esse vitæ humanæ illorum doctrina, ideo Socrates primus e cælo dicitur deduxisse philosophiam, qui de bonis & malis disputavit, & quæ supra nos, nihil ad nos pertinere dixit. *Gravius*. Hic porro Cicero insistit, quia Peripateticis, apud quos Filius instituebatur, *maxime placuit vitæ degendæ ratio quieta, in contemplatione & cognitione posita rerum*, ut est in lib. 5. de Fin. cap. 4. *Facc.*

26 *Cognitioni anteponenda &c.*] Ita vulgo legitur: sed non solet Cicero ita loqui. Nisi fallor, tota hæc conclusio, *Pertinet igitur &c.* adulterina est, aut legendum: *Pertinet igitur ad societatem generis humani, & cognitioni anteponenda est*. Facc.

* Man. Lamb. *indicat*.

literarum assequuntur. Nec enim locus ullus prætermissus est ab iis, qui ad leges, qui ad mores, qui ad disciplinam reipublicæ pertineret: ut otium suum ad nostrum negotium contulisse videantur. Ita illi ipsi doctrinæ studiis & sapientiæ dediti, ad hominum utilitatem suam intelligentiam prudentiamque potissimum conferunt. Ob eamque causam eloqui copiose, modo prudenter, melius est, quam vel acutissime sine eloquentia cogitare: quod cogitatio in se ipsa vertitur, eloquentia complectitur eos, quibuscum communitate juncti sumus.

Atque ut apum examina non fingendorum favorum causa congregantur, sed, cum congregabilia natura sint, fingunt favos: sic homines, ac multo etiam magis, natura congregati, adhibent agendi cogitandique solertiam [27]. Itaque nisi ea virtus, quæ constat ex hominibus tuendis, id est, ex societate generis humani, attingat cognitionem rerum, solivaga cognitio, & jejuna videatur [28]. Itemque magnitudo animi, remota communitate conjunctioneque humana, feritas sit quædam & immanitas. Ita fit, ut vincat cognitionis studium consociatio hominum, atque communitas.

Nec [29] verum est, quod dicitur a quibusdam, propter necessitatem vitæ, quod ea, quæ natura desideraret, consequi sine aliis, atque efficere non possemus, idcirco istam esse cum hominibus communitatem & societatem. Quod si omnia nobis, quæ ad victum cultumque pertinent, quasi [30] virgula divina,

27 *Itaque nisi &c.*] Si periodus hæc ante superiorem transferatur, aptius cohærebit oratio; quod cuilibet attente consideranti facile erit ad intelligendum. *Facc.*

28 *Itemque magnitudo &c.*] Membrum hoc addidere Grammatici, ne fortitudinis virtus in hac comparatione videretur omissa. Tum, ne hians esset oratio, alterum quoque membrum affinxerunt. Sed in hac comparatione, ut dixi, fortitudo non separatur ab justitia, sine qua furor est: utraque autem nomine uno actionis continetur. *Facc.*

29 *Nec verum est &c.*] Orationis contextus rectior esset si periodus hæc proxime post *cogitandique solertiam* collocaretur. Locum hunc totum inversum & confusum ita legere malim: *Itaque nisi ea virtus, quæ constat ex hominibus tuendis, idest ex societate generis humani, attingat rerum cognitionem; solivaga cognitio & jejuna videatur. Atque ut apium examina non fingendorum favorum caussa congregantur, sed cum congregabilia natura sint, fingunt favos; sic homines, ac multo etiam magis, natura congregati, adhibent agendi cogitandique solertiam. Nec verum est, quod dicitur a quibusdam, propter necessitatem vitæ, quod ea quæ natura desideraret, consequi sine aliis atque efficere non possemus, idcirco istam esse cum hominibus communitatem & societatem. Quod si &c.* Facc.

30 *Virgula divina*] Nutu deorum sine opera nostra. Vide eamdem sententiam paullo aliter expressam de Amicit. c. 23. *Facc.*

vina, ut ajunt, suppeditarentur: tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omissis, totum se in cognitione & scientia collocaret. Non est ita. Nam & solitudinem fugeret, & socium studii quæreret: tum docere, tum discere vellet, tum audire, tum dicere. Ergo omne officium, quod ad conjunctionem hominum, & ad societatem tuendam valet, anteponendum est illi officio, quod cognitione & scientia continetur.

XLV. Illud forsitan quærendum sit, num hæc communiras, quæ maxime est apta naturæ, sit etiam moderationi modestiæque semper anteponenda. Non placet. Sunt enim quædam ita fœda, partim ita flagitiosa, ut ea, ne conservandæ quidem patriæ causa, sapiens facturus sit. Ea Posidonius collegit permulta, sed ita tetra quædam, ita obscœna, ut dictu quoque videantur turpia. Hæc igitur non suscipiet reipublicæ causa: ne res quidem publica pro se suscipi volet. Sed hoc commodius se res habet [31], quod non potest accidere tempus, ut intersit reipublicæ quidquam illorum facere sapientem.

Quare hoc quidem effectum sit, in officiis deligendis id genus officiorum excellere, quod teneatur hominum societate. [32] Etenim cognitionem prudentiamque sequitur considerata actio. Ita fit, ut agere considerate pluris sit, quam cogitare prudenter. Atque hæc quidem hactenus. Patefactus est enim locus ipse, ut non sit difficile in exquirendo officio, quid cuique sit præponendum, videre. In ipsa autem communitate sunt gradus officiorum: ex quibus quid cuique præstet, intelligi possit: ut [33] prima diis immortalibus; secunda, patriæ; tertia, parentibus; deinceps gradatim reliquis debeantur.

Quibus ex rebus breviter disputatis intelligi potest, non so-

31 *Sed & hæc commodius se res habet*] Turpis menda omnes obsidet editiones, quam sine mei primi codicis ope, cui tamen accedit Palatinus primus, nunquam deprehendissem. In illo scribitur: *Sed hoc commodius se res habet*. Quod quin omnes probaturi sint, qui Latina intelligunt, nullus dubito. Nam vulgata sunt ineptissima. Tanto melius, inquit, se res habet, ut non egeat disputatione, num officia justitiæ sint temperantiæ officiis præferenda, quia nunquam poterit accidere ut reip. causa quicquam flagitiosum suscipiat sapiens. *Grævius*.

32 *Etenim cognitionem &c.*] Duo hæc incisa mihi plane suspecta sunt. Ait autem, quicumque sit auctor, consideratam actionem præferendam esse prudenti cognitioni. *Facc.*

33 *Prima diis*] Nomine communitatis deos quoque ex disciplina Stoica Cicero complectitur; eorumque cultum inter Officia ponit, & quidem loco primo. En quomodo *pietas sit justitia adversum Deos*, ut dicitur lib. 1. D. N. D. c. 41. *Facc.*

lum id homines ſolere dubitare, honeſtumne, an turpe ſit: ſed etiam, duobus propoſitis honeſtis, utrum honeſtius. Hic locus a Panætio eſt, ut ſupra dixi, prætermiſſus. Sed jam ad reliqua pergamus.



DE

DE OFFICIIS,

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

HOC libro de utili agitur, quæ erat altera pars totius de officiis disputationis constituta. Utile autem est vel opinatum, quod ab honesto discrepat, vel verum, quod cum honesto est conjunctum, & natura confusum, & totum in virtute a Cicerone constituitur. Sed quoniam quæcumque ad vitam hominum tuendam & ad utilitatem nostram pertinent, aut sunt hominum opere perfecta, aut sine eorum auxilio comparari non possunt; hominesque hominibus plurimum obesse & prodesse possunt: relictis omnibus, docet, conciliandos esse animos hominum, & ad usus nostros adjungendos: quod quomodo fieri possit, non in singulis modo hominibus, sed etiam in multitudine & populo universo, fuse demonstratur; sed ita, ut omnis amor atque benevolentia hominum a virtute & honestate arcessatur, tanquam a justitia, sapientia, liberalitate, fide, humanitate, hospitalitate. Ad utilitatem vero quoniam pertinet etiam valetudo, pecuniæque curatio; quomodo valetudo sustentetur, & pecunia honeste quæratur, ostendit. In comparatione autem utilitatum, cum vel externa commoda cum commodis corporis, vel corporis commoda cum externis, aut commoda corporis inter se, aut externa cum externis comparentur, non dubium esse pronuntiat, quin major utilitas minori sit anteponenda, hac tamen lege, ne ab honesto deflectatur. ERNESTUS.

I. QUEMADMODUM officia ducerentur ab honestate, Marce fili, atque ab omni genere virtutis, satis explicatum arbitror libro superiore. Sequitur, ut hæc officiorum genera persequar, quæ pertinent ad vitæ cultum, & ad earum rerum, quibus utuntur homines, facultatem, ad opes, ad copias [1]. In quo tum quæri dixi, quid utile, quid inutile: tum ex utilibus quid utilius, aut quid maxime utile. De quibus dicere aggrediar, si pauca prius de instituto, ac de judicio meo dixero.

Quanquam enim libri nostri complures non modo ad legendi, sed etiam ad scribendi studium excitaverunt: tamen interdum vereor, ne quibusdam bonis viris philosophiæ nomen sit invisum; mirenturque, in ea tantum me operæ & temporis ponere. Ego autem quamdiu respublica per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat, omnes meas curas cogitationesque in eam conferebam: cum autem dominatu unius omnia tenerentur, neque esset usquam consilio, aut auctoritati locus; socios denique tuendæ reipublicæ, summos viros, amisissem; nec me angoribus dedidi, quibus essem confectus, nisi iis restitissem, nec rursum indignis homine docto voluptatibus.

Atque utinam respublica stetisset quo cœperat statu, nec in homines non tam commutandarum rerum, quam evertendarum cupidos incidisset! Primum enim, ut stante republica facere solebamus, in agendo plus, quam in scribendo, operæ poneremus: deinde ipsis scriptis non ea, quæ nunc, sed actiones nostras mandaremus [2], ut sæpe fecimus. Cum autem respublica, in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino, illæ scilicet literæ conticuerunt, forenses, & senatoriæ. Nihil agere autem cum animus non posset,

1 *In quo tum*] Periodus hæc supervacua est, & falsum aliquid continet nec recte cohæret. Vide Hermannum in arte Critica n. 32. *Facc.*

2 *Ut sæpe fecimus*] Hæc addita fuisse puto, quod aliquis in margine scripserat: *ut sæpe fecit*. Revera non scripsit nisi pauca quædam, & informia, de quibus loqui videtur in lib. ad Attic. 14. ep. 17. *Facc.*

possent, in his studiis ab initio versatus ætatis, existimavi honestissime molestias posse deponi, si me ad philosophiam retulissem. Cui cum multum adolescens, discendi causa, temporis tribuissem; postea quam honoribus inservire cœpi, meque totum reipublicæ tradidi, tantum erat philosophiæ loci, quantum superfuerat amicorum & reipublicæ tempori [3]. Id autem omne consumebatur in legendo: scribendi otium non erat.

II. Maximis igitur in malis hoc tamen boni assecuti videmur, ut ea literis mandaremus, quæ nec satis erant nota nostris, & erant cognitione dignissima. Quid est enim, per deos, optabilius sapientia? quid præstantius? quid homini melius? quid homine dignius? Hanc igitur qui expetunt, philosophi nominantur: nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari velis, quam studium sapientiæ. Sapientia autem est, (ut a veteribus philosophis definitum est) rerum divinarum & humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, scientia: cujus studium qui vituperat, haud sane intel-

3 *Quantum superfuerat amicorum & reipublicæ* tempori] Mirum est in non obscuro loco aquam hæsisse tot viris eruditis. Illorum librorum, quos secuti sunt Victorius, Lambinus, Fabritius, Manutius nepos, scriptura legibus Latinæ linguæ adversatur. Scribendum enim fuisset *quantum superfuerat amicis & reip. temporis*. In Palat. primo & meo optimo est *tempori*, quod æque ferri potest ac *temporibus*. Sed cum *temporibus*, tanquam insolentius, & a palato triviali alienius, videatur immutatum esse a sciolo in *tempori*, inde natum est sequentibus seculis, quibus gustus omnis deliciarum pristinæ Latinæ linguæ exoleverat, *temporis*. Sed *temporibus* non est movendum. Non hoc profectum est ab interpolatorum audacia. Ipsa Ciceronis manus est, qui sæpe *tempus* & *tempora* vocat statum, conditionem, fortunam, sive hominum, sive reipublicæ. *Grævius*. Ego vero non id ago, ut ea refellam, quæ sunt a doctissimo Grævio in hunc locum disputata. Victorii tamen lectionem, *temporis*, non solum posse defendi, sed veram esse & rectam arbitror: neque aliter sentiet, qui cogitationem retulerit ad illam Tullii sententiam (Offic. I. 7.) *Ortus nostri partem patria vindicat, partem amici*: & lib. II. de Finib. cap. 14. *Non sibi se soli natum meminerit, sed patriæ, sed suis; ut perexigua pars ipsi relinquatur*. Quæro enim: Quid illud est, cujus homini, eo quod *non sibi* natus sit *soli*, *perexigua pars* relinquitur? Tempus. Quandocumque igitur tua opera aut amici indigent, aut patria, tempus id omne, quod agendis vel publicis patriæ, vel privatis amicorum rebus necessarium, non tuum est, & tui juris, sed patriæ est, atque amicorum. Jam apparet, ni fallor, quid his verbis Cicero significet: *Posteaquam me totum reipublicæ tradidi, tantum erat philosophiæ loci, quantum* mihi *superfuerat temporis amicorum & reipublicæ*. Hoc est: Cum reddideram amicis & reipublicæ partes temporis, quas vindicabant sibi jure suo, & illis ego debebam, si quid superfuerat, tum philosophiam sic quasi in locum vacuum neque occupatum admittebam. Quod si potius scripsit Cicero, *tempori*, vel *temporibus*, potest eodem pacto intelligi: *quantum* temporis *superfuerat tempori* debito & impenso amicis ac reipublicæ; quod erat re vera tempus *amicorum & reipublicæ*. Olivetus.

intelligo, quidnam sit, quod laudandum putet. Nam sive oblectatio quæritur animi, requiesque curarum: quæ conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid anquirunt, quod spectet & valeat ad bene beateque vivendum? sive ratio constantiæ virtutisque quæritur: aut hæc ars est, aut nulla omnino, per quam eas assequamur [4]. Nullam dicere maximarum rerum artem esse, cum minimarum sine arte nulla sit, hominum est parum considerate loquentium, atque in maximis rebus errantium. Si autem est aliqua disciplina virtutis, ubi ea quæretur, cum ab hoc discendi genere discesseris? Sed hæc, cum ad philosophiam cohortamur, accuratius disputari solent: [5] quod alio quodam libro fecimus. Hoc autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cur orbati reipublicæ muneribus, ad hoc nos studium potissimum contulissemus.

Occurritur autem nobis, & quidem a doctis & eruditis, quærentibus, satisne constanter facere videamur, qui, cum percipi nihil posse dicamus, tamen & aliis de rebus differere soleamus, & hoc ipso tempore præcepta officii persequamur. Quibus vellem satis cognita esset nostra sententia: non enim sumus ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat unquam, quid sequatur. Quæ enim esset ista mens, vel quæ vita potius, non modo disputandi, sed etiam vivendi ratione sublata? Nos autem, ut cæteri alia certa, alia incerta esse dicunt, sic ab iis dissentientes, alia probabilia, alia non probabilia esse dicimus. Quid est igitur, quod me impediat, ea, quæ mihi probabilia videantur, sequi; quæ contra, improbare: atque affirmandi arrogantiam vitantem, fugere temeritatem, quæ a sapientia dissidet plurimum? Contra autem omnia disputatur a nostris, quod hoc ipsum probabile elucere non posset, nisi ex utraque parte, causarum esset facta contentio. Sed hæc explanata sunt in Academicis nostris satis, ut arbitror, diligenter. Tibi autem, mi Cicero, quanquam

4 *Nullam dicere*] Al. *nullam vero*. Sed apud Lactantium lib. 3. cap. 13. ubi locus hic affertur, non est particula *vero*. Facc.

5 *Quod alio quodam libro*] In libro, qui inscribitur *Hortensius*. Ætate D. Augustini adhuc extabat. ex eo autem valde se profecisse Augustinus scribit in lib. 3. Confess. c. 4. *Ille liber mutavit affectum meum; & ad te ipsum, Domine, mutavit preces meas, & vota ac desideria mea fecit alia*. Facc.

quam in antiquiſſima nobiliſſimaque philoſophia, Cratippo auctore, verſaris, iis ſimillimo, qui iſta præclara pepererunt: tamen hæc noſtra, finitima veſtris, ignota eſſe nolui. Sed jam ad inſtituta pergamus.

III. Quinque igitur rationibus propoſitis officii perſequendi, quarum duæ ad decus honeſtatemque pertinent; duæ ad commoda vitæ, copias, opes, facultates; quinta ad eligendi judicium; ſi quando ea, quæ dixi, pugnare inter ſe viderentur: honeſtatis pars confecta eſt, quam quidem tibi cupio eſſe notiſſimam. Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipſum eſt, quod utile appellatur. In quo lapſa conſuetudo deflexit de via, ſenſimque eo deducta eſt, ut honeſtatem ab utilitate ſecernens, & conſtitueret honeſtum eſſe aliquid, quod utile non eſſet; & utile, quod non honeſtum [6]: qua nulla pernicies major hominum vitæ potuit afferri.

Summa quidem auctoritate philoſophi [7] ſevere ſane, atque honeſte, hæc tria genera confuſa, cogitatione diſtinguunt. Quidquid enim juſtum ſit, id etiam utile eſſe cenſent: itemque quod honeſtum, idem juſtum. Ex quo efficitur, ut, quidquid honeſtum ſit, idem ſit utile. Quod qui parum perſpiciunt, hi ſæpe, verſutos homines & callidos admirantes, malitiam, ſapientiam judicant. Quorum error eripiendus eſt, opinioque omnis ad eam ſpem traducenda [8], ut honeſtis conſiliis, juſtiſque factis, non fraude & malitia ſe intelligant ea, quæ velint, conſequi poſſe.

Quæ ergo ad vitam hominum tuendam pertinent, partim ſunt [8] inanima, ut aurum, argentum, ut ea quæ gignuntur e terra, ut alia ejuſdem generis: partim animalia, quæ habent

bent

6 *Conſtitueret honeſtum eſſe aliquid, quod utile non eſſet, & utile, quod non honeſtum*] Sic & Socrates apud Cic. III. de Legibus, *execrari ſolitus eſt eum, qui primus utilitatem a natura ſejunxiſſet: id enim querebatur eſſe caput exitiorum omnium*. Græv.

7 *Severe ſane atque honeſte*] Tria hæc adverbia margini, opinor, adſcripta fuerant. Frigida ſunt, & a more ſcribendi Tulliano prorſus aliena. *Facc.*

8 *Ad eam ſpem traducenda*] In multis libris eſt, *ſpeciem*, quam Marſus formam, Maturantius decorum, pulchritudinem, honeſtatem interpretatur. Sed tamen *ſpem*, ex veteribus codicibus magis placet. Monet enim Cicero, homines in eam ſententiam perducendos eſſe, ut non aliter ſperent ſe ea, quæ cupiunt, aſſecuturos, quam ſi honeſti, ac juſti ſint. *Græv.*

8 *Inanima*] Al. *inanimata*: quod minus probandum, ſive hic, ſive alibi. *Facc.*

bent ſuos impetus , & rerum appetitus . Eorum autem alia rationis expertia ſunt , alia ratione utentia . Expertes rationis , equi , boves , reliquæ pecudes [9] , apes , quarum opere efficitur aliquid ad hominum uſum atque vitam. Ratione autem utentium duo genera ponuntur : unum , deorum : alterum , hominum . Deos placatos pietas efficiet , & ſanctitas : proxime autem , & ſecundum deos , homines hominibus maxime utiles eſſe poſſunt [10] . Earumque item rerum , quæ noceant & obſint , eadem diviſio eſt . Sed quia deos nocere non putant , his exceptis [11] , homines hominibus obeſſe plurimum, vel prodeſſe [12] arbitrantur . Ea enim ipſa , quæ inanima diximus ; pleraque ſunt hominum operis effecta , quæ nec haberemus , niſi manus & ars acceſſiſſent : nec his ſine hominum adminiſtratione uteremur . Neque enim valetudinis curatio , neque navigatio , neque agricultura , neque frugum fructuumque reliquorum perceptio & conſervatio ſine hominum opera ulla eſſe potuiſſet .

Jam vero & earum rerum , quibus abundaremus , exportatio , & earum , quibus egeremus , invectio , certe nulla eſſet, niſi his muneribus homines fungerentur . Eademque ratione nec lapides e terra exciderentur ad uſum noſtrum neceſſarii : nec ferrum , æs , aurum , argentum effoderentur penitus abdita , ſine hominum labore & manu .

IV. Tecta vero , quibus & frigorum vis pelleretur , & calorum moleſtiæ ſedarentur , unde aut initio generi humano dari potuiſſent , aut poſtea ſubveniri , ſi aut vi tempeſtatis , aut terræ motu , aut vetuſtate cecidiſſent , niſi communis vita

9 *Apes*] Hæc vox addita ab iis eſt , qui putarunt , *apes* non eſſe inter pecudes . Sed etiam volatile genus eſt inter pecudes , unde homini uſus . *Facc.*

10 *Earumque rerum &c.*] In hac periodo alii alia addunt , vel demunt . Mihi tota inſititia videtur . Si tollatur , & ſenſa & verba rectius habebunt . Ceterum , ſi retineri velit , ita efferenda eſt : *Earum item rerum , quæ noceant & proſint , eadem diviſio eſt : Sed quia Deos nocere non putant , his exceptis , homines hominibus obeſſe plurimum & prodeſſe arbitrantur* . Facc.

11 *His exceptis*] Voces iſtæ *his exceptis* , ludimagiſtri cujuſpiam lucernam olent . Ideo eas eraſi . *Langius* . Invitis libris , accedente auctoritate Servii in Æn. XII. non ſunt eradendæ . Extant ſane in Grævii primo , aliiſque omnibus . *Græv.*

12 *Obeſſe plurimum , vel prodeſſe*] *Vel prodeſſe* non invenitur in Mſſ. *Lien* .

ta ab hominibus harum rerum auxilia petere didicisset [13]? Adde ductus aquarum, derivationes fluminum, agrorum irrigationes, moles oppositas fluctibus, portus manu factos; quæ unde sine hominum opera habere possemus? ex quibus, multisque aliis perspicuum est, qui fructus, quæque utilitates ex rebus iis, quæ sunt inanimæ, percipiantur, eas nos nullo modo sine hominum manu atque opera capere potuisse. Qui denique ex bestiis fructus, aut quæ commoditas, nisi homines adjuvarent, percipi posset? nam & qui principes inveniendi fuerunt, quem ex quaque bellua usum habere possemus, homines certe fuerunt: nec hoc tempore sine hominum opera aut pascere eas, aut domare, aut tueri, aut tempestivos fructus ex his capere possemus: ab eisdemque & eæ, quæ nocent, interficiuntur: & quæ usui possunt esse, capiuntur.

Quid enumerem artium multitudinem, sine quibus vita omnino nulla esse potuisset? Quis enim ægris subveniret, quæ esset oblectatio valentium, qui victus, aut cultus, nisi tam multæ nobis artes ministrarent? Quibus rebus exculta hominum vita tantum distat a victu & [14] cultu bestiarum. Urbes vero sine hominum cœtu non potuissent nec ædificari, nec frequentari: ex quo leges, moresque constituti: tum juris æqua descriptio, certaque vivendi * disciplina. Quas res & mansuetudo animorum consecuta, & verecundia est: effectumque, ut esset vita munitior; atque ut dando & accipiendo, mutandisque facultatibus & [15] commodis nulla re egeremus.

V. Longiores hoc loco sumus, quam necesse est. Quis est enim, cui non perspicua sint illa, quæ pluribus verbis a Panætio commemorantur, neminem neque ducem belli, nec principem domi, magnas res & salutares sine hominum studiis gerere potuisse? Commemorantur ab eo Themistocles,

 Peri-

13 *Adde ductus*] Al. *Adde deductus*. Credibile est, syllabam *de* ortam esse ex geminatione præcedentis. Attamen vox *deductus* placet Grævio, miraturque, quod absit a lexicis. *Facc.*

14 *Cultu bestiarum*] Quinam est cultus bestiarum? Facile apparet, totum hoc membrum additum fuisse. *Facc.*

* Man. Lamb. *disciplina: per quas bene beateque vivitur: quas res*

15 *Et commodis*] Al. *& commodandis*: quod est a Nonio, ideoque non contemnendum. *Facc.*

Pericles, Cyrus, Agesilaus, Alexander, quos negat sine adjumentis hominum tantas res efficere potuisse. Utitur in re non dubia testibus non necessariis.

Atque ut magnas utilitates adipiscimur conspiratione hominum atque consensu: sic nulla tam detestabilis pestis est, quæ non homini ab homine nascatur. Est Dicæarchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni & copiosi: qui, collectis [16] cæteris causis, eluvionis, pestilentiæ, vastitatis, belluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu docet quædam hominum genera esse consumpta [17]: deinde [18] comparat, quanto plures deleti sint homines hominum impetu, id est bellis, aut seditionibus, quam omni reliqua calamitate.

Cum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin homines plurimum hominibus & prosint, & obsint: proprium hoc statuo esse virtutis, conciliare animos hominum, & ad usus suos adjungere. Itaque, quæ in rebus inanimis, quæque in usu & tractatione belluarum fiunt utiliter ad hominum vitam, artibus ea tribuuntur operosis: hominum autem studia ad amplificationem nostrarum rerum prompta ac parata, virorum præstantium sapientia & virtute excitantur.

[19] Etenim virtus omnis tribus in rebus fere vertitur: quarum

16 *Ceteris causis*] Lege Senecæ epistolam 103. *Facc.*

17 *Quarum impetu docet quædam hominum genera esse consumpta*] Sic ranæ, & mures perdiderunt Autariatas, ac solum vertere coegerunt. Justinus lib. XV. *Cassander ab Apollonia rediens incidit in Autariatas* (sic enim legendum, non *Abderitas*, ut jam alii quoque monuerunt) *qui propter ranarum muriumque multitudinem, relicta patria sola, sedes quærebant*. Hi sunt illi populi, qui circa Pœoniam & Dardaniam habitantes a ranis miserum in modum coacti sunt relictis penatibus novas sedes quærere, ut ex Heraclide Lemb. prodidit Athenæus lib. VIII. Sic & M. Varro auctor, *ab ranis civitatem in Gallia pulsam* teste Plin. VIII. 29. Chalcidenses, & Megarenses fugarunt mures, testante Æliano, & Heraclide in Politiis. In Latio Amyclas a serpentibus deletas tradunt Varro & Plinius. In Æthiopia regionem cultissimam & frequentissimam vastavit & in solitudinem redegit scorpionum & phalangiorum subito supervenientium ingens copia. *Ælian.* VII. cap. 40. Myusios in Asia, & Atarnitas infra Pergamum repente coorta culicum vis expulit ex patria. *Pausan.* in Achaicis: Rhaucios apum, *Ælian.* XVII. 37. Phaselitas vesparum, *Idem* XI. 28. Quæ debentur Samueli Bocharto, qui hæc & alia collegit huc pertinentia lib. IV. tom. 2. Hierozoici cap. 13. *Olivetus*.

18 *Deinde comparat*] Recta constructio pati non potest particulam *deinde*. Pro *comparat* autem malim *computat*. *Facc.*

19 *Etenim virtus &c.*] Hæc omnia usque ad verba, *quibus autem rationibus &c.* mihi videntur insititia. Primum enim supervacua sunt: deinde cur hic virtutem in tria capita divisit, quam superiore libro divisit in quatuor?

rum una est in perspiciendo, quid in quaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique, quid consequens, ex quo quæque gignantur, quæ cujusque rei causa sit [20]: alterum, cohibere motus animi turbatos, quos Græci πάθη nominant, appetitionesque, quas illi ὁρμὰς, obedientes efficere rationi: tertium, iis, quibuscum congregamur, uti moderate, & scienter, quorum studiis ea, quæ natura desiderat, expleta, cumulataque habeamus; per eos denique, si quid importetur nobis incommodi, propulsemus, ulciscamurque eos, qui nocere nobis conati sunt, tantaque pœna afficiamus, quantam æquitas, humanitasque patitur.

VI. Quibus autem rationibus hanc facultatem assequi possimus, ut hominum studia complectamur, eaque teneamus, dicemus: neque ita multo post: sed pauca ante dicenda sunt. Magnam vim esse in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res, vel adversas, quis ignorat? nam & cum prospero flatu ejus utimur, ad exitus pervehimur optatos: & cum reflavit, affligimur. Hæc igitur ipsa fortuna cæteros casus rariores habet, primum ab inanimis procellas, tempestates, naufragia, ruinas, incendia: deinde a bestiis ictus, morsus, impetus. Hæc ergo, ut dixi, rariora. At vero interitus exercituum, ut proxime trium [21], sæpe multorum: clades imperatorum, ut nuper summi ac singularis viri [22]: invidiæ præterea multitudinis, atque ob eas, bene meritorum sæpe civium expulsiones, calamitates, fugæ: rursusque secundæ res, honores, imperia, victoriæ, quanquam fortuita sunt, tamen sine hominum opibus & studiis neutram in partem effici possunt. Hoc igitur cognito, dicendum est, quonam modo ho-

tuor? Cur in capite primo eam solam philosophiæ partem collocat, quæ logica & physica tractat, cum antea sapientiam omnem & prudentiam in eo collocarit? Constructio quoque ipsa alicubi laborat, quamvis verba bona sint & Tulliana. *Facc.*

20 *alterum cohibere*] Recta constructio poscit ut dicatur, *altera in cohibendo*. Idiotismus hic auctorem patefacit, scilicet illum ipsum, qui caput XL. libri I. formavit. Nam ibi quoque dicitur, *modus optimus est tenere decus*. Facc.

21 *Proxime trium*] Ducibus, in Thessalia, Pompejo Magno: in Africa, Scipione & Juba Mauritaniæ rege: in Hispania, Pompeji liberis. *Anonymus*.

22 *Summi ac singularis viri*] Pompeji Magni, qui post cædem Pharsalicam imperio, arbitrioque Ægyptii mancipii jugulatus est. *Idem*.

minum ſtudia ad utilitates noſtras allicere atque excitare poſſimus. Quæ ſi longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparetur: ita fortaſſis etiam brevior videbitur.

Quæcumque igitur homines homini tribuunt ad eum augendum atque honeſtandum, aut benevolentiæ gratia faciunt, cum aliqua de cauſa quempiam diligunt: aut honoris, ſi cujus virtutem ſuſpiciunt, quemque dignum fortuna quam ampliſſima putant: aut cui fidem habent, & bene rebus ſuis conſulere arbitrantur: aut cujus opes metuunt: aut contra, a quibus aliquid exſpectant, ut cum reges populareſve homines largitiones aliquas proponunt: aut poſtremo, pretio ac mercede ducuntur: quæ ſordidiſſima eſt illa quidem ratio, & inquinatiſſima, & iis, qui ea tenentur, & illis, qui ad eam confugere conantur. Male enim ſe res habet, cum, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. Sed quoniam nonnunquam hoc ſubſidium neceſſarium eſt: quemadmodum ſit utendum eo, dicemus, ſi prius iis de rebus, quæ virtuti propiores ſunt, dixerimus. Atque etiam ſubjiciunt ſe homines imperio alterius, & poteſtati [23] pluribus de cauſis. Ducuntur enim aut benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantia, aut ſpe, ſibi id utile futurum; aut metu, ne vi parere cogantur; aut ſpe largitionis, promiſſionibuſque capti; aut poſtremo, ut ſæpe in noſtra republica videmus, mercede conducti.

VII. Omnium autem rerum nec aptius eſt quidquam ad opes tuendas ac tenendas, quam diligi: nec alienius, quam timeri. Præclare enim Ennius: *Quem metuunt, oderunt: quem quiſque odit, periiſſe expetit*. Multorum autem odiis nullas opes poſſe obſiſtere, ſi antea fuit ignotum, nuper eſt cognitum. Nec vero hujus tyranni ſolum, quem armis oppreſſa pertulit civitas, interitus declarat [24], quantum odium hominum

23 *Pluribus de cauſis*] Malim, *iiſdem de cauſis*. Sed periodus hæc initio capitis collocari debet expulſa illa quæ locum injuria occupat nihilque eſt aliud quam verboſior explicatio alicujus Grammatici in contextum adſcita. Totum hunc locum aliter legere malim. *Facc.*

24 *Quem armis oppreſſa pertulit civitas, interitus declarat*] Duo alioqui vetuſtiſſima exemplaria habent: *unum quidem, quem armis oppreſſa pertulit civitas, apparet cujus maxime oportuit interitus declarat*. Alterum, *quem armis oppreſſa pertulit civitas apparet, cujus maxime opportune interitus declarat*. Fortaſſis ita

num valeat ad pestem ; sed reliquorum similes exitus tyrannorum : quorum haud fere quisquam interitum similem effugit . Malus enim custos diuturnitatis metus : contraque benevolentia fidelis est , vel ad perpetuitatem .

Sed iis , qui vi oppressos imperio coercent , sit sane adhibenda sævitia , ut heris in famulos , si aliter teneri non possunt . Qui vero in libera civitate ita se instruunt , ut metuantur ; his nihil esse potest dementius . Quamvis enim demersæ sint leges alicujus opibus , quamvis [25] timefacta libertas , emergunt tamen hæc aliquando aut judiciis tacitis [26] , aut

ita legi possit : *apparet cujus maxime oportuit interitu , quantum* , &c. *Lang.* Mutilum esse locum nullum est dubium . Vestigia veri in omnibus veteribus libris , ex quibus hæc verba corrupta non sunt excisa , exstant . Sed id nulla vi humani ingenii , quacumque sit sollertia , potest deprehendi , sine ope melioris libri . Is vero est meus divinus , cæteris omnibus præstantior , in quo legas : *oppressa pertulit civitas , paret quæ tum maxime mortuo , interitus declarat* . Hæc utique Ciceronis manus est . Nihil argutius . Sed acumen hujus sententiæ cum non caperent librarii , orta sunt tamen in recentioribus libris prodigia scripturæ . *Paret quæ cum maxime mortuo* est , Quæ hoc ipso tempore quamvis extinctus sit tyrannus , mortuo tamen paret , hoc est Antonio & ejus satellitibus , qui Cæsaris acta confirmant , & ne rescindantur , neve libertas oppressa instauretur , impediunt . Hoc est de quo tantopere queritur in epistolis ad Atticum , tyrannum esse sublatum , sed non tyrannidem , nondum servitutis jugum excussum esse . Nesciverunt interpolatores quomodo civitas possit dici *parere mortuo* , & quid sit *cum maxime* . Hinc illæ labes , quibus inquinati sunt libri . *Parere mortuo* dicitur civitas , cujus instituta , leges , decreta , disciplinam civilem observat . Parebat mortuo tyranno Roma , cum ei columnam poneret in foro Numidici lapidis , eique inscriberet *Patri patriæ* . Parebat civitas mortuo , cum tyranni fautores & amicos pateretur in imperiis esse ; tyrannicidas , qui orbis terræ custodiis septi debebant esse , parietibus contineret . Parebat mortuo , cum omnia tyranni facta defenderet , cum ne contra Cæsaris nutum quisquam hiscere auderet , cum fundos , domos , possessiones præstantissimorum civium a Cæsare occupatas pateretur possideri in veteronibus illis , quibus erant a Cæsare addictæ . Parebat mortuo , cum acciperet leges post ejus mortem , quas Antonius mentiebatur a Cæsare in comitiis latas . Vide ep. 12. lib. XIV. ad Atticum , & totum illum librum . In ep. 9. sic exclamat : *O dii boni ! vivit tyrannis , tyrannus accidit ! ejus interfecti morte lætamur , cujus facta defendimus !* Si tyrannis vivit occiso tyranno , paret tyranno mortuo civitas . *Cum maxime* est , hoc ipso tempore , in præsenti . Seneca de Beneficiis III. 3. *Nemo nostrum novit id tempus , quod cum maxime transit , ad præterita rari animum retorquent* . Cic. de Harusp. responsis . *Antiqua negligimus , etiam ne ea negligemus , quæ fiunt tum maxime ?* Sic recte ex MSS. emendavit Zinzerlingius , vulgo male *maxime* . Hinc sæpe cum *nunc* tanquam synonymum jungitur apud comicos . Terent. Adelphis IV. I. *Nunc cum maxime operis aliquid facere credo* . Anonymus .

25 *Timefacta*] Recentiores Critici ita legere malunt ; sed vox hæc minus significat quam oporteat , nec recte respondet voci *intermissa* quæ infra habetur : legere malim *tremefacta* , idest concussa & labefacta . *Facc.*

26 *Aut judiciis tacitis*] Interdum cum magno ambitu honores petebantur aperta largitione , ob candidatorum contentionem , disciplinæ , & institutis patriis legumque jussis repugnantem , populique tribus & centurias corrumpentem . Senatus decernebat , ut judicium fieret *tacitum* in candidatos , quo vel ante damnarentur ambitus : vel eorum comitiis ratio non haberetur , quod more majorum petisse non viderentur . De hoc genere judicii sic in epist. ad Atticum lib. IV. ep. 3. loquitur Cicero : *Senatus decrevit , ut tacitum*

aut occultis de honore suffragiis. Acriores autem morsus sunt intermissæ libertatis, quam retentæ. Quod igitur latissime patet, neque ad incolumitatem solum, sed etiam ad opes & potentiam valet plurimum, id amplectamur, ut metus absit, caritas retineatur; ita facillime, quæ volumus, & privatis in rebus, & in republica consequemur. Etenim, qui se metui volent, a quibus metuentur, eosdem metuant ipsi, necesse est.

Quid enim censemus superiorem illum Dionysium, quo cruciatu timoris angi solitum? qui cultros metuens tonsorios, candente carbone sibi adurebat capillum. Quid? Alexandrum Pheræum, quo animo vixisse arbitramur? qui (ut scriptum legimus) cum uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, & eum quidem, ut scriptum est, compunctum notis Threiciis [27], districto

citum judicium ante comitia fieret, ab iis consiliis, quæ erant omnibus sortita in singulos candidatos: magnus timor candidatorum. Hinc meridiana luce clarius redditur, quod intempestæ noctis umbra videbatur obductum, quæ sint lib. II. Offic. *tacita judicia*. Turnebus. Sed Turnebi sententia de tacitis judiciis est ἀπροσδιόνυσος, ut nihil magis. Tacita judicia hic sunt, cum populus aliquo facto declarat, quid sentiat de statu reip. etsi non palam dicat. Ut de Romanis notavit Sueton. in Jul. LXXX. *Ne populo quidem jam præsenti statu læto, sed clam palamque detrectante dominationem, atque assertores flagitante. Peregrinis in senatum allectis libellus propositus est:* Bonum factum: Ne quis senatori novo curiam monstrare velit &c. Paulo post: *Post remotos Cæsetium & Marullum tribunos, reperta sunt proximis comitiis complura suffragia, consules eos declarantium.* Subscripsere quidam L. Bruti statuæ: *Utinam viveres*. Item ipsius Cæsaris statuæ:

> *Brutus, quia reges ejecit, consul primus factus est;*
> *Hic quia consules ejecit, rex postremo factus est.*

Hæc sunt tacita judicia populi significantis his libellis, & hac ratione in comitiis, qui ejus esset sensus de illo tempore, quo demersæ jacebant leges opibus Cæsaris. De talibus tacitis judiciis sæpe loquitur etiam in epistolis ad Atticum Cicero lib. II. ep. 19. *Populi sensus maxime theatro & spectaculis perspectus est. Nam gladiatoribus, qua dominus, qua advocati sibilis conscissi. Ludis Apollinaribus Diphilus tragœdus in nostrum Pompeium petulanter invectus est:* Nostra miseria tu es Magnus, *millies coactus est dicere.* Eandem virtutem istam veniet tempus cum graviter gemes, *totius theatri clamore dixit, itemque cætera. Nam & ejusmodi sunt ii versus, ut in tempus ab inimico Pompeii scripti esse videantur.* Si neque leges, neque mores cogunt, *& cætera magno cum fremitu, & clamore sunt dicta. Cæsar cum venisset mortuo plausu, Curio filius est insecutus. Huic ita plausum est, ut salva rep. Pompejo plaudi solebat. Tulit Cæsar graviter.* Plura tacitorum judiciorum exempla in illo libro invenies facile. *Grævius*.

27 *Barbarum, & eum quidem compunctum notis Threiciis*] Mihi videtur hic Cicero non satis habuisse, barbarum dixisse, nisi adderet *compunctum notis Threiciis*, non quo eum servum intelligeremus, sed ut in immani barbaria natum. Nam Thraces tales habebantur. Proinde in Pisonem scribitur, *Consulem vestrum tanquam aliquem Thracem ad cædem faciendam conduceres.* Hoc autem obiter dicendum est, ut Romani imp. prætorianis militibus & centurionibus ad cædem uti solebant, sic olim tyrannos Thracibus earum

ſtricto gladio [28] jubebat anteire: præmittebatque de ſtipatoribus ſuis, qui ſcrutarentur arculas muliebres, &, ne quod in veſtimentis occultaretur telum, exquirerent. O miſerum, qui fideliorem, & barbarum, & ſtigmatiam putaret, quam conjugem! Nec eum feſellit opinio: ab ea enim eſt ipſe, propter pellicatus ſuſpicionem, interfectus.

Nec vero ulla vis imperii tanta eſt, quæ premente metu, poſſit eſſe diuturna. Teſtis eſt Phalaris, cujus eſt præter cæteros nobilitata crudelitas: qui non ex inſidiis interiit, ut is, quem modo dixi, Alexander: non a paucis, ut hic noſter [29]: ſed in quem univerſa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Quid? Macedones nonne Demetrium [30] reliquerunt, univerſique ſe ad Pyrrhum contulerunt? Quid? Lacedæmonios injuſte imperantes, nonne repente omnes fere ſocii deſeruerunt, ſpectatoreſque ſe otioſos præbuerunt Leuctricæ calamitatis [31]?

VIII. Externa libentius in tali re, quam domeſtica, recordor. Verumtamen quamdiu imperium populi Romani beneficiis tenebatur [32], non injuriis, bella aut pro ſociis, aut de imperio gerebantur: exitus erant bellorum aut mites [33], aut neceſ-

earum rerum miniſtris & ſatellitibus uſos fuiſſe. Heſychius Τ.άλλας ἄμως ἐκαλοῦντο μετ-θεφόροι Θρᾷκες, τοῖς βασιλεῦσι οἱ τὰς φονικὰς χρείας πληροῦντες. Thraces autem, ut & aliæ quædam nationes barbaræ, ſe ſtigmatis notabant, vel, ut Cicero libro II. de Officiis loquitur, *notis compungebant*. Strabo libro ſeptimo, κατάστικτοι δὲ ὁμοίως καὶ τοῖς ἄλλοις Ἰλλυριοῖς καὶ Θρᾳξί. Phanocles etiam canit irrogatam a viris eam eſſe pœnam mulieribus in Thracia corporis notis pungendi, & ſcribellandi, ob Orphei necem, ut ſceleris recordarentur. *Turnebus*. Adverſ. lib. III. cap. 16.

28 *Diſtricto gladio*] Rectius vetus liber: *deſtricto gladio*. Sic videtur & in aliis locis legendum, ubi de gladiis agitur. Aliud eſt *diſtrictus*, nimirum diſtentus, occupatus; aliud *deſtrictus*, hoc eſt e vagina extractus. Vide & quæ ampliſſimus & mei ſtudioſiſſimus vir Giſbertus Cuperus lib. IV. Obſervar. de harum vocum diſcrimine docte notavit. *Grævius*.

29 *Ut hic noſter*] J. Cæſar, in ſenatu tribus & viginti vulneribus confoſſus. *Eraſmus*.

30 *Demetrium*] Poliorceten. Vide Plutarch. in vita Pyrrhi & Demetrii, & Juſtin. XVI. 2. *Grævius*.

31 *Spectatoreſque ſe otioſos præbuerunt Leuctricæ calamitatis*] Vide C. Nep. vita Epaminondæ XV. 7. *Idem*.

32 *Quamdiu imperium populi Romani beneficiis tenebatur*] Hoc vero factum eſſe docuit quoque Salluſtius in Catilio. cap. 9. ubi cum dixiſſet, audacia in bello, & ubi pax evenerat, æquitate veteres illos remp. curaſſe, de pacis documentis ſic ait: *in pace vero quod beneficiis magis, quam metu imperium agitabant, & accepta injuria, ignoſcere quam perſequi malebant*. Quod Scipio quoque teſtatur apud Livium lib. XXVI. ubi obſides bonum animum habere juſſit, addita ratione hac: *veniſſe eos in populi Romani poteſtatem, qui beneficio, quam metu obligare homines malit, exteraſque gentes fide ac ſocietate junctas habere, quam triſti ſubjectas ſervitio*. Idem.

necessarii [34]. Regum, populorum, nationum portus erat & refugium senatus [35]. Nostri autem magistratus imperatoresque ex hac una re maximam laudem capere studebant, si provincias, si socios æquitate & fide defendissent. Itaque illud patrocinium orbis terræ verius, quam imperium poterat nominari. Sensim hanc consuetudinem & disciplinam jam antea minuebamus: post vero Syllæ victoriam penitus amisimus. Desitum est enim videri quidquam in socios iniquum, cum exstitisset in cives tanta crudelitas. Ergo in illo secuta est honestam causam non honesta victoria [36]. Est enim ausus dicere, hasta posita, cum bona in foro venderet & bonorum virorum, & locupletum, & certe civium, prædam suam se vendere.

Secutus est, qui in causa impia, victoria etiam fœdiore, non singulorum civium bona publicaret, sed universas provincias regionesque uno calamitatis jure comprehenderet. Itaque vexatis & perditis exteris nationibus, ad exemplum amissi imperii [37] portari in triumpho Massiliam [38] vidimus, & ex ea urbe triumphari, sine qua nunquam nostri imperatores ex Transalpinis bellis triumpharunt. Multa præterea commemorarem nefaria in socios, si hoc uno sol quidquam vidis-

33 *Aut mites*] Vide Grot. III. de Jure Belli & Pacis cap. II. §. 6. & 7. & in primis totum caput 15. ejusdem libri. *Idem*.

34 *Aut necessaris*] Nimirum cum ratio reipublicæ postularet, ut urbes exscinderentur, gentes vastarentur, aut victi durius haberentur, cumque pax infida & incerta esset, nisi hostes illi delerentur. Propter quam causam Cato semper censebat, Carthaginem esse delendam. Sed quod temperamentum circa vastationem & similia sit tenendum, vide Grot. III. de Jure Belli & Pacis cap. 12. *Idem*.

35 *Regum, populorum, nationum portus erat & refugium senatus*] Salutare fuisse Romanum imperium toti orbi terrarum, multifariam veteres testantur. Magnifice Plutarch. libro de virtute & fortuna Romanorum, Romam vocat πᾶσι ἀνθρώποις ἑςίαν ἱερὰν &c. *Omnibus mortalibus focum vere sacrum atque almum, retinaculum firmum, elementum æternum, rebus mundi salo atque errore fluctuantibus stationem ad jaciendam ancoram*, ut recte hunc locum vertit Isaacus Casaub. Plinius lib. III. cap. 6. de Italia: *Numine deum electa, quæ Cælum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret: & tot populorum discordes ferasque linguas, sermonis commercio contraheret: colloquia, & humanitatem homini daret: breviterque, una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret*. Idem.

36 *Secuta est honestam causam non honesta victoria*] Causam probat belli, quia Sylla partes optimatum fovebat & tuebatur contra populares: victoriam improbat, quia erat crudelis, sæva & cruenta. *Idem*.

37 *Ad exemplum amissi imperii*] Eversæ reipublicæ, cum de hostibus, non de sociis triumphari soleret. *Manutius*.

38 *Massiliam*] Urbem populi Romani amicam, cujus imago in triumpho Cæsaris circumlata. *Erasmus*.

vidiſſet indignius. Jure igitur plectimur. Niſi enim multorum impunita ſcelera tuliſſemus, nunquam ad unum tanta perveniſſet licentia: a quo quidem rei familiaris ad paucos; cupiditatum ad multos improbos venit hereditas.

Nec vero unquam bellorum civilium ſemen & cauſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentam & meminerint, & ſperabunt: quam P. Sylla cum vibraſſet, dictatore propinquo ſuo [39], idem ſexto & triceſimo anno poſt a ſceleratiore haſta non receſſit. Alter autem, qui in illa dictatura ſcriba fuerat, in hac fuit quæſtor urbanus [40]. Ex quo debet intelligi, talibus præmiis propoſitis, nunquam defutura bella civilia. Itaque parietes urbis modo ſtant & manent, iique ipſi jam extrema ſcelera metuentes: rem vero publicam penitus amiſimus. Atque in has clades incidimus, (redeundum eſt enim ad propoſitum) dum metui, quam cari eſſe & diligi, maluimus. Quæ ſi populo Romano injuſte imperanti accidere potuerunt, quid debent putare ſinguli? Quod cum perſpicuum ſit, benevolentiæ vim eſſe magnam; metus, imbecillam: ſequitur, ut diſſeramus, quibus rebus poſſimus facillime eam, quam volumus, adipiſci cum honore & fide caritatem.

Sed ea non pariter omnes egemus. Nam ad cujuſque vitam inſtituendam accommodandum [41] eſt, a multiſne opus ſit, an ſatis a paucis diligi. Certum igitur hoc ſit, idque & primum & maxime neceſſarium, familiaritates habere fidas a-

39 *Quam P. Sylla cum vibraſſet, dictatore propinquo ſuo*] P. Syllæ, pro quo ipſius extat oratio, avaritiam notat; qui L. Sylla dictatore proſcriptionibus præfuerit; quibus velut imbutus, ſexto & triceſimo poſtea anno, C. Cæſaris partes ſecutus ſit, non multo humaniorem in remp. animum præ ſe ferentis. Suetonius ſane ſcribit ſuſpicionem fuiſſe, quod Cæſar ante quam ædilitatem iniret, cum M. Craſſo, P. Sylla & L. Autronio conſpiraſſet. *Langius*.

Dictatore propinquo ſuo] L. Cornelius Sylla dictator fuit patruus P. Syllæ: nam Ser. Cornelii Syllæ fratris L. Syllæ filius fuit P. Sylla, ut Salluſtius in Catilin. oſtendit. *Fabritius*.

40 *Alter autem, qui in illa dictatura ſcriba fuerat, in hac fuit quæſtor urbanus*] In Syllæ dictatura ſcriba fuit Cornelius, de quo Lepidus apud Salluſtium, in Fragm. *Scilicet, quia non aliter ſalvi, ſatiſque tuti in imperio eritis, niſi Vettius Picens, & ſcriba Cornelius aliena bene parta prodegerint*. Quod cum Franc. Maturantius & Petrus Marſus patrum noſtrorum memoria in ſuis commentariis admonuerint, miror eſſe nunc homines bene doctos, qui ſcribant, non ſatis conſtare, quis hic ſit intelligendus. *Idem*.

41 *Ad cujuſque vitam inſtituendam accommodandum*] Excerpta Pithœi, undecim libri Manutii, editio princeps longe rectius: *ad cujuſque vitam inſtitutam accommodandum*. Hoc eſt, ad illud vitæ genus, quod quis ſequendum ſibi ſtatuit, & legit, eſt referendum, num multis opus habeat an paucis amicis. *Grævius*.

mantium nos amicorum, & nostra mirantium [42]. Hæc enim est una res prorsus, ut non multum differat inter summos & mediocres viros; eaque utrisque est propemodum comparanda. Honore, & gloria, & benevolentia civium fortasse non æque omnes egent; sed tamen si cui hæc suppetunt, adjuvant aliquantum, cum ad cætera, tum ad amicitias comparandas.

IX. Sed de amicitia alio libro dictum est, qui inscribitur Lælius [43]. Nunc dicamus de gloria: quanquam ea quoque de re duo sunt [44] nostri libri: sed attingamus, quandoquidem ea in rebus majoribus administrandis adjuvat plurimum. Summa igitur & perfecta gloria constat ex tribus his: si diligit multitudo: si fidem habet: si cum admiratione quadam honore nos dignos putat. Hæc autem (si est simpliciter breviterque dicendum) quibus rebus pariuntur a singulis, eisdem fere a multitudine. Sed est alius quoque quidam aditus ad multitudinem, ut in universorum animos tanquam influere possimus.

Ac primum de illis tribus, quæ ante dixi benevolentiæ præcepta, videamus: quæ quidem beneficiis capitur [45] maxime. Secundo autem loco benefica voluntate benevolentia movetur, etiam si res forte non suppetit. Vehementer autem amor multitudinis commovetur ipsa fama & opinione liberalitatis, beneficentiæ, justitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad mansuetudinem morum ac facilitatem. Etenim illud ipsum, quod honestum decorumque dicimus, quia per se nobis placet, animosque omnium natura & specie sua commovet, maximeque quasi perlucet ex iis, quas commemoravi, virtutibus: idcirco illos, in quibus eas virtutes esse remur, a natura ipsa diligere cogimur. Atque hæ quidem sunt causæ diligendi gravissimæ: possunt enim præterea nonnullæ esse leviores.

Fides

42 *Nostra mirantium*] Qui nos colant, & observent: quod faciunt, qui alicujus res, & bona præsertim animi mirantur. *Maturantius*.

43 *Qui inscribitur Lælius*] Vix est, ut hoc a Cicerone, non a magistro quodam sit. *Gulielmius*. Et alii animadverterunt, & nos certo certius habemus, verba hæc addita ab aliquo Grammatico fuisse. *Facc.*

44 *Duo libri*] Memorat volumen de Gloria etiam ad Atticum lib. 15. Epist. 27. & lib. 16. epist. 2 & Gellius lib. 15. caput 6. Nunc quidem desideratur. *Facc.*

45 *Beneficiis capitur*] In opt. libro, *carpitur*, scriptum est. *Carpere fructus*, in Paradox. *carpere corpus*, alibi: sic *carpere lanam* mulieres dicimus. *Lang.*

Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici potest: si existimabimur adepti conjunctam cum justitia prudentiam. Nam & iis fidem habemus, quos plus intelligere, quam nos, arbitramur, quosque & futura prospicere credimus, & cum res agatur, in discrimenque ventum sit, expedire rem, & consilium ex tempore capere posse. Hanc enim utilem omnes existimant, veramque prudentiam. Justis autem [46] & fidis hominibus [47], id est, bonis, ita fides habetur, ut nulla sit in his fraudis injuriæque suspicio. Itaque his salutem nostram, his fortunas, his liberos rectissime committi arbitramur. Harum igitur duarum ad fidem faciendam justitia plus pollet: quippe cum ea sine prudentia satis habeat auctoritatis, prudentia sine justitia nihil valeat ad faciendam fidem. Quo enim quis versutior & callidior est; hoc invisior & suspectior [48], detracta opinione probitatis. Quamobrem intelligentiæ justitia conjuncta, quantum volet habebit ad faciendam fidem virium [49]. Justitia sine prudentia multum poterit: sine justitia nihil valebit prudentia.

X. Sed, ne quis sit admiratus, cur, cum inter omnes philosophos constet, a meque ipso sæpe disputatum sit, qui unam haberet, omnes habere virtutes; nunc ita sejungam, quasi possit quisquam, qui non idem prudens sit, justus esse: alia est illa, cum veritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas; alia, cum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quamobrem, ut vulgus, ita nos hoc loco loquimur, ut alios fortes, alios bonos viros, alios prudentes dicamus. Popularibus enim verbis est agendum, & usitatis, cum loquamur de opinione populari, idque eodem modo fecit Panætius. Sed ad propositum revertamur.

46 *Et fidis*] Insititium est. Incidit enim in battologiam, qui dicit, fidis haberi fidem. *Facc.*

47 *Idest bonis*] Ita in Partition. Orat. c. 22. justitia appellatur bonitas. De hac *viri boni* significatione vide lib. 3. cap. 15. *Facc.*

48 *Quo enim quis versutior, hoc invisior & suspectior*] Exemplo sit, ne de aliis dicam, Alcibiades, versutissimus mortalium. Cum classis Atheniensium ei commissa funderetur, non fortuna belli, sed fraude imperatoris cladem hanc se credebant accepisse: quia, ut Justinus ait, *omnia credibilia in Alcibiade vigor ingenii & morum luxuria faciebat*. Grævius.

49 *Justitia sine prudentia* &c.] Verba hæc usque ad *Sed* irrepsere ex libri margine in contextum, ut cuilibet consideranti patebit. *Facc.*

Erat igitur ex tribus, quæ ad gloriam pertinent, hoc tertium, ut cum admiratione hominum, honore ab iis digni judicaremur. Admirantur igitur communiter illi quidem omnia, quæ magna, & præter opinionem suam animadverterunt: separatim autem in singulis, si perspiciunt nec opinata quædam bona. Itaque eos viros suspiciunt, maximisque efferunt laudibus, in quibus existimant se excellentes quasdam & singulares virtutes perspicere: despiciunt autem eos, & contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant. Non enim omnes eos contemnunt, de quibus male existimant. Nam quos improbos, maledicos, fraudulentos putant, & ad faciendam injuriam instructos; eos contemnunt quidem neutiquam [50], sed de his male existimant. Quamobrem (ut ante dixi) contemnuntur ii, qui nec sibi, * nec alteri [51], ut dicitur; in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est.

Admiratione autem afficiuntur ii [52], qui anteire cæteros virtute putantur, & cum omni carere dedecore, tum vero iis vitiis, quibus alii non facile possunt obsistere. Nam & voluptates, blandissimæ dominæ, majores partes animi a virtute detorquent; & dolorum cum admoventur faces, præter modum plerique exterrentur: vita, mors, divitiæ, paupertas, omnes homines vehementissime permovent. Quæ qui in utramque partem excelso animo magnoque despiciunt, cumque aliqua his ampla & honesta res objecta est, totos ad se convertit & rapit, [53] tum quis non admiretur splendorem pulchritudinemque virtutis?

XI. Ergo

50 *Eos contemnunt quidem neutiquam*] Sic Langius & Lambinus ediderunt: eodemque modo in uno ex manuscriptis nostris legitur. Cæteri cum vulgatis habent, *Haud eos contemnunt quidem, sed de iis* &c. *Neutiquam* est nullo modo, ut de Senectute: *Mihi vero & Flacco neutiquam probari potuit*. Fabritius.

* Man. *nec alteri prosunt, ut dicitur*.

51 *Nec sibi, nec alteri*] Ita fere proverbiales sententiæ afferuntur, quasi vulgo vel a primo verbo notæ. *Langius*.

52 *Admiratione autem* afficiunt *ii*] Sic legendum, libris omnibus invitis, non, ut vulgo, *admiratione afficiuntur*. Nam *admiratione affici* dicuntur, qui admirantur alterum; *admiratione afficere* autem, ii, qui sunt aliis admirabiles, propter aliquam præstantiam, ut hic. *Lambinus*. Minime gentium librorum præstantium scriptura est movenda. Nam *admiratione afficiuntur* qui tales se præbent, ut eos homines admirentur & colant. Sic *honore affici* dicuntur, qui honorantur, *præmio affici*, in quos præmium confertur. *Grævius*.

53 *Tum quis*] Quis horum fortitudinem non admiretur? Adverte ἀνακόλουθον. *Facc.*

XI. Ergo & hæc animi deſpicientia admirabilitatem magnam facit: & maxime juſtitia (ex qua una virtute viri boni appellantur) mirifica quædam res multitudini videtur: nec injuria. Nemo enim juſtus eſſe poteſt, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egeſtatem timet, aut qui ea, quæ ſunt his contraria, æquitati anteponit. Maximeque admirantur eum, qui pecunia non movetur: quod in quo viro perſpectum ſit, [a] hunc igni ſpectatum arbitrantur [54]. Itaque illa tria, quæ propoſita ſunt ad gloriam, omnia juſtitia conficit: & benevolentiam, quod prodeſſe vult plurimis: & ob eandem cauſam, fidem: & admirationem, quod eas res ſpernit & negligit, ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur.

Ac mea quidem ſententia omnis ratio atque inſtitutio vitæ adjumenta hominum deſiderat: in primiſque, ut habeas, quibuſcum poſſis familiares conferre ſermones: quod eſt difficile, niſi ſpeciem præ te boni viri feras. Ergo etiam [55] ſolitario homini, atque in agro vitam agenti, opinio juſtitiæ neceſſaria eſt: eoque etiam magis, quod ſi eam non habebunt, [56] injuſti habebuntur: nullis præſidiis ſepti, multis afficientur injuriis.

Atque iis etiam, qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendiſque negotiis implicantur, juſtitia ad rem gerendam neceſſaria eſt. Cujus tanta vis eſt, ut ne illi quidem, qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine ulla particula juſti-

a Vict. Man. *hunc dignum ſpectatu*

54 *Hunc igni ſpectatum arbitrantur*] Hanc veterem ſcripturam primus, quod equidem ſciam, Petrus Balduinus in lucem protulit, ac ſimili Platonis loco ex VI. de Republ. confirmavit. Igni vero aurum optime probari, iu vulgus notum eſt. Hoc Plato etiam lib. III. de Rep. *χρυσὸν ἐν πυρὶ βασανίζων*, dicit. Ovidius, *Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum*. Hanc igitur lectionem Carolus Langius in tribus libris antiquis inventam, ut ipſe fatetur, immerito repudiavit: Lambinus vero & Turnebus lib. XIX. Adverſar. cap. I. recte probant, & vulgatam illam, *Hunc dignum ſpectatu arbitrantur*, improbant. At enim Cicero *virum ſpectatum* ſæpe dicit. Recte: *dignum* vero *ſpectatu* ubi unquam dixit? Quem autem pecunia non moveri ſit perſpectum, eum non jam dignum ſpectatu, ſed ſatis ſpectatum & cognitum dixeris. Eſt igitur retinenda vetus lectio, in qua ineſt translatio ab auro optimo, perfectiſſimo, & puriſſimo: quæ verecundior fiet, ſi legas, *Hunc tanquam igni ſpectatum*, idque Lambino placere intelligo. *Fabritius*.

55 *Solitario*] Solitarius homo, & qui in agro vitam agit, ſumuntur hic pro duobus generibus hominum. Aliter non regerent verba pluralis numeri, quæ proxime ſequuntur. *Facc.*

56 *Injuſti habebuntur*] Duo hæc verba, ipſi quoque Manutio ſupervacua viſa ſunt, & percommode omitti poſſunt. *Facc.*

justitiæ vivere. Nam qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut eripit; is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. Ille autem, qui archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædam dispertiat, aut occiditur a sociis, aut relinquitur. Quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas observent. Itaque propter æquabilem prædæ partitionem, & [57] Bardylis Illyrius latro, de quo est apud Theopompum, magnas opes habuit; & multo majores [58] Viriatus Lusitanus: cui quidem etiam exercitus nostri imperatoresque cesserunt: quem C. Lælius, is, qui sapiens usurpatur, prætor fregit & comminuit, ferocitatemque ejus ita repressit, ut facile bellum reliquis traderet. Cum igitur tanta vis justitiæ sit, ut ea etiam latronum opes firmet atque augeat, quantam ejus vim inter leges & judicia, in constituta republica fore putamus?

XII. Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed etiam apud majores nostros, justitiæ fruendæ causa videntur olim bene morati reges constituti. Nam cum [b] premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute præstantem, qui cum prohiberet injuria tenuiores, æquitate constituenda summos cum infimis pari jure retinebat. Eademque constituendarum legum fuit causa, quæ regum. Jus enim semper quæsitum est æquabile: neque enim aliter esset jus. Id si ab uno justo, & bono viro consequebantur, eo erant contenti. Cum id minus contingeret, leges sunt inventæ, quæ cum omnibus semper una atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de justitia magna esset opinio multitudinis. Adjuncto vero [59], ut

iidem

57 *Bardylis*] Conjectura non omnino inani, ut puto, adducor, ut suspicer, hunc esse *Bardylin* Illyrium, quem Theopompus opes regias apud Illyrios habuisse, atque a Philippo Amyntæ filio victum oppidis nominis Macedonici cessisse, in Philippicis scriptum reliquerit. Lege Diodorum Siculum lib. XVI. *Fabrit.* Hujus Bardylios filiam Bircennam uxorem duxit Pyrrhus, teste Plutarch. in ejus vita.

58 *Viriatus*] Ex pastore venator, ex venatore latro, mox vasti quoque exercitus dux factus, tandem a proditoribus, Servilii Cæpionis consilio, interemptus est. Vide Florum, Patercul. &c.

b Vict. Man. Lamb. *premeretur initio multitudo*

59 *Adjuncto vero*] Locutio elegans & usitata. Sallust. lib. V. Historiarum apud Priscian. *At Lucullus, audito Marcium regem po-*

iidem etiam prudentes haberentur, nihil erat, quod homines his auctoribus non posse consequi se arbitrarentur. Omni igitur ratione colenda & retinenda justitia est, tum ipsa propter sese: nam aliter justitia non esset: tum propter amplificationem honoris & gloriæ. Sed ut pecuniæ non quærendæ solum ratio est, sed etiam collocandæ, quæ perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios, sed etiam liberales: sic gloria & quærenda, & collocanda ratione est.

Quanquam præclare Socrates, hanc viam ad gloriam proximam & quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset [60]. Quod si qui simulatione, & inani ostentatione, & ficto non modo sermone, sed etiam vultu, stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam flosculi, decidunt, nec simulatum potest quidquam esse diuturnum. Testes sunt permulti in utramque partem: sed brevitatis causa, familia erimus contenti una. Tib. enim Gracchus, P. filius, tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit. At ejus filii, nec vivi probabantur bonis, & mortui numerum obtinent jure cæsorum.

XIII. Qui igitur adipisci veram gloriam volet, justitiæ fungatur officiis. Ea quæ essent, dictum est libro superiore. Sed, ut facillime, quales simus, tales esse videamur, etsi in eo ipso vis maxima est, ut simus ii, qui haberi velimus, tamen quædam præcepta danda sunt. Nam si quis ab ineunte ætate habet causam celebritatis & nominis, aut a patre acceptam [61], (quod tibi, mi Cicero, arbitror contigisse) aut ali-

procos. per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere. Et iterum: *Legiones Valerianæ comperta, lege Gabinia Bithyniam & Pontum consuli datum, missos esse*. Langius.

60 *Hanc viam ad gloriam proximam & quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset*] Vide de hoc loco, & unde hauserit Cicero hoc apophthegma Socratis, disputantem P. Victorium Var. Lect. libro v. cap. 11. *Grævius*.

61 *Si quis ab ineunte ætate habet causam celebritatis & nominis, aut a patre acceptam*] Si quis claris parentibus est natus. Hinc nobilitatem vocat blandam conciliatriculam Cic. pro Sext. c. 9. *Erat hominum opinioni nobilitate ipsa, blanda conciliatricula, commendatus*. Senec. IV. de Benef. 30. *Non sine ratione sacra est magnarum virtutum memoria: & esse plures bonos juvat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat. Ciceronem filium quæ res consulem fecit, nisi pater? Cinnam nuper quæ res ad consulatum recepit ex hostium castris? Quæ*

aliquo casu, [62] atque fortuna: in hunc oculi omnium conjiciuntur, atque in eum, quid agat, quemadmodum vivat, anquiritur: & tanquam in clarissima luce versetur, ita nullum obscurum potest nec dictum ejus esse, nec factum. Quorum autem prima ætas propter humilitatem & obscuritatem in hominum ignoratione versatur: hi simul ac juvenes esse cœperunt, magna spectare, & ad ea rectis studiis debent contendere: quod eo firmiore animo facient, quia non modo non invidetur illi ætati, verum etiam favetur.

Prima igitur est adolescenti commendatio ad gloriam, si qua ex bellicis rebus comparari potest; in qua multi apud majores nostros exstiterunt: semper enim fere bella gerebantur. Tua autem ætas incidit in id bellum, cujus altera pars sceleris nimium habuit; altera felicitatis parum. Quo tamen in bello, cum te Pompejus alæ alteri præfecisset [63], magnam laudem a summo viro, & ab exercitu consequebare equitando, jaculando, omni militari labore tolerando. Atque ea quidem tua laus pariter cum republica cecidit. Mihi autem hæc oratio suscepta non de te est, sed de genere toto. Quamobrem ad ea, quæ restant, pergamus.

Ut

Qua Sextum Pompejum, aliosque Pompejos, nisi unius viri magnitudo? tanta quidem, ut satis alte omnes suos etiam ruina ejus attolleret. Quid nuper Fabium Persicum, cujus osculum etiam impuri vitabant, sacerdotem non in uno collegio fecit, nisi Verrucosi, & Allobrogici, & illi trecenti, qui hostium incursioni pro rep. unam domum objecerant? Hoc debemus virtutibus, ut non præsentes solum illas, sed etiam ablatas e conspectu colamus. Grævius.

62 *Aut aliquo casu*] Qualis fuit Æmilius Lepidus, *qui puer etiam tum progressus in aciem, hostem interemit, civem servavit: cujus tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata, & incincta prætexta S. C. posita. Iniquum enim putavit, eum honori nondum tempestivum videri, qui jam virtuti maturus fuisset.* Ut literis prodidit Valer. Max. III. 1. ubi vide plura eorum exempla, quos casus in adolescentia illustravit. *Idem.*

63 *Alæ alteri præfecisset*] Alæ tum temporis dicebantur, equitum turmæ ex provincialibus conscriptæ, quas in legionariarum XXX. turmarum locum, quæ olim legebantur ex equestri ordine, addebantur tum legionibus. Erant autem nonnunquam quinquagenariæ, nonnunquam milliariæ, sub primis certe imperatoribus, ut pluribus disputat vir genere & ingenio summus Germ. Rhabodus Schelius in accuratissimis dissertationibus ad Hyginum & Polybium de castris Romanorum. Vides autem non primum fuisse Augustum, qui liberis senatorum militiam auspicantibus, cum tribunatum legionis, tum præfecturas alarum dederit, ut Suetonius notat in ejus vita, sed hoc jam fecisse Pompejum. Sed quæ est illa *altera ala*? Singulæ legioni una tantum ala addebatur? Vereor ne τὸ *alteri* natum sit vitio librarii oscitantis ex voce *alæ* forte bis repetitæ, ideoque delendum, & scribendum *cum te Pompeius alæ præfecisset*. Nam licet duæ alæ legioni adjicerentur, aut plures essent in exercitu, & loqueretur de alis sociorum; quis tamen intelligeret, quæ esset ala altera, si non legionis nomen adscribatur? Sed hæc omnia sunt absurda, iis, qui militiam Romanorum norunt. Itaque persuasissimum habeo τὸ *alteri* expungendum esse. *Idem.*

Ut igitur in reliquis rebus multo majora ſunt opera animi, quam corporis: ſic hæ res, quas perſequimur ingenio ac ratione, [a] graviores ſunt, quam illæ, quas viribus. Prima igitur commendatio proficiſcitur a modeſtia, [64] tum pietate in parentes, tum in ſuos benevolentia. Facillime autem, & in optimam partem cognoſcuntur adoleſcentes, qui ſe ad claros & ſapientes viros, bene conſulentes reipublicæ, contulerunt: quibuſcum ſi frequentes ſunt, opinionem afferunt populo, eorum fore ſe ſimiles, quos ſibi ipſi delegerunt ad imitandum.

P. Rutilii adoleſcentiam [65] ad opinionem & innocentiæ, & juris ſcientiæ, P. Mucii [66] commendavit domus. Nam L. quidem Craſſus, cum eſſet admodum adoleſcens, non aliunde mutuatus eſt, ſed ſibi ipſe peperit maximam laudem ex illa accuſatione nobili & glorioſa: &, qua ætate qui exercentur, laude affici ſolent, (ut de Demoſthene accepimus) ea ætate L. Craſſus [67] oſtendit, id ſe in foro optime jam facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari.

XIV. Sed cum duplex ratio ſit orationis, quarum in altera ſermo ſit; in altera contentio: non eſt id quidem dubium,

a Vict. Man. *Lamb. graviores*

64 *Tum pietate &c.*] Duæ particulæ *tum* inſerviunt conjunctiooi, non ordini. Ait igitur, primam & potiſſimam commendationem oriri a modeſtia, & pietate in parentes, & in ſuos benevolentia. *Facc.*

65 *P. Rutilii adoleſcentiam*] Recenſetur etiam inter diſcipulos P. Mutii a Pomponio de Orig. Jur. §. 40. Ejus adoleſcentis familiaritate delectatus eſt C. Lælius ſapiens. *Cic. in Lel.* Bello Numantino tribunus militum ſub Scipione militavit, cujus hiſtoriam poſtea literis mandavit. *Appian. in Iberic.* Tribunus plebis C. Hoſtilium Mancinum conſularem a patre patrato Numantinis deditum, & oon receptum, cum Romam rediiſſet, in ſenatum venire non dubitantem, e ſenatu juſſit educi, quod eum civem negaret eſſe. *Cic. I. de Orat.* 40. Conſulatum geſſit A. U. 648. collega Cn. Mallio, vel Manlio Cn. F. Maximo, ut eſt in nummo aureo apud Golz. Poſt conſulatum Q. Mucio P. L. P. M. Scævolæ Aſiæ proconſuli legatus fuit. *Epit. Liv.* 70. De ſcriptis ejus vide Cujacium 11. Obſerv. 27. & Torrent. ad Suet. Aug. 89. *Rupertus.*

66 *P. Mucii*] Hic eſt P. Mucius P. F. Q. N. P. pron. Scævola. Conſul fuit A. U. 620. collega L. Calpurnio Piſone Frugi. Pontificatum maximum adeptus eſt, occiſo fratre P. Licinio Craſſo Muciano ab Ariſtonico in Aſia. Tertius ejus frater fuit Q. Mucius Scævola augur. Omnes tres æque virtutis ac iotegritatis ac jurisprudentiæ laudibus floruerunt. P. Mucium pontificem Cicero in Bruto vocat juriſconſultorum diſertiſſimum. Sed & filius ejus Q. Mucius Scævola juris fuit peritiſſimus. Vide de his Muciis Rupertum ad Pompon. de Orig. Juris. §. 39. & 41.

67 *L. Craſſus*] Annos natus unum & viginti, ut Cicero teſtatur III. de Orat. ſed ſecundum auctorem Dialogi de cauſis corruptæ eloquentiæ, quem Quintilianum eſſe nullus dubito, cap. 34. annos natus undeviginti, C. Carbonem accuſavit, & damnavit. *Grævius.*

quin contentio [a] orationis majorem vim habeat ad gloriam. Ea est enim, quam eloquentiam dicimus. Sed tamen difficile dictu est, quantopere conciliet [68] animos hominum comitas affabilitasque sermonis. Exstant epistolæ, & Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Cassandrum, & Antigoni ad Philippum filium, trium prudentissimorum, (sic enim accepimus) quibus præcipiunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam alliciant, militesque blande appellando deliniant. Quæ autem in multitudine cum contentione habetur oratio, ea sæpe universam excitat. Magna est enim admiratio copiose sapienterque dicentis: quem qui audiunt, intelligere etiam, & sapere plus, quam cæteros, arbitrantur. Si vero inest in oratione mista modestiæ gravitas, nil admirabilius fieri potest; eoque magis, si ea sunt in adolescente.

Sed, cum sint plurima causarum genera, quæ eloquentiam desiderant, multique in nostra republica adolescentes & apud judices, & apud senatum dicendo laudem assecuti sint, maxima est admiratio in judiciis: quorum ratio duplex est: nam ex accusatione & defensione constat: quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persæpe est [69]. Dixi paulo ante de Crasso. Idem fecit adolescens M. Antonius [70]. Etiam P. Sulpicii eloquentiam accusatio illustravit, cum seditiosum & inutilem civem, C. Norbanum, in judicium vocavit. Sed hoc quidem non est sæpe faciendum, nec unquam nisi aut reipublicæ causa, ut ii, quos ante dixi: aut ut duo Luculli [71]: aut patrocinio, ut nos pro Siculis: pro Sardis,

a Vict. *orationis plurimum valeat, & majorem.....* Lamb. *orationis plus possit, majoremque vim habeat, & ad gratiam, & ad gloriam.*

68 *Animos hominum*] Et in meo codice & in editione prima deest *hominum*. *Facc.*

69 *Tamen etiam accusatio probata persæpe*] Plerique olim adolescentes famam captabant accusatione. Plutarchus in Lucullo, cum scripsisset admodum juvenem accusasse patris sui accusatorem Servilium augurem, eamque rem probasse populum Romanum, tamquam excelsi animi, & decoris plenam, subjicit hæc verba: *ἐδόκει δὲ ϗ ἄλλως αὐτοῖς* &c. *Videbatur aliaquin Romanis, vel nulla causa justa suppetente, res non pudenda accusatio, sed delectabantur juvenibus improbos consectantibus ad instar canum generosorum, qui feras persequuntur.* Gravius.

70 *M. Antonius*] Avus M. Antonii triumviri. Accusavit Cn. Papirium Carbonem. *Manutius.*

71 *Duo Luculli*] L. & M. admodum adolescentes paternas inimicitias magna cum gloria sunt persecuti, & patris sui accusatorem Servilium augurem accusarunt. Cic. & Plut. in Lucullo. *Fabrit.*

dis Julius [72]. In accusando etiam M' Aquilio [73] L. Fusii cognita industria est. Semel igitur, aut non sæpe certe. Sin erit, cui faciendum sit sæpius, reipublicæ tribuat hoc muneris, cujus inimicos ulcisci sæpius, non est reprehendendum: modus tamen adsit. Duri enim hominis, vel potius vix hominis videtur, periculum capitis inferre multis. Id cum periculosum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam, committere, ut accusator nominetur: quod contigit M. Bruto [74], summo genere nato, illius filio, qui juris civilis in primis peritus fuit.

Atque etiam hoc præceptum officii diligenter tenendum est, ne quem unquam innocentem [75] judicio capitis arcessas: id enim sine scelere fieri nullo pacto potest. Nam quid est tam

 inhu-

72 *Pro Sardis Julius*] In vulgatis libris omnibus, consentientibus manuscriptis legitur, (præter Lambinum, quem nos hic sequimur) *pro Sardis, pro M. Albucio Julius*: quod perspicue mendosum & falsum est. Nam constat ex Divinatione in Verrem, C. Julium Cæsarem rogatum a Sardis T. Albucium accusasse, non defendisse. Quocirca Doletus, Manutius, Corradus, & Langius hic legendum putarunt, *pro Sardis in*, vel *contra Albucium Julius*. Sigonius in Fragmentis Ciceronis legit, *pro Sardis vero M. Albucium Julius Cæsar*. Lambinus totum illud, *pro M. Albucio*, non Ciceronis esse, verum ex annotatione natum putat. Itaque sustulit. *Fabricius*. Locum mendosum esse vere viderunt docti viri, sed non ausus tamen sum contra librorum omnium fidem aliquid immutare cum Paulo Manutio, Langio, & Lambino. Puto autem nomen hic excidisse accusatoris Albucii, quod nobis servavit Apulejus in Apologia, qui, ut clare patet, hæc verba Ciceronis, in quibus agit de juvenibus, qui laudem invenerunt & gloriam accusationibus, respicit. Verba ejus sunt: *Neque autem gloriæ causa me accuset, ut M. Antonius Cn. Carbonem, C. Mutius A. Albucium, P. Sulpitius Cn. Norbanum, C. Furius M. Aquilium, C. Curio Q. Metellum*. Vides hic omnes eos commemorari, quorum Cicero hic meminit, & C. Mucium vocari accusatorem *T. Albucii*: male enim in Apulejo scribi *A.* pro *T.* docti monuerunt dudum. Nec dubito *Mucium* quoque hic fuisse lectum olim, & ex hoc loco id nomen, ut cætera, haustum ab Apulejo. Sed cum librariorum incuria, aut alio quodam casu plures hujus vocis *Mucius* periissent literæ, habitum fuit a scribis, ac lectoribus pro prænomine Albucii; & quia nemo reperiebatur, qui aut pro aut contra Albucium steterat, nomen Julii suit loco suo motum, & huc male translatum. Videtur sane mihi Cicero scripsisse: *P. Sulpicii eloquentiam accusatio illustravit, cum seditiosum & inutilem civem C. Norbanum in judicium vocavit. Sed hoc quidem non est sæpe faciendum, nec unquam nisi aut reip. causa, ut ii quos ante dixi, aut ulciscendi, ut duo Luculli, aut patrocinio, ut nos pro Siculis, pro Sardis Julius; Mucius Albucium*, sc. reip. causa in judicium vocavit, sive accusavit. Nam Q. Mucium augurem diem T. Albucio dixisse de repetundis Cicero in Bruto quoque prodidit: *Mucius augur quod opus erat per se ipse dicebat: ut de pecuniis repetundis contra T. Albucium*. Grævius.

73 *M'. Aquilio*] Vide Corradi annot. ad Bruti cap. 62.

74 *M. Bruto*] De quo locus insignis est in eandem sententiam in Bruto de claris orat. cap. 34. *Idem*.

75 *Judicio capitis arcessas*] In prima editione leg. *in judicio capitis arcessas*, sed satis apparet duo hæc verba addita fuisse ab aliquo Interprete. Alii remedium attulere deleta particula *In*; sed legere malim *innocentem capitis arcessas*. Facc.

inhumanum, quam eloquentiam, a natura ad salutem hominum, & ad conservationem datam, ad bonorum pestem perniciemque convertere? Nec tamen, ut hoc fugiendum est, ita habendum est religioni, nocentem aliquando, modo ne nefarium [76] impiumque, defendere. Vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas. Judicis est, semper in causis verum sequi: patroni, nonnunquam verisimile, etiam si minus sit verum, defendere: quod scribere (præsertim cum de philosophia scriberem) non auderem, nisi idem placeret gravissimo Stoicorum Panætio. Maxime autem & gloria paritur & gratia defensionibus: eoque major, si quando accidit, ut ei subveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri urgerique videatur. Ut nos & sæpe alias, & adolescentes, contra L. Syllæ dominantis opes pro S. Roscio Amerino fecimus: quæ, ut scis, exstat oratio.

XV. Sed expositis adolescentium officiis, quæ valeant ad gloriam adipiscendam, deinceps de beneficentia ac liberalitate dicendum est. Cujus est ratio duplex. Nam aut opera benigne fit indigentibus, aut pecunia. Facilior est hæc posterior, locupleti præsertim: sed illa lautior ac splendidior, & viro forti claroque dignior. Quanquam enim in utroque inest gratificandi liberalis voluntas, tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur: largitioque, quæ fit ex re familiari fontem ipsum benignitatis exhaurit. Ita benignitate benignitas tollitur: qua quo in plures usus sis, eo minus in multos uti possis.

At qui opera, id est, virtute & industria benefici & liberales erunt, primum quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendum adjutores habebunt: deinde consuetudine beneficentiæ paratiores erunt, & tanquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. Præclare epistola quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione benevolentiam

Ma-

76 *Modo ne nefarium*] Vulgati omnes, si Grævium excipias, omittunt hanc vocem, *modo*, quam ille auctoritate sui codicis pervetusti addidit. „ Hæc verissima, inquit, „ hujus loci scriptura præcidit omnes Ciceronem impugnantium, quasi impia hic docuisset, cum nefarios & impios defendi „ posse statuisset, cavillationes, & nos cum „ tuendi munere levat.

Macedonum consectetur. *Quæ te, malum, inquit, ratio in istam spem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupisses? An tu id agis, ut Macedones non te regem suum, sed ministrum & præbitorem sperent fore?* Bene ministrum & præbitorem, quia sordidum regi: melius etiam, quod largitionem, corruptelam esse dixit. Fit enim deterior, qui accipit, atque ad idem semper exspectandum paratior. Hoc ille filio: sed præceptum putemus omnibus. Quamobrem id quidem non dubium est, quin illa benignitas, quæ constat ex opera & industria, & honestior sit, & latius pateat, & possit prodesse pluribus.

Nonnunquam tamen est largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum est: & sæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum [77], sed diligenter [78], atque moderate. Multi enim patrimonia effuderunt, inconsulte largiendo. Quid autem est stultius, quam quod libenter facias, curare, ut id diutius facere non possis? Atque etiam sequuntur largitionem [79] rapinæ. Cum enim dando egere cœperint, alienis bonis manus afferre coguntur. Ita, cum benevolentiæ comparandæ causa benefici esse velint: non tanta studia assequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, qui-

77 *Sæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum*] Ambiguitate vocis *idoneus* inductus, injuria Lactantius invadit in hæc verba. Lactantii ævo, sicut & apud ICtos, *idonei* homines haud alii fere, quam boni & locupletes dicebantur: ideo tanquam astutum & ἐπικερδὲς hoc præceptum reprehendit, quasi illis solum foret impertiendum, qui restituere possent, lib. VI. cap. 11. Et persuasit, quod mirum, Turnebo lib. III. Advers. c. 16. Sed *idoneos indigentes* omnino dicit Cicero probos homines paupertate oppressos: ut in Cæcilium: *ut homines idonei atque integri causam reip. legumque susciperent*. Et Cornific. IV. ad Herennium: *Populi officium est res optimas & homines idoneos maxime suis sententiis eligere & probare.* J. F. Gronov. IV. Observ. c. 9.

78 *Sed diligenter*] Recte Langius exponit *diligenter* cum delectu, non cuivis promiscue, sed dignis & idoneis indigentibus. Sic *diligenter scribere* ep. Cic. est eleganter, magno verborum delectu adhibito. In eodem sensu *diligentia* in Orat. pro Planc. *Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia*. Hoc est, populus agit omnia temere, inconsulte, nullo rerum hominumve delectu habito, & discrimine. Sic & *elegantia*. In Orat. pro Sylla: *Vos qui cum summa elegantia atque integritate vixistis*. Hoc est, adhibito judicio in omnibus rebus. Sunt ejusdem originis. Nam sicut a *diligo* est *diligens*, sic ab *eligo elegans* & *elegantia*. Qui sine delectu donant, eos lepide Socrates Gratias virgines tanquam scorta prostituere dixit apud Stobæum: Σωκράτης ἰδών τινα προχείρως πᾶσι χαριζόμενον, &c. *Socrates, cum facile quendam omnibus gratificari, nulloque delectu suppeditare animadvertisset*: Male pereat, *inquit*, qui Gratias virgines prostituit. *Græv.*

79 *Rapinæ*] Præclare locum hunc explicatum habes apud Aristotelem in lib. 4. Ethic. c. 1. *Facc.*

quibus ademerunt. Quamobrem nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit: nec ita reseranda, ut pateat omnibus. Modus adhibeatur, isque referatur ad facultates. Omnino meminisse debemus id, quod a nostris hominibus sæpissime usurpatum, jam in proverbii consuetudinem venit, largitionem fundum non habere. Etenim quis potest modus esse, cum & idem qui consuerunt, & idem illud alii desiderent?

XVI. Omnino duo sunt genera largorum: quorum alteri prodigi; alteri liberales. Prodigi, qui epulis, & viscerationibus, & gladiatorum muneribus [80], ludorum venationumque apparatu, pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem, aut nullam omnino sint relicturi. Liberales autem, qui suis facultatibus aut captos a prædonibus redimunt, aut æs alienum suscipiunt amicorum [81], aut in filiarum collocatione adjuvant, aut opitulantur in re vel quærenda, vel augenda. Itaque miror, quid in mentem venerit Theophrasto, in eo libro, quem de divitiis scripsit: in quo multa præclare; illud absurde. Est enim multus in laudanda magnificentia & apparatione popularium munerum: taliumque sumptuum facultatem, fructum divitiarum putat. Mihi autem ille fructus liberalitatis, cujus exempla pauca posui, multo etiam major videtur & certior. Quanto [82] Aristoteles gravius & verius nos reprehendit, qui has pecuniarum effusiones non admi-

80 *Gladiatorum muneribus*] Meus optimus: *gladiatoriis muneribus*, quem sequor. *Grævius*.

81 *Aut æs alienum suscipiunt amicorum*] Tales erant in Atheniensium republica ἔρανοι. Dicebantur autem ἐρανισταί, qui amicorum æs alienum, collecta stipe ab aliis amicis, dissolvebant. Fuit enim apud Athenienses mos plenus pietatis & humanitatis, ut, qui adversa fortuna suis bonis erant evoluti, implorarent amicorum opem, ut eorum pecunia, quam quilibet pro facultatum modo, aut lubitu conferebat, levarentur anhelante inopia, hac tamen lege, ut, si quando quis in re lautiore cœpisset esse, & emersisset ex illa gravissima paupertate, singulis amicis, quod tum contulerant, restitueret. Hæc pecunia quæ conferebatur, dicebatur ἔρανος, & fuit medium quoddam inter δάνεια creditumque proprie dictum, & stipem quæ mendico datur, quam Græci ἐλεημοσύνην vocant. Qui illam conferebanr, dicuntur ἐρανίζειν τινί, & qui accipiebant ἐρανίζεσθαι. De quo plura vide, quibus hæc debentur, apud Is. Casaubonum in notis ad Theophrasti Characteres περὶ αὐθαδείας, apud Salmas. de Usuris cap. 3. & Observationibus ad jus Atticum cap. 1. & seq. *Idem*.

82 *Aristoteles*] Alii legere malunt *Aristo*, qui philosophus fuit inter Stoicos non postremus; quod videlicet nihil tale in Aristotelis operibus, quæ extant, inveniatur. *Facc.*

admiremur [83], quæ fiunt ad multitudinem deliniendam. [84] At ii, qui ab hoste obsidentur, si emere [85] aquæ sextarium mina cogerentur, hoc primo incredibile nobis videri, omnesque mirari; sed, cum attenderint, veniam necessitati dare: in his immanibus jacturis, infinitisque sumptibus, nihil nos magnopere mirari; cum præsertim nec necessitati subveniatur, nec dignitas augeatur; ipsaque illa delectatio multitudinis sit ad breve exiguumque tempus: eaque [86] a levissimo quoque: in quo tamen ipso una cum satietate, memoria quoque moriatur voluptatis. Bene etiam colligit, hæc pueris, & mulierculis, & servis, & servorum simillimis liberis esse grata: gravi vero homini, & ea quæ fiunt, judicio certo ponderanti, probari posse nullo modo.

Quanquam intelligo, in nostra civitate inveterasse jam a bonis temporibus, ut splendor ædilitatum ab optimis viris postuletur. Itaque & P. Crassus cum cognomine dives, tum copiis, functus est ædilitio maximo munere: & paulo post L. Cras-

83 *Verint nos reprehendit, qui hae pecuniarum effusiones non admiremur*] Sententia est hæc: Aristoteles graviter reprehendit nos scilicet omnes, qui non admiremur reperiri homines tam fatuos, qui tantum effundant pecuniæ in ludos, & munera, brevis temporis oblectationem; eos vero miremur, qui mina in obsessa urbe sextarium aquæ emerint. Hoc verbis sequentibus sic explicat: *sed cum attenderint* nimirum animum homines, *veniam necessitati dare*, hoc est, ignoscere hominibus tam caro aquam ementibus, nec id mirari: *in his immanibus jacturis infinitisque sumptibus*, qui scilicet fiunt in munera, *nihil nos magnopere mirari*, sed omnes judicare recte & bene illos impendi. Quæ maxime firmant lectionem verborum illorum, *nos reprehendit, qui pecuniarum effusiones non admiremur*, quæ & doctorum virorum conjecturæ, & nonnulli libri convellebant. Sed iis fraudi fuit personarum immutatio veteribus non infrequens, quod modo Cicero dicat, *nobis videri*, statim *cum attenderint*, cum videretur dicendum fuisse, *si attenderimus*. Sed Cicero sententiam respicit: per *nos* enim intelliguntur omnes ii qui hæc vane mirabantur: inter quos sane Cicero non erat. Porro *jacturæ* hic sunt sumptus, donationes, prodigæ largitiones, ut sæpe apud Ciceronem. Pro Cluent. *Primum illum judicem pecunia corrupit, deinde ipsum Aurium, non magna jactura facta, tollendum curavit.* Pro Flacco: *quæ jacturæ, quantæ largitiæ?* Pro Milone: *qui annona levanda, jacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi*, hoc est, largiendi de suo. Quæ loca debemus τῷ πάνυ Gronovio, qui plura congessit IV. de Pec. Vet. contra virum magnum, qui pro *jacturas* reponi volebat *pacturas*. Eum vide. *Grævius.*

84 *At ii*] Vel adde, vel subaudi *inquit*. Sunt enim verba Aristotelis. Si addis, adde post *obsidentur*. Facc.

85 *Aquæ sextarium mina*] sextam congii partem, idest libram unam & semissem, drachmis centum. *Facc.*

86 *Eaque a levissimo quoque*] In Codice MS. Petri Delphini leg. *eaque a levissime quoque animo*. Mihi hæc prorsus tollenda videntur. Addita fortasse margini fuerant ad id notandum, quod sequitur post verbum *colligit*. Itaque verba, *in quo tamen*, referenda puto ad *tempus*. Idipsum animadvertit Hermannus in Arte Crit. n. XXXI. *Facc.*

Craſſus cum omnium hominum moderatiſſimo, Q. Mucio, magnificentiſſima ædilitate functus eſt: deinde C. Claudius, Appii filius: multi poſt, Luculi [86], Hortenſius, Silanus. Omnes autem P. Lentulus, me conſule, vicit ſuperiores. Hunc eſt Scaurus imitatus. [87] Magnificentiſſima vero noſtri Pompeji munera ſecundo conſulatu: in quibus omnibus quid mihi placeat, vides.

XVII. Vitanda tamen eſt ſuſpicio avaritiæ. Mamerco, homini divitiſſimo, prætermiſſio ædilitatis conſulatus repulſam attulit. Quare &, ſi poſtulatur a populo, bonis viris ſi non deſiderantibus, attamen approbantibus, faciendum eſt, modo pro facultatibus; nos ipſi ut fecimus: &, ſi quando aliqua res major atque utilior populari largitione acquiritur; ut Oreſti nuper prandia in ſemitis [88] decumæ nomine magno honori fuerunt. Ne Marco quidem Sejo [89] vitio datum eſt, quod in caritate aſſe modium populo dedit. Magna enim ſe & inveterata invidia, nec turpi jactura, quando erat ædilis, nec maxima liberavit. Sed honori ſummo nuper noſtro Miloni fuit, quod gladiatoribus emptis [90] reipublicæ cauſa, quæ ſalute noſtra continebatur, omnes P. Clodii conatus furoreſque compreſſit. Cauſa igitur largitionis eſt, ſi aut neceſſe eſt, aut utile.

In his autem ipſis mediocritatis regula optima eſt. L. quidem Philippus, Q. filius, magno vir ingenio, in primiſque clarus, gloriari ſolebat, ſe ſine ullo munere adeptum eſſe omnia, quæ haberentur ampliſſima. Dicebat idem C. Curio. Nobis quoque licet in hoc quodam modo gloriari. Nam pro ampli-

86 *Luculli*] Sic recte emendarunt viri docti: conſtat enim duos Lucullos fratres L. & M. eodem anno ædilitatem geſſiſſe, de qua Plutarch. & Plin. lib. VIII. cap. 7. *Fabritius*.

87 *Magnificentiſſima*] Produxit in arenam leones quingentos, pantheras ſexcentas, & elephantos viginti. *Facc.*

88 *Decumæ nomine*] Fructuum decumas primum regibus, deinde vero Diis præſtari conſueviſſe, ſcribit Aurelius Victor de Origine Gentis Romanæ. Itaque narrat Suetonius in Caligula cap. 26. *Scenicis ludis decumas datas*; hoc eſt, dona populo ſparſa, ſi placet, in honorem deorum. *Facc.*

89 *M. Sejo*] De quo Plinius H. N. initio libri XV.

90 *Gladiatoribus emptis*] Cum Clodius magnam manum armatorum hominum comparaſſet, qua utebatur ad turbandam rempublicam, ad leges & judicia evertenda, ei ut reſiſteret Milo & ipſe gladiatores emit, & vim vi repulit. Vide Dionem lib. XXXI. ad annum U. C. 697. & Cic. II. ad Q. Fratrem ep. 6. *Grævius*.

amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus nostro quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos modo nominavi, sane exiguus sumptus ædilitatis fuit.

Atque etiam illæ impensæ meliores sunt, muri, navalia, portus, aquarum ductus, omniaque, quæ ad usum reipublicæ pertinent. Quanquam quod præsens tanquam in manum datur, jucundius est: tamen hæc in posterum gratiora. Theatra, porticus, nova templa verecundius reprehendo, propter Pompejum: sed doctissimi non probant, ut & hic ipse Panætius, quem multum in his libris secutus sum, non interpretatus; & Phalereus Demetrius, qui Periclem, [91] principem Græciæ, vituperat, quod tantam pecuniam in præclara illa propylæa [92] conjecerit. Sed de hoc genere toto, in iis libris, quos de republica scripsi, diligenter est disputatum. Tota igitur ratio talium largitionum, genere, vitiosa est; temporibus, necessaria; [93] & tum ipsa & ad facultates accommodanda, & mediocritate moderanda est.

XVIII. In illo autem altero genere largiendi, quod a liberalitate proficiscitur, non uno modo in disparibus causis affecti esse debemus.

Alia causa est ejus, qui calamitate premitur, & ejus, qui res meliores quærit, nullis suis rebus adversis. Propensior benignitas esse debebit in calamitosos, nisi forte erunt digni calamitate. In iis tamen, qui se adjuvari volent, non ut ne affligantur, sed ut altiorem gradum adscendant, [94] restricti omnino esse nullo modo debemus: sed in deligendis idoneis

judi-

91 *Principem Græciæ*] Ex primariis Græciæ viris, ut Regulus dicitur l. 3. c. 29. princeps populi Romani, & Cimon princeps Atheniensium a Nepote c. 3. *Facc.*

92 *In præclara illa propylæa*] Hæc erant arcis quæ Cecropia dicebatur, vestibula, lapide albo tecta, quibus exstruendis Pericles annos quinque, & bis mille ac duodecim talenta impendit, hoc est, nostra pecunia, duodecies centies mille, & septies mille ducentos coronatos, teste Suida & Harpocratione in προπύλαια. Per solas horum vestibulorum portas quinque patebant aditus in arcem. Illarum claves Archontes singuli singulis diebus tantum, ne tyrannidem affectare unquam possent, asservabant, quoque eas die habebant, dicebantur Ἐπιστάται. J. Meursius in Cecropia cap. 6. *Grævius.*

93 *Et tum*] Particula & vacat. Irrepsit autem ab aliquo Grammatico, ut explicaret particulam *tum*. Aliqui legerunt *&* *tamen*, quod duas illas particulas concoquere non possent. *Facc.*

94 *Restricti omnino*] Ego reposui *animo* ex meo codice, pro *omnino*: quæ particula quamvis sit in vulgatis omnibus, certe redundat, & abest ab editione prima. *Facc.*

judicium & diligentiam adhibere. Nam praeclare Ennius:

Benefacta male locata, malefacta arbitror.

Quod autem tributum est bono viro & grato, in eo cum ex ipso fructus est, tum etiam ex caeteris. Temeritate enim remota, gratissima est liberalitas: eoque eam studiosius plerique laudant, quod summi cujusque bonitas commune perfugium est omnium. Danda igitur opera est, ut hos beneficiis quam plurimis afficiamus, quorum memoria liberis posterisque prodatur, ut iis ingratis esse non liceat. Omnes enim immemorem beneficii oderunt: eamque injuriam in [95] deterrenda liberalitate sibi etiam fieri; eumque, qui faciat, communem hostem tenuiorum putant.

Atque haec benignitas etiam reipublicae utilis est, redimi e servitute captos, locupletari tenuiores: quod quidem vulgo solitum fieri ab ordine nostro in oratione Crassi scriptum copiose videmus. Hanc ergo consuetudinem benignitatis largitioni munerum longe antepono. Haec est gravium hominum, atque magnorum: illa quasi assentatorum populi, multitudinis levitatem voluptate quasi titillantium.

Conveniet autem cum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum; in omnique re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando, vicinitatibus & confiniis, aequum & facilem; multa multis de jure suo cedentem: a litibus vero, quantum liceat, & nescio an paulo plus etiam, quam liceat, abhorrentem. Est enim non modo liberale, paulum nonnunquam de suo jure decedere, sed interdum etiam fructuosum. Habenda autem est ratio rei familiaris, quam quidem dilabi sinere, flagitiosum est: sed ita, ut illiberalitatis avaritiaeque absit suspicio. Posse enim liberalitate uti, non spoliantem se patrimonio, nimirum is est pecuniae fructus maximus. Recte etiam a Theophrasto est laudata hospitalitas. Est enim (ut mihi quidem videtur) valde decorum, patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus: idque etiam reipublicae est ornamento, homines externos hoc liberalitatis gene-

95 *Deterrenda*] Deterrent liberales virns ingrati, proindeque hostes habentur tenuiorum. Al. *deterenda*, hoc est minuenda. *Facc.*

genere in urbe nostra non egere. Est autem etiam vehementer utile iis, qui honeste posse multum volunt, per hospites apud externos populos valere opibus & gratia. Theophrastus quidem scribit, Cimonem Athenis etiam in suos curiales [96] Laciadas hospitalem fuisse. Ita enim instituisse, & villicis imperavisse, ut omnia præberentur, quicumque Laciades in villam suam divertisset.

XIX. Quæ autem opera, non largitione, beneficia dantur, hæc tum in universam rempublicam, tum in singulos cives conferuntur. Nam in jure cavere [97], consilio juvare, atque hoc scientiæ genere prodesse quam plurimis, vehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam. Itaque cum multa præclara majorum, tum quod optime constituti juris civilis summo semper in honore fuit cognitio atque interpretatio: quam quidem ante hanc confusionem temporum in possessione sua principes retinuerunt: nunc ut honores, ut omnes dignitatis gradus, sic hujus scientiæ splendor deletus est: idque eo indignius, quod eo tempore hoc contigit, cum is esset [98], qui omnes superiores, quibus honore par esset, scientia facile vicisset. Hæc igitur opera, grata multis, & ad beneficiis obstringendos homines accommodata.

Atque huic arti finitima est dicendi gravior facultas, [99] & gratior, & ornatior. Quid enim eloquentia præstabilius, vel admiratione audientium, vel spe indigentium, vel eorum, qui defensi sunt, gratia? Huic quoque ergo a majoribus nostris est in toga dignitatis principatus datus. Diserti igitur

96 *In suos curiales*] Male Manutius [illegible] exponit: sunt δημόται, ejusdem pagi homines. Curiales Latine vocavit Cicero, petito ex sua rep. vocabulo, quo Græcum expressit. Quis nescit populum Romanum divisum fuisse in triginta curias, quæ cum convenirent publice, curiata habebantur comitia? ejusdem vero curiæ homines dicebantur curiales. Populus vero Atticus erat descriptus in pagos, quos ipsi δήμους vocant; ejusdem vero pagi homines δημόται appellabantur. De Λακίας pago, e quo erat Cimon, vide Meursium in libro de δήμοις Atticis. *Grævius.*

97 *In jure cavere*] Est hominis juris prudentis, qui consultori suo rationem præscribit, formulamque dictitat paciscendi aut contrahendi, & monitis consilioque instruit, ne conditionem deteriorem faciat. *Budæus.*

98 *Cum is esset*] Ser. Sulpicium significari, recte Lambinus admonet. Atque ita Corradus quoque in Commentario doctissimo in Brutum Ciceronis hunc locum interpretatur: quem docti quidam inepte de Julio Cæsare intelligunt. *Fabric.*

99 *Et gratior*] Duo hæc verba redundare videntur Heumanno in Arte Crit. n. XXVII. *Facc.*

hominis, & facile laborantis, quodque in [1] patriis est moribus, multorum causas, & non gravate, & gratuito defendentis, beneficia & patrocinia late patent.

Admonebat me res, ut hoc quoque loco intermissionem eloquentiæ, ne dicam interitum, deplorarem: ni vererer, ne de me ipso aliquid viderer queri. Sed tamen videmus, quibus extinctis oratoribus, quam in paucis spes, quanto in paucioribus facultas, quam in multis sit audacia. Cum autem omnes non possint, ne multi quidem, aut jurisperiti esse, aut diserti, licet tamen opera prodesse multis, [2] beneficia petentem, commendantem judicibus & magistratibus, vigilantem pro re alterius, eos ipsos, qui aut consuluntur, aut defendunt, rogantem: quod qui faciunt, plurimum gratiæ consequuntur, latissimeque eorum manat industria.

Jam illud non sunt admonendi, (est enim in promptu) ut animum advertant, cum juvare alios velint, ne quos offendant. Sæpe enim aut eos lædunt, quos non debent: aut eos, quos non expedit. Si imprudentes, negligentiæ est: si scientes, temeritatis. Utendum etiam excusatione adversus eos, quos invitus offendas, quacumque possis; quare id, quod feceris, necesse fuerit, nec aliter facere potueris: cæterisque operis & officiis erit, quod violatum est, compensandum.

XX. Sed cum in hominibus juvandis aut mores spectari, aut fortuna soleat: dictu quidem est proclive, itaque vulgo loquuntur, se in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam sequi. Honesta oratio est. Sed quis est tandem, qui inopis & optimi viri causæ non anteponat, in opera danda, gratiam fortunati & potentis? a quo enim expeditior & celerior remuneratio fore videtur, in eum fere est voluntas nostra propensior. Sed animadvertendum est diligentius, quæ natura rerum sit. Nimirum enim inops ille, si bonus est vir, etiam si referre gratiam non potest, habere certe potest. Commode

1 *Patriis moribus*] Ad patrios mores accessit postea lex Cincia, quæ vetabat, ne quis ob caussam orandam sibi pecuniam pacisceretur, vel munera acciperet. Innuit idem etiam in Paradoxo VI. *Facc.*

2 *Beneficia petentem*] Quartus hic casus, additus verbo *licet*, animadvertendus. Habet & Plautus in Pseudolo sc. 1. v. 14. *Facc.*

mode autem, quicumque dixit, *pecuniam qui babeat* [3], *non reddidisse; qui reddiderit, non babere: gratiam autem & qui retulerit, babere; & qui babeat, retulisse*. At, qui se locupletes, honoratos, beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt. Quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur, cum ipsi quamvis magnum aliquod acceperint: atque etiam a se aut postulari, aut exspectari aliquid suspicantur: [4] patrocinio vero se usos, & clientes appellari, mortis instar putant. At vero ille tenuis, cum, quidquid factum sit, se spectatum, non fortunam putet, non modo illi, qui est meritus, sed etiam illis, a quibus exspectat, (eget enim multis) gratum se videri studet. Neque vero verbis auget suum munus, si quo forte fungitur, sed etiam extenuat. Videndumque illud est, quod si opulentum fortunatumque defenderis, in illo uno, aut forte in liberis ejus, manet gratia. Sin autem inopem, probum tamen & modestum: omnes non improbi humiles (quæ magna in populo multitudo est) præsidium sibi paratum vident. Quamobrem melius apud bonos, quam apud fortunatos, beneficium collocari puto.

Danda omnino opera est, ut omni generi satisfacere possimus. Sed si res in contentionem veniet, nimirum Themistocles est auctor adhibendus; qui cum consuleretur, utrum bono viro pauperi, an minus probato diviti filiam collocaret: *Ego vero*, inquit, *malo virum*, *qui pecunia egeat*, *quam pecuniam*, *quæ viro*. Sed corrupti mores depravatique sunt admiratione divitiarum: quarum magnitudo quid ad unumquemque nostrum pertinet? Illum fortasse adjuvat, qui habet: ne id quidem semper. Sed fac juvare: * utentior [5] sane sit; honestior vero quomodo? Quod si etiam bonus erit vir, ne impediant

3 *Pecuniam qui babeat*] Vide Ant. Julianum de hac sententia disputantem apud Gel. l. 1. 4. *Græv.*

4 *patrocinio vero*] Alii addunt *tuo*. Siquid addendum, ego libenter adderem *dici*. Ita enim naturalis loquendi ratio poscit. *Facc.*

* Vict. Man. *potentior* Lamb. *opulentior*.

5 *Utentior*] Vide Turneb. Adverf. XIX. I. qui tuetur antiqui libri scripturam, & *opulentior* a semidoctis hominibus proseminatum esse contendit. Sane meus quoque liber antiquissimus *utentior* probat. Eleganter utique. Nam *utentior* est qui plus impendit in cultum vitæ, qui pluribus utitur ad vitam tuendam, qui majores sumptus in se tuendo facit. Uti enim est sustinere impendia, se tueri, sustentare, ut docuit Gronovius lib. 51. de Pecunia Vetere cap. 7. *Grævius*.

pediant divitiæ, quo minus juvetur, modo ne adjuvent [6]: sitque omne judicium, non quam locuples, sed qualis quisque sit.

Extremum autem præceptum in beneficiis, operaque danda est, ne quid contra æquitatem contendas, ne quid per injuriam. Fundamentum enim perpetuæ commendationis & famæ est justitia, sine qua nihil potest esse laudabile.

XXI. Sed quoniam de eo genere beneficiorum dictum est, quæ ad singulos spectant: deinceps de iis, quæ ad universos, quæque ad rempublicam pertinent, disputandum est. Eorum autem ipsorum partim ejusmodi sunt, ut ad universos cives pertineant, partim singulos ut attingant, quæ sunt etiam gratiora. Danda est opera omnino, si possit [7] utrisque, nec minus, ut etiam singulis consulatur: sed ita, ut ea res aut prosit, aut certe ne obsit reipublicæ. C. Gracchi frumentaria magna largitio; exhauriebat igitur ærarium: modica M. Octavii [8], & reipublicæ tolerabilis, & plebi necessaria; ergo & civibus, & reipublicæ salutaris.

In primis autem videndum erit ei, qui rempublicam administrabit, ut suum quisque teneat, neque de bonis privatorum publice diminutio fiat. Perniciose enim Philippus [9] in tribunatu, cum legem agrariam ferret, quam tamen antiquari facile passus est, & in eo vehementer se moderatum præbuit: sed cum in agendo multa populariter, tum illud male, *non esse in civitate duo millia hominum, qui rem haberent*. Capitalis

6 *Modo ne adjuvent*] Modo ne propter divitias divitem juvemus, si vir non est bonus, sed propter bonitatem. *Idem*. Hæc tria verba Heumannus in Arte Critica n. xxvii. tollenda putat. *Facc.*

7 *Utrisque*] Ita vulgo legitur: quæ vox nec ipsa per se hoc loco ferenda videtur, nec recte cohæret cum duabus, quæ proxime sequuntur, particulis. Legendum *ut universis*. Facc.

8 *M. Octavii*] *Cn. Octavius, M. filius, tantum auctoritate dicendoque valuit, ut legem Semproniam frumentariam populi frequentis suffragiis abrogaverit*. Cic. In Bruto c. 62. Ex iis autem Tullii verbis, quibus in hoc loco Octavii laudat moderatam largitionem, fere colligere est, non totam Gracchi frumentariam legem abrogasse M. Octavium, sed nova lege sua quodam modo moderasse, rempublicam. & ærarium intolerabili damno sublevasse. Verum qua ratione hoc præstiterit, cum nullum istius extet caput, obscurum est. Videtur tamen statuisse vel majus pretium in singulos modios secundum annonæ caritatem, vel uti triente atque semisse minus, quam emptus esset, civibus modius venderetur. Tale quid Apuleja sequens lex frumentaria videtur insinuare, quæ modios denuo ad trientes atque semisses Semproniæ legis, hac Octavia abrogata, non sine tumultu redegit. *Pighius*.

9 *Philippus*] L. Marcius Q. F. Q. N. Philippus, tribunus plebis fuit anno U. C. DCXLIX. *Idem*.

lis oratio, & ad æquationem bonorum pertinens: qua peste quæ potest esse major? Hanc enim ob causam maxime, ut sua tenerent, respublicæ civitatesque constitutæ sunt. Nam etsi duce natura congregabantur homines, tamen spe custodiæ rerum suarum, urbium præsidia quærebant.

Danda etiam opera est, ne (quod apud majores nostros sæpe fiebat, propter ærarii tenuitatem, assiduitatemque bellorum) tributum sit conferendum: idque ne eveniat, multo ante erit providendum. Sin qua necessitas hujus muneris alicui reipublicæ obvenerit: (malo enim quam nostræ ominari; neque tamen de nostra, sed de omni republica disputo) danda erit opera, ut omnes intelligant, (si salvi esse velint) necessitati esse parendum.

Atque etiam omnes, qui rempublicam gubernabunt, consulere debebunt, ut earum rerum copia sit, quæ sunt necessariæ: quarum qualis comparatio fieri soleat & debeat, non est necesse disputare: est enim in promptu: tantum locus attingendus fuit.

Caput autem est in omni procuratione negotii & muneris publici, ut avaritiæ pellatur etiam minima suspicio. Utinam, inquit, C. Pontius [10] Samnis, ad illa tempora me fortuna reservasset, & tum essem natus, si quando Romani dona accipere cœpissent! non essem passus diutius eos imperare. Næ illi multa secula exspectanda fuerunt. Modo enim hoc malum in hanc rempublicam invasit. Itaque facile patior tunc potius Pontium fuisse, siquidem in illo tantum fuit roboris. Nondum centum & decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata est lex, nulla antea cum fuisset. At vero postea tot leges, & proximæ quæque duriores: tot rei, tot damnati, tantum Italicum bellum propter judiciorum metum excitatum [11]: tanta, sublatis legibus & jùdiciis, expilatio direptio-

10 *Pontius*] Samnitium imperator, qui Romanos ad furcas Caudinas sub jugum misit. Pronuntiavit autem hoc apophthegma, cum M. Curius ejus aurum contempsisset. *Erasmus*.

11 *Tantum Italicum bellum propter judiciorum metum excitatum*] Ex multis causis unam affert, tanquam solam & præcipuam Cicero. Nam in legibus Liviis fuerat, ut causam dicere cogerentur, qui suspecti essent corruptelæ munerum. Cum autem senatus illis legibus resisteret, Italicum seu sociale bellum motum est. *J. Fr. Gronov.*

reptioque sociorum, ut imbecillitate aliorum, non nostra virtute valeamus.

XXII. Laudat Africanum Panætius, quod fuerit abstinens. Quidni laudet? sed in illo alia majora. Laus enim abstinentiæ, non hominis est solum, sed etiam temporum illorum. Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus est Paulus: tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum. At hic nihil in domum suam præter memoriam nominis sempiternam detulit. Imitatus patrem Africanus, nihilo locupletior Carthagine eversa. Quid? qui ejus collega in censura fuit L. Mummius, numquid copiosior, cum [12] copiosissimam urbem funditus sustulisset? Italiam ornare, quam domum suam, maluit. Quanquam Italia ornata, domus ipsa mihi videtur ornatior.

Nullum igitur vitium tetrius, (ut eo, unde digressa est, referat se oratio) quam avaritia, præsertim in principibus rempublicam gubernantibus. Habere enim quæstui rempublicam non modo turpe est, sed sceleratum etiam & nefarium. Itaque quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam nulla re alia, nisi avaritia perituram, id videtur non solum Lacedæmoniis, sed & omnibus opulentis populis prædixisse. Nulla autem re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt ii, qui reipublicæ præsunt, quam abstinentia & continentia.

Qui vero se populares volunt, ob eamque causam aut agrariam rem tentant, ut possessores suis sedibus pellantur, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant: ii labefactant fundamenta reipublicæ; concordiam primum, quæ esse non potest, cum aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniæ: deinde æquitatem, quæ tollitur omnis, si habere suum cuique non licet. Id enim est proprium (ut supra dixi) [13] civitatis atque urbis, ut sit libera & non sollicita suæ rei cujusque custodia.

atque

12 *Copiosissimam urbem*] Corinthum, quam statuis, & picturis spoliavit, quibus ornaret Italiam. Erat autem Mummius ita rudis & incuriosus harum rerum, ut cum tabulas ac statuas in Italiam portandas locasset, jusserit, conducentibus prædici, si eas perdidissent, novas reddituros. Vell. Patercul. l. 1. c. 13. *Facc.*

13 *Civitatis atque urbis*] Prima voce homines intelligit eodem jure viventes, eaque interdum ita late patet, ut multa oppida complectatur; altera locum mœnibus septum. *Facc.*

Atque in hac pernicie reipublicæ ne illam quidem consequuntur, quam putant, gratiam. Nam cui res erepta est, est inimicus: cui data, etiam dissimulat se accipere voluisse: & maxime in pecuniis creditis occultat suum gaudium, ne videatur non fuisse solvendo. At vero ille, qui accipit injuriam, & meminit, & præ se fert dolorem suum: nec, si plures sunt ii, quibus improbe datum est, quam illi, quibus injuste ademptum est, idcirco plus etiam valent. Non enim numero hæc judicantur, sed pondere. Quam autem habet æquitatem, ut agrum multis annis, aut etiam seculis ante possessum, qui nullum habuit, habeat: qui autem habuit, amittat?

XXIII. Ac propter hoc injuriæ genus Lacedæmonii Lysandrum ephorum [14] expulerunt: Agin regem (quod nunquam antea apud eos acciderat) necaverunt: ex eoque tempore tantæ discordiæ secutæ sunt, ut & tyranni exsisterent [15], & optimates exterminarentur [16], & præclarissime constituta respublica dilaberetur. Nec vero solum ipsa cecidit, sed etiam reliquam Græciam evertit contagionibus malorum, quæ a Lacedæmoniis profectæ, manarunt latius. Quid? nostros Gracchos, Tib. Gracchi, summi viri, filios, [17] Africani nepotes, nonne agrariæ contentiones perdiderunt?

At vero Aratus Sicyonius [18] jure laudatur, qui, cum ejus civitas quinquaginta annos a tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem, clandestino introitu urbe est potitus. Cumque tyrannum Nicoclem improviso oppressisset, sexcentos exules, qui fuerant ejus civitatis locupletissimi, restituit, remque publicam adventu suo liberavit. Sed cum magnam animadverteret in bonis & possessionibus difficultatem, quod & eos, quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant, egere iniquissimum

14 *Lysandrum ephorum*] Non fuit hic Lysander Aristaclyti filius, qui vicit ad Ægos potamos, ut plerique interpretes existimant, sed Lysander Lybyos filius, ephorus, de quo Plutarchum in Agide vide. *Grævius*.

15 *Tyranni exsisterent*] Machanidas & Nabis. De quibus Polybius & Livius. *J. F. Gronovius*.

16 *Optimates exterminarentur*] Vide Plutarchum in vita Cleomenis.

17 *Africani nepotes*] Cornelia Africani majoris filia nupsit Ti. Graccho, & ex eo peperit Cajum, & Tiberium, si non bonos viros, certe magnos, ut ait Seneca. *Facc.*

18 *Aratus Sicyonius*] Cujus vitam scripsit Plutarchus.

fimum arbitrabatur, & quinquaginta annorum possessiones movere [19] non nimis æquum putabat, propterea quod tam longo spatio multa hereditatibus, multa emptionibus, multa dotibus tenebantur sine injuria: judicavit, neque illis adimi, neque his non satisfieri, quorum illa fuerant, oportere. Cum igitur statuisset, opus esse ad eam rem constituendam pecunia, Alexandriam se proficisci velle dixit, remque integram ad reditum suum jussit esse: isque celeriter ad Ptolemæum, suum hospitem, venit, qui tum regnabat alter post Alexandriam conditam: cui cum exposuisset, patriam se liberare velle, causamque docuisset; a rege opulento vir summus facile impetravit, ut grandi pecunia adjuvaretur. Quam cum Sicyonem attulisset, adhibuit sibi in consilium quindecim principes, cum quibus causas cognovit & eorum, qui aliena tenebant, & eorum qui sua amiserant: perfecitque æstimandis possessionibus, ut persuaderet aliis, ut pecuniam accipere mallent, possessionibus cederent: aliis, ut commodius putarent, numerari sibi quod tanti esset, quam suum recuperare. Ita perfectum est, ut omnes concordia constituta sine querela discederent.

O virum magnum, dignumque, qui in nostra republica natus esset! Sic par est agere cum civibus, non (ut bis jam vidimus) hastam in foro ponere, & bona civium voci subjicere præconis. At ille Græcus (id quod fuit sapientis & præstantis viri) omnibus consulendum putavit: eaque est summa ratio & sapientia boni civis, commoda [a] civium non divellere, atque omnes æquitate eadem continere. [20] Habitant gratis in alieno. Quid ita? Ut, cum ego emerim, ædificarim, tuear, impendam, tu, me invito, fruare meo? Quid est [b] aliud, aliis sua eripere, aliis dare aliena? Tabulæ vero novæ [21] quid habent argumenti, nisi ut emas mea pecunia fundum: eum tu habeas, ego non habeam pecuniam?

XXIV. Quam-

19 *Quinquaginta annorum possessiones movere*] Quamvis vulgata non sit improbanda, ... meus primus: *possessiones movere* ...

a ... Man. *civium defendere, non divellere* ...

20 ... *gratis &c.*] Ante verba hæc putat Heumannus deesse aliquid. De Arte Critica n. XVII. *Facc.*

b Vict. *aliud, quam* Man. *aliud, nisi*

21 *Tabulæ novæ*] Cum pristina debita supremi magistratus decreto abolentur. De quibus exstat erudita dissertatio Joannis Schefferi. *Grævius*.

XXIV. Quamobrem ne ſit æs alienum, quod reipublicæ noceat, providendum eſt; quod multis rationibus caveri poteſt: non, ſi fuerit [22], ut locupletes ſuum perdant, debitores lucrentur alienum. Nec enim ulla res vehementius rempublicam continet, quam fides: quæ eſſe nulla poteſt, niſi erit neceſſaria ſolutio rerum creditarum. Nunquam vehementius actum eſt, quam me conſule, ne ſolveretur. [23] Armis & caſtris tentata res eſt ab omni genere hominum, & ordine: quibus ſic reſtiti, ut hoc tantum malum de republica tolleretur. Nunquam nec majus æs alienum fuit: nec melius, nec facilius diſſolutum eſt. Fraudandi enim ſpe ſublata, ſolvendi neceſſitas conſecuta eſt. At vero hic nunc victor, tum quidem victus, [24] quæ cogitarat, ea perfecit [25], cum ejus jam nihil intereſſet. Tanta in eo peccandi libido fuit, ut hoc ipſum eum delectaret, peccare, etiam ſi cauſa non eſſet.

Ab hoc igitur genere largitionis, ut aliis detur, aliis auferatur, aberunt ii, qui rempublicam tuebuntur: in primiſque operam dabunt, ut juris & judiciorum æquitate ſuum quiſque teneat: & neque tenuiores propter humilitatem circumvenian-

22 *Non, ſi fuerit*] Hic locus elegantiſſimus peſſime fuerat attrectatus. Hoc autem dicit: Videndum in primis ne ſit æs alienum, quod reip. officiat. Sin vero jam ſit contractum, non per leges agrarias, non per novas tabulas, quærenda ratio ejus diſſolvendi; ut ſcilicet creditores, qui locupletes ſint, ſuum non conſequantur; debitores, quia inopes, lucrentur alienum: hanc enim viam eſſe iniquam, tum etiam reip. damnoſam. Ita enim futurum ut ſocietas omnis tollatur, ſi rerum contrahendarum nulla fides ſit: in ſumma, alieni rapiendi, ſui perdendi libido augeatur deſidioſis & improbis. *Lang.*

23 *Armis & caſtris*] modus proverbialis; quemadmodum dicitur, *velis remiſque.*

24 *At vero hic noſter victor, tum quidem victus*] Libri omnes manuſcripti, *At vero hic nunc victor, tunc quidem victus, quæ cogitarat, tum ea perfecit, cum eius jam nihil intereſſet*. Sic & Moguntiacenſis, niſi quod pro *nunc*, habet *noſter*, & contra pro *tunc*, habet *nunc*. C. Cæſar paucos dies ante quam iniret ædilitatem in ſuſpicionem venit conjurationis cum P. Sylla, M. Craſſo, L. Autronio. Quod Plutarch. & Sueton. aperte referunt; Cicero hic indicat, ut ſupra monui. Salſe igitur *hic noſter victor*, & invidioſe in mortuum; *tunc quidem victus*, nempe detecta conjuratione, & auctoribus partim cæſis, partim ſpe ſua fruſtratis. Nam æs alienum cauſa fuit & illius, & Catilinariæ conſpirationis, ut ex Salluſtio patet. Refertur autem a Sueton. & Plutarch. Cæſarem anno poſt Catilinarios motus in Hiſpaniam procoſ. profecturum, a creditoribus fuiſſe retentum; ac M. Craſſum DCCC. XV. talentorum pro eo ſpopondiſſe. *Langius.*

25 *Ea perfecit*] Non recte hæc cepit Langius de agris publicis, quos egentibus largitus eſt. Intelligenda ſunt de æſtimationibus poſſeſſionum, per quas quarta parte crediti creditores ſunt fraudati. *Sueton.* Jul. XLII. *Cæſar* III. de Bell. Civ. I. Sequentia quoque *cum ejus nihil intereſſet*, reſpiciunt, illa tempora, quibus Cæſar, ſpoliata Gallia, ære alieno, quo laboraverat maxime, liberatus erat. *Sueton.* in ejus vita cap. 18. *J. Fr. Gronovius.*

tur, neque locupletibus ad sua vel tenenda, vel recuperanda obsit invidia: præterea quibuscumque rebus vel belli, vel domi poterunt, rempublicam augeant imperio, agris, vectigalibus. Hæc magnorum hominum sunt: hæc apud majores nostros factitata: hæc genera officiorum qui persequuntur, cum summa utilitate reipublicæ magnam ipsi adipiscentur & gratiam, & gloriam.

In his autem utilitatum præceptis Antipater Tyrius, Stoicus [26], qui Athenis nuper est mortuus, duo præterita censet esse a Panætio, valetudinis curationem, & pecuniæ. Quas res a summo philosopho præteritas arbitror, quod essent faciles: sunt certe utiles. [27] Sed valetudo sustentatur notitia sui corporis; & observatione, quæ res [28] aut prodesse soleant, aut obesse; & continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi causa; & prætermittendis voluptatibus; postremo arte eorum, quorum ad scientiam hæc pertinent. Res autem familiaris quæri debet iis rebus, a quibus abest turpitudo: conservari autem diligentia & parsimonia: iisdem etiam rebus augeri. Has res commodissime Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro, qui Œconomicus inscribitur: quem nos ista fere ætate cum essemus, qua es tu nunc, e Græco in Latinum convertimus.

XXV. Sed utilitatum comparatio, quoniam hic [29] locus erat quartus a Panætio prætermissus, sæpe est necessaria. Nam & corporis commoda cum externis, & externa cum corporis, & ipsa inter se corporis, & externa cum externis comparari solent. Cum externis, corporis, hoc modo comparantur: Valere ut malis, quam dives esse. Cum corporis, externa,

26 *Antipater Tyrius, Stoicus*] Hic alius est ab illo Antipatro Tyrio, qui æqualis fuit Carneadi, quem scriptis oppugnavit, cum coram non auderet cum illo congredi, unde dictus est καλαμοβόας, quasi qui calamo clamaret, ut auctor est Plutarchus de garrulitate. Dicebatur etiam Antipater Sidonius, ab aliis Tarsensis. Sed hic longe recentior est, æqualis Ciceroni & Catoni Uticensi. *Grævius*.

27 *Sed valetudo*] Particula *Sed* gratis addita ab aliquo Grammatico videtur. Interdum servit transitioni, sed hic vacat. *Facc.*

28 *Et observatione, quæ res*] Familiare est Ciceroni nominibus constructionem verbi sui dare. Sic supra: *Spe, sibi id utile futurum*. Langius.

29 *Locus erat quartus*] Primus locus: Honestumne sit, an non. Secundus: Utilene sit, an non. Tertius: ex duobus Honestis utrum Honestius. Quartus: ex duobus Utilibus utrum Utilius. *Facc.*

terna, hoc modo: Dives esse potius, quam maximis corporis viribus. Ipsa inter se corporis sic: ut Bona valetudo voluptati anteponatur, vires celeritati. Externorum autem, ut gloria divitiis, vectigalia urbana rusticis. Ex quo genere [30] comparationis illud est Catonis senis: a quo cum quæreretur, quid maxime in re familiari expediret, respondit, Bene pascere [31]. Quid secundum? Satis bene pascere [32]. Quid tertium? Male pascere [33]. Quid quartum? Arare. Et, cum ille, qui quæsierat, dixisset, Quid fœnerari? Tum Cato, Quid hominem, inquit, occidere? Ex quo, & multis aliis, intelligi debet, utilitatum comparationes fieri solere, recteque hoc adjunctum esse quartum exquirendorum officiorum genus.

Sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, commodius a quibusdam optimis viris [34] ad medium Janum [35] sedentibus, quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur. Sunt tamen ea cognoscenda: pertinent enim ad utilitatem, de qua hoc libro disputatum est. Reliqua deinceps persequemur.

DE

30 *Comparationis*] Vox hæc redundat, ut recte monet Heumannus. De Arte Critica n. XVIII. *Facc.*

31 *Bene pascere*] Rem pecuariam quam amplissimam habere, magnosque pecoris greges, & lecta jumentorum armenta. *J. Fr. Gronov.*

32 *Satis bene pascere*] Mediocriter, vel minus quam omnino bene. *Idem*. Cato de R. R. 137. *In loco bono parte octava corbi dividat, satis bene septima, tertio loco sexta*. Cic. I. ad Att. 19. *Videor mihi nostrum illum consularem exercitum, bonorum omnium, & satis bonorum habere firmissimum*. III. de Orat. 22. *Quare si jam me vultis esse oratorem, si etiam sat bonum, si bonum denique, non repugnabo*. J. Fr. Gronov.

33 *Male pascere*] Vict. Man. & Lambinus, *bene vestire*. Suffridus quoque Petri & Gifanius (adde Salmasium de Usuris p. 543. qui *bene vestire* defendit, & eo significari contendit servitiorum multitudinem) hic jactant suum *vestire*, aut *vitire*, sine omni venere & gratia. *Male pascere* repositum oportuit: quod diserte extat in Palatino nostro primo, meminitque Columella libro VI. de Re Rustica, ipsa præfatione, his verbis: *Cæterum de tam sapiente viro piget dicere, quod eum quidam auctores commemorant, quidnam quærenti cuidam tertium in agricolatione quæstuosum esset, asseverasse, si quis vel male pasceret*, &c. Nimirum quod homines non assequerentur quid esset *male pascere*, id Ciceronis fundo omnino eradicarunt. At vult Cato, tantum esse utilitatis in pecore pascendo, ut quamvis maligne pascatur, sive male curatum pecus habeat paterfamilias, superet tamen fructus omnes arationis, reliquæque adeo agriculturæ. *Gruterus.*

34 *Optimis viris*] Optimos viros ἀρωτικῶς dictum est: nec aliter licebat ea ætate etiam principibus civitatis fœnori operam navantibus. *Langius*. Fœneratores *optimi viri* dicuntur non ἀρωτικῶς, ut ait Langius, sed quod illorum maxime intersit sentire cum bonis, hoc est cum iis, qui pacem, otium, remp. tranquillam & salvam velint. *J. Fr. Gronovius*, quem vide lib. IV. Observ. cap. 9.

35 *Ad medium Janum*] Vicus hoc nomine Romæ fuit, ubi pecunia fœnori dabatur. Prima Vici pars, summus Janus; media, medius; ultima, imus vocabatur. Unde Horatius.

O cives, cives, quærenda pecunia primum est:
Virtus post nummos. Hæc Janus summus ab imo
Perdocet. Manutius.

DE OFFICIIS,

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

HIC liber de comparatione honestatis & utilitatis agit, quæ erat tertia propositæ disputationis pars. Negat Cicero aut dubitandum esse, aut unquam dubitari, utrum id, quod utile videatur, honesto sit anteponendum, sed tempora incidere quibus quod turpe haberi soleat, honestum videatur: tamquam, cum turpe sit, occidere aliquem, si tyrannus occidatur, non modo non turpe, sed etiam gloriosum videri; in quo non anteponatur utile honesto, sed honestas utilitatem sequatur. Itaque, ut sine ullo errore dijudicari possit, si quando cum illo, quod honestum intelligitur, pugnare id videbitur, quod appellamus utile, formulam quandam constituit, e Stoicorum disciplina, quam si quis in comparatione rerum sequatur, numquam ab officio recedat. Ea hæc est: Detrahere aliquid alteri, & alterius incommodo suum augere, est contra naturam: pro multorum autem incolumitate & salute labores & molestias suscipere, secundum naturam est. Hanc legem qui servaverit, nunquam aberrabit, neque aut temporibus perturbabitur, aut Jure Civili, quo quæ conceduntur, turpia quidem plerisque non videntur, sed sunt tamen sæpissime, cum formulæ constitutæ, hoc est, legi naturæ repugnant. Ex hac formula deinde multas quæstiones propositas, quibus officium ex temporibus exquiritur, explicat. Ernestus.

I. Publium

I. Ublium Scipionem, Marce fili, eum, qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit fere ejus æqualis, *Nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus: nec minus solum, quam cum solus esset.* Magnifica vero vox, & magno viro, ac sapiente digna: quæ declarat, illum & in otio de negotiis cogitare, & in solitudine secum loqui solitum; ut neque cessaret unquam, & interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duæ res, quæ languorem afferunt cæteris, illum acuebant, otium & solitudo. Vellem nobis hoc idem vere dicere liceret: sed si minus imitatione tantam ingenii præstantiam consequi possumus, voluntate certe proxime accedimus: nam & a republica, forensibusque negotiis, armis impiis, vique prohibiti, otium persequimur: & ob eam causam, urbe relicta, rura peragrantes, sæpe soli sumus. Sed nec otium hoc cum Africani otio, nec hæc solitudo cum illa comparanda est. Ille enim requiescens a reipublicæ pulcherrimis muneribus otium sibi sumebat aliquando, & a cœtu hominum, frequentiaque interdum, tanquam in portum se in solitudinem recipiebat. Nostrum autem otium negotii inopia, non requiescendi studio, constitutum est. Exstincto enim senatu, deletisque judiciis, quid est, quod dignum nobis aut in curia, aut in foro agere possimus? Ita qui in maxima celebritate, atque in oculis civium quondam viximus, nunc fugientes conspectum sceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos, quantum licet, & sæpe soli sumus. Sed, quia sic ab hominibus doctis accepimus, non solum ex malis eligere minima oportere; sed etiam excerpere ex his ipsis, si quid inesset boni: propterea & otio fruor [1] non illo quidem, quo debeat is, qui quondam peperisset otium civitati; nec eam solitudinem languere patior, quam mihi affert necessitas, non voluntas.

Quanquam Africanus majorem laudem vel meo judicio asseque-

1 *Non illo quidem*] Particula *quidem* post *non* sententiam fere suspendit. In meo codice nihil est prorsus: ex quo apparet, particulam hanc in codicibus antiquis per notas scriptam fuisse, quæ non facile intelligerentur; & fortasse legendum est *tamen*. Facc.

quebatur : nulla enim ejus ingenii monumenta mandata literis, nullum opus otii , nullum ſolitudinis munus exſtat . Ex quo intelligi debet , illum mentis agitatione , inveſtigationeque earum rerum , quas cogitando conſequebatur , nec otioſum , nec ſolum unquam fuiſſe . Nos autem , qui non tantum roboris habemus , ut cogitatione tacita a ſolitudine abſtrahamur , ad hanc ſcribendi operam omne ſtudium curamque convertimus . Itaque plura brevi tempore , everſa , quam multis annis ſtante republica , ſcripſimus .

II. Sed cum tota philoſophia , mi Cicero , frugifera & fructuoſa ; nec ulla pars ejus inculta ac deſerta ſit : tum nullus feracior in ea locus eſt , nec uberior , quam de officiis , a quibus conſtanter honeſteque vivendi præcepta ducuntur . Quare quanquam a Cratippo noſtro , principe hujus memoriæ philoſophorum , hæc te aſſidue audire atque accipere confido : tamen conducere arbitror , talibus aures tuas vocibus undique circumſonare ; nec eas , ſi fieri poſſit , quidquam aliud audire . Quod cum omnibus eſt faciendum , qui vitam honeſtam ingredi cogitant , tum haud ſcio , an nemini potius , quam tibi . Suſtines enim non parvam exſpectationem imitandæ induſtriæ noſtræ , magnam honorum , nonnullam fortaſſe nominis . Suſcepiſti onus præterea grave & Athenarum [2] , & Cratippi : ad quos cum tanquam ad mercaturam bonarum artium ſis profectus , inanem redire turpiſſimum eſt [3] , dedecorantem & urbis auctoritatem , & magiſtri . Quare , quantum conniti animo potes , quantum labore contendere , (ſi diſcendi labor eſt potius , quam voluptas) tantum fac ut efficias : neve committas , ut , cum omnia ſuppeditata ſint a nobis , tute tibi defuiſſe videare . Sed hæc hactenus . Multa enim ſæpe ad te cohortandi gratia ſcripſimus . Nunc ad reliquam partem propoſitæ diviſionis revertamur .

Panæ-

2 *Suſcepiſti onus præterea grave & Athenarum*] *Onus* vocat illam expectationem , quam de ſe concitavit propter profeſſionem Athenienſem , & magiſtrum præſtantiſſimum , cui dat operam . Sic pompam lictorum , & nomen imperii onus vocat Cic. II. ad Fam. 16. *Accedit etiam moleſta hac pompa lictorum meorum , nomenque imperii , quo appellor . Eo ſi onere carerem , quamvis parvis Italiæ latebris contentus eſſem* . Grævius .

3 *Inanem redire turpiſſimum eſt*] Alluſit , ut opinor , ad Homericum verſum in lib. 2. Iliad. Αἰσχρὸν τοι δηρόν τε μένειν , κενεὸν τ' ἀπονέεσθαι . *Urſinus* .

Panætius igitur, qui ſine controverſia de officiis accuratiſſime diſputavit, quemque nos, correctione quadam adhibita, potiſſimum ſecuti ſumus, tribus generibus propoſitis, in quibus [4] deliberare homines, & conſultare de officio ſolerent: uno, cum dubitarent, honeſtumne id eſſet, de quo ageretur, an turpe: altero, utilene, an inutile: tertio, ſi id, quod ſpeciem haberet honeſti, pugnaret cum eo, quod utile videretur, quomodo ea diſcerni oporteret: de duobus generibus primis, tribus libris explicavit: de tertio autem genere deinceps ſe ſcripſit dicturum, nec id exſolvit, quod promiſerat. Quod eo magis miror, quia ſcriptum a diſcipulo ejus Poſidonio eſt, triginta annis vixiſſe Panætium, poſteaquam eos libros edidiſſet. Quem locum miror a Poſidonio breviter eſſe tactum in quibuſdam commentariis; præſertim cum ſcribat, nullum eſſe locum in tota philoſophia tam neceſſarium.

Minime vero aſſentior iis, qui negant, eum locum a Panætio prætermiſſum, ſed conſulto relictum, nec omnino ſcribendum fuiſſe, quia nunquam poſſet utilitas cum honeſtate pugnare: de quo alterum poteſt habere dubitationem, adhibendumne fuerit hoc genus, quod in diviſione Panætii tertium eſt, an plane omittendum: alterum dubitari non poteſt, quin a Panætio ſuſceptum ſit, [5] ſed relictum. Nam qui e diviſione tripartita, duas partes abſolverit, huic neceſſe eſt reſtare tertiam. Præterea in extremo libro tertio de hac parte pollicetur, ſe deinceps eſſe dicturum.

Accedit eodem teſtis locuples, Poſidonius, qui etiam ſcribit in quadam epiſtola, P. Rutilium Rufum dicere ſolere, qui Panætium audierat, ut nemo pictor eſſet inventus, qui Coæ Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquiſſet, abſolveret, (oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi ſpem auferebat) ſic ea, quæ Panætius prætermiſiſſet, & non

4 *Deliberare & conſultare*] Synonyma ſunt. Ita capite ſequenti *deliberatio* pro conſultatione ponitur. *Facc.*

5 *Sed relictum*] Error igitur Panætii fuit, non in relinquendo, ſi conſulto reliquit, ſed in ſuſcipiendo quod relinqueret. Alii leg. *derelictum*. Ego retinui *relictum*; quia vocem hanc eodem ferme ſenſu uſurpat in fine Tuſcul. 1. *Habes epilogum, ne quid prætermiſſum, aut relictum putes*. Facc.

perfeciſſet [6], propter eorum, quæ perfeciſſet, præſtantiam, neminem eſſe perſecutum.

III. Quamobrem de judicio Panætii dubitari non poteſt: reᶜtene autem hanc tertiam partem ad exquirendum officium adjunxerit, an ſecus, de eo fortaſſe diſputari poteſt. Nam ſive honeſtum, ſolum bonum eſt, ut Stoicis placet: ſive quod honeſtum eſt, id ita ſummum bonum eſt, quemadmodum Peripateticis veſtris videtur, ut omnia ex altera parte collocata, vix minimi [7] momenti inſtar habeant: dubitandum non eſt, quin nunquam poſſit utilitas cum honeſtate contendere. Itaque accepimus, Socratem exſecrari ſolitum eos, qui primum hæc natura cohærentia, opinione diſtraxiſſent. Cui quidem ita ſunt Stoici aſſenſi, ut, quidquid honeſtum eſſet, id utile eſſe cenſerent: nec utile quidquam, quod non honeſtum.

Quod ſi is eſſet Panætius, qui virtutem propterea colendam diceret, quod ea efficiens utilitatis eſſet; ut ii, qui res expetendas vel voluptate, vel indolentia metiuntur [8]: liceret ei dicere, utilitatem aliquando cum honeſtate pugnare. Sed, cum ſit is, qui id ſolum bonum judicet, quod honeſtum ſit, quæ autem huic repugnent ſpecie quadam utilitatis, eorum neque acceſſione meliorem vitam fieri, nec deceſſione pejorem: non videtur ejuſmodi debuiſſe deliberationem introducere, in qua, quod utile videretur, cum eo, quod honeſtum eſt, compararetur. Etenim quod ſummum bonum a Stoicis dicitur: *Convenienter naturæ vivere* [9]: id habet hanc, ut opinor, ſententiam, [10] cum virtute congruere ſemper: cætera autem, quæ ſecun-

6 *Quæ Panætius prætermiſiſſet, & non perfeciſſet*] Quibus in verbis ſæpe admiratus eram, cur additum eſſet illud, *& non perfeciſſet*. Certe enim quæ prætermiſerat Panætius, ea non modo non perfecerat, ſed ne inchoaverat quidem. Sed veteres libri admirationem ſuſtulerunt, quorum in plerisque poſtrema ejus comprehenſionis pars ita legitur: *Sic ea quæ Panætius prætermiſiſſet, propter eorum quæ perfeciſſet præſtantiam, neminem perſecutum*. Muret. Var. Lect. XV. 9.

7 *Momenti inſtar*] ſumpta a libra ſimilitudine, ut Critolaus loqui ſolebat, de quo in Tuſcul. 5. cap. 17. *Facc.*

8 *Vel indolentia metiuntur*] Græcorum vocem ἀναλγησία Cicero ficto a ſe verbo *indolentia* expreſſit. De qua multis diſputat Cic. II. de Fin. 4. & ſequentibus. *Grav.*

9 *Convenienter naturæ vivere*] Quid ſit congruenter naturæ vivere: ſeu ſecundum naturam vivere, in quo beatam vitam poſitam eſſe docebant non ſoli Stoici, ſed plerique philoſophi, & quanta fuerit ſententiarum diverſitas de hoc capite, vide apud Lipſ. Manud. ad Stoicam Philoſophiam lib. II. cap. 14. & ſequentibus.

10 *Cum virtute congruere*] quia virtus nihil eſt aliud, ut dicitur in lib. 1. de Leg. cap. 8.

ſecundum naturam eſſent, ita legere [11], ſi ea virtuti non repugnarent. Quod cum ita ſit, putant quidam, hanc comparationem non recte introductam, nec omnino de eo genere quidquam præcipiendum fuiſſe. Atque illud quidem honeſtum, quod proprie vereque dicitur [12], id in ſapientibus eſt ſolis [13], neque a virtute divelli unquam poteſt; in iis autem, in quibus ſapientia perfecta non eſt [14], ipſum illud quidem perfectum honeſtum, nullo modo; ſimilitudines honeſti eſſe poſſunt.

Hæc enim omnia officia, de quibus his libris diſputamus, media Stoici appellant [15]. Ea communia ſunt, & late patent: quæ & ingenii bonitate multi aſſequuntur, & progreſſione diſcendi. Illud autem officium, quod rectum iidem appellant, perfectum atque abſolutum eſt: &, ut iidem dicunt, omnes numeros habet; nec, præter ſapientem, cadere in quemquam poteſt. Cum autem aliquid actum eſt, in quo media officia compareant, id cumulate videtur eſſe perfectum: propterea quod vulgus, quid abſit a perfecto, non fere intelligit: quatenus autem intelligit, nihil putat prætermiſſum. Quod item in poematibus, & picturis uſu evenit, in aliiſque compluribus, ut delectentur imperiti, laudentque ea, quæ laudanda non ſint, ob eam, credo, cauſam, quod inſit in

c. 8. *quam in ſe perfecta, & ad ſummum perducta natura.* Itaque *congruenter naturæ vivere* idem eſt, ac vivere ex hominis natura undique perfecta, ut Cicero ipſe interpretatur in lib. 5. de Fin. cap. 9. Vide Senecæ ep. 76. *Facc.*

11 *Ita legere*] Sic infra, *legere voluptates.* Ex IV. de Finibus, *Illa autem; morbum, egeſtatem, dolorem, non appello mala; ſed, ſi lubet, rejectanea. Itaque illa non dico me expetere, ſed legere; nec optare, ſed ſumere; contraria autem non fugere, ſed quaſi ſecernere.* Diverſum eſt *negligere*, hoc eſt prætermittere. Quod vel data opera fit: ut in Adelph. (Prolog. 14.) *Qui præteritne negligentia eſt*, id eſt, volente, ſciente auctore. *Langius.*

12 *Illud quidem honeſtum, quod proprie vereque dicitur*] Quod κατόρθωμα Græci vocant. Vide lib. 1. cap. 3. & quæ ibi notantur. *Grævius.*

13 *Id in ſapientibus eſt ſolis*] Sapientibus ſcilicet Stoicis, qui nuſquam gentium terrarumque ſunt, neque fuerunt, nec erunt, quamvis hoc ultimum negent. Vide Senec. de Conſtant. Sap. cap. 7. & Lipſium Manuduct. ad Stoicam Philoſoph. lib. II. cap. 8. *Idem.*

14 *In iis autem, in quibus ſapientia perfecta non eſt*] Quos vocant viros bonos. Senec. ep. 42. *Scis quem nunc virum bonum dicam? hujus ſecundæ notæ. Nam ille alter fortaſſe tanquam phœnix ſemel anno quingenteſimo naſcitur.* Idem.

15 *Media Stoici appellant*] τὰ καθήκοντα, qualia etiam eſſe illa præcepta Epicteti, quæ in enchiridion Arrianus contulit, non perfectis, qui, vita rationi conſentanea non contenti, diis quaſi velint pares eſſe, tradita, ſed illis viris bonis, qui convenienter naturæ ſeu rationi velint vivere, & corpore pro inſtrumento uti: Vide Simplicii prooemium Commentarii in Enchiridion Epicteti. *Idem.*

his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui iidem, quid in unaquaque re vitii ſit, nequeant judicare. Itaque cum ſunt docti a peritis, facile deſiſtunt a ſententia.

IV. Hæc igitur officia, de quibus his libris diſſerimus, quaſi ſecunda quædam honeſta eſſe dicunt, non ſapientum modo propria, ſed cum omni hominum genere communia. Itaque his omnes, in quibus eſt virtutis indoles, commoventur. Nec vero cum duo Decii, aut duo Scipiones, fortes viri commemorantur, aut cum Fabricius Ariſtideſve juſti nominantur: aut ab illis fortitudinis, aut ab his juſtitiæ, tanquam a ſapientibus, petitur exemplum. Nemo enim horum ſic ſapiens, ut ſapientem volumus intelligi. Nec ii, qui ſapientes habiti ſunt, & nominati, M. Cato, & C. Lælius, ſapientes fuerunt [16]: ne illi quidem ſeptem: ſed ex mediorum officiorum frequentia ſimilitudinem quandam gerebant, ſpeciemque ſapientum.

Quocirca nec id, quod vere honeſtum eſt, fas eſt cum utilitatis repugnantia [17] comparari: nec id quidem, quod communiter appellamus honeſtum, quod colitur ab iis, qui bonos ſe viros haberi volunt, cum emolumentis unquam eſt comparandum: tamque id honeſtum, quod in noſtram intelligentiam cadit, tuendum conſervandumque eſt nobis, quam id, quod proprie dicitur, vereque eſt honeſtum, ſapientibus. Aliter enim teneri non poteſt [18], ſi qua eſt ad virtutem facta

16 *M. Cato & C. Lælius ſapientes fuerunt*] Sic Socratem, Diogenem, aliosque nonnullos longe quidem proceſſiſſe in via virtutis, ad ipſum ſapientiæ culmen nondum perveniſſe, quamvis non longe ab illo abfuerint, Poſidonius affirmat apud Diogenem Laertium in Zenone. Hi dicebantur, proficientes, ſtudioſi, ſectatores ſapientiæ. Vide Senecam epiſt. 71. & 75. & Lipſium Manuduct. ad Stoic. Philoſ. lib. II. cap. 9. *Idem*.

17 *Cum utilitatis repugnantia*] Petrus Nannius ſcribit in vetuſto libro eſſe, *Cum utilitatis ratione*. Fabritius.

18 *Aliter enim teneri non poteſt*] Non poſſumus aliter in ſapientiæ via conſiſtere; excidemus etiam plane ſapientiæ ſectatorum numero: actum eſt cum iis, qui ſapientiæ ſunt ſtudioſi, ſi, cum jam profecerunt, propoſita utilitatis & emolumenti ſpe, a recte agendo, & officio colendo avocari ſe patiuntur; ſi avertuntur ab officii & honeſti cultus utilitate. *Teneri non poteſt* eſt tale loquendi genus, quale id, quod ſæpe apud Livium occurrit, *ſiſti non poteſt*: quod eſt, reſpublica ſalva eſſe non poteſt, periit, actum eſt de republica: de quo vide quæ ὁ πάνυ Gronovius notat ad Livii lib. IV. cap. 32. Nam qui putant jungenda eſſe, *teneri progreſſio non poteſt*, falluntur. Hoc enim loquendi genus *tenere progreſſionem* non fert Latinæ linguæ genius. *Grævius*.

cta progreſſio. Sed hæc quidem de iis, qui conſervatione officiorum exiſtimantur boni.

Qui autem omnia metiuntur emolumentis & commodis, neque ea volunt præponderari honeſtate, hi ſolent in deliberando honeſtum cum eo, quod utile putant, comparare: boni viri non ſolent. Itaque exiſtimo, Panætium, cum dixerit, homines ſolere in hac comparatione dubitare, hoc ipſum ſenſiſſe, quod dixerit, ſolere modo; non etiam oportere. Etenim non modo pluris putare quod utile videatur, quam quod honeſtum; ſed hæc etiam inter ſe comparare, & in his addubitare, turpiſſimum eſt. Quid eſt ergo, quod nonnunquam dubitationem afferre ſoleat, conſiderandumque videatur? Credo, ſi quando dubitatio accidit, quale ſit id, de quo conſideretur.

Sæpe enim tempore fit, ut, quod plerumque turpe haberi ſoleat, inveniatur non eſſe turpe. Exempli cauſa, ponatur aliquid, quod pateat latius. Quod poteſt majus eſſe ſcelus, quam non modo hominem, ſed etiam familiarem hominem occidere? Num igitur ſe obſtrinxit ſcelere, ſi quis tyrannum occidit, quamvis familiarem? Populo quidem Romano non videtur, qui ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum exiſtimat. Vicit ergo utilitas honeſtatem: immo vero honeſtas [19] utilitatem ſecuta eſt. Itaque, ut ſine ullo errore dijudicare poſſimus, ſi quando cum illo, quod *honeſtum* intelligimus, pugnare id videbitur, quod appellamus *utile*, formula quædam conſtituenda eſt: quam ſi ſequemur in comparatione rerum, ab officio nunquam recedemus.

Erit autem hæc formula, Stoicorum rationi diſciplinæque maxime conſentanea: quam quidem in his libris propterea ſequimur, quod, quanquam a veteribus Academicis, & a Peripateticis veſtris, qui quondam iidem erant, qui Academi-

19 *Vicit ergo utilitas honeſtatem: imo vero honeſtas*] Ubi de Cæſaris cæde, etſi eum non nominat, loquitur. In vetuſtioribus quanto melius? *Vicit igitur utilitas honeſtatem? imo vero honeſtatem utilitas conſecuta eſt*. Significat enim factum illud honeſtum fuiſſe per ſe, utile κατὰ συμβεβηκός. *Muretus*. Var. Lect. xv. 9. Huic lectioni calculum adjicio. Nam honeſtas præire debet tamquam cauſſa: quo modo locutus eſt Cicero etiam de Amicitia c. 14. *Non utilitatem amicitia, ſed utilitas amicitiam conſecuta eſt*. *Facc.*

mici [20], quæ honesta sunt, anteponuntur iis, quæ videntur utilia: tamen splendidius hæc ab eis differuntur, quibus quidquid honestum est, idem utile videtur: nec utile quidquam, quod non honestum: quam ab iis, quibus aut honestum aliquid non utile, aut utile non honestum. Nobis autem [21] nostra Academia magnam licentiam dat, ut, quodcumque maxime probabile occurrat, id nostro jure liceat defendere. Sed redeo ad formulam.

V. Detrahere igitur aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera, quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum, & societatem. Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet, aut violet alterum, disrumpi necesse est eam, quæ maxime est secundum naturam, humani generis societatem. Ut, si unumquodque membrum sensum hunc haberet [22], ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari & interire totum corpus necesse est: sic, si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahatque quod cuique possit, emolumenti sui gratia, societas hominum & communitas evertatur necesse est. Nam, sibi ut quisque malit, quod ad usum vitæ pertineat, quam alteri, acquirere, concessum est, non repugnante natura. Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus.

Neque vero hoc solum natura, id est, jure gentium [23],

20 *Er a Peripateticis vestris, qui quondam iidem erant, qui Academici*] Iidem fuerunt Academici & Peripatetici, vivente Platone, cujus discipuli Aristoteles Peripateticorum auctor, Xenocrates Academicorum parens fuit, teste Cicerone III. de Orat. 17. *J. F. Gronov.* Vulgo additur, *qui Academici*: scilicet ab aliquo explanatore. Quomodo autem iidem essent, dictum est in Procemio lib. I. *Facc.*

21 *Nostra Academia*] Cicero ex novæ Academiæ placitis id sequitur, quod in loco & tempore maxime probat. Iccirco placuit illi hac in re Stoicum agere. *Facc.*

22 *Ut si unumquodque membrum sensum hunc haberet*] Nota est fabula, de membrorum humauorum veutris inertiæ succensentium discordia, qua Menenius Agrippa plebem, quæ irata patribus secesserat, ad obsequium & officium revocavit apud Liv. lib. II. 32. Sed dudum ante Socrates apud Xenophontem usus est hac similitudine ad duos fratres discordes libro II. Απομνημονευμάτων, quem vide. *Grævius.*

23 *Natura, id est, jure gentium*] Sic & alibi *jus gentium* vocat *jus naturæ*. In Tuscu-

ſed etiam legibus populorum, quibus in ſingulis civitatibus reſpublicæ continentur, eodem modo conſtitutum eſt, Ut non liceat ſui commodi cauſa nocere alteri. Hoc enim ſpectant leges, hoc volunt; incolumem eſſe civium conjunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, damno coercent. Atque hoc multo magis [a] exigit ipſa naturæ ratio, quæ eſt lex divina, & humana [24]: cui parere qui velit, (omnes autem parebunt, qui ſecundum naturam volent vivere) nunquam committet, ut alienum appetat, & id, quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat.

[25] Etenim multo magis eſt ſecundum naturam [26] excelſitas animi, & magnitudo: itemque [b] comitas, juſtitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiæ: quæ quidem contemnere, & pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communi, magni animi & excelſi eſt. Detrahere autem [27] alteri ſui commodi cauſa, magis eſt contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cætera generis ejuſdem.

Itemque, magis eſt ſecundum naturam, pro omnibus gentibus, ſi fieri poſſit, conſervandis, aut juvandis maximos labores moleſtiaſque ſuſcipere, imitantem Herculem illum, quem

ſculana I. *Omni in re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt*. Sic & ICti ſæpe. Nec aliter Ariſtot. Nicom. V. 10. Sed tamen falſo jus gentium dici jus naturæ, jamdudum viri docti multis oſtenderunt. Vide Sam. Puſendorfii de Jure Naturæ & Gentium lib. II. cap. 3. *Idem*.

a Vict. Lamb. *efficit*

24 *Naturæ ratio, quæ eſt lex divina & humana*] Naturæ nimirum humanæ ſeu ſocialis ratio, quæ oſtendit & præcipit, nihil committendum eſſe, quod iſtam ſocietatem lædat ac violet. Lædit autem qui inſonti nocet, ut ſibi proſit, ut ſuis ſerviat commodis. Hanc naturam omnibus hominibus inſevit Deus, qui eſt naturæ parens & auctor: ideo lex ex hac natura humana profluens, nulli nocendum eſſe, eſt divina. Sed præterea præcipiunt hoc ipſum quoque, quod ex natura hauſimus & didicimus, leges humanæ cum civiles, tum gentium. Hæc eſt hujus loci ſententia. *Idem*.

25 *Etenim multo magis &c.*] Omnia hæc uſque ad periodum, *Ex quo efficitur, &c.* videntur inſerta. Nec tamen tollere auſim. Sunt enim pleraque ad Ciceronis ingenium ſatis eleganter expreſſa. Si retinenda ſunt, diſputatur a contrariis, ita ferme: Prodeſſe homini ſecundum naturam eſt; nocere igitur contra naturam. Si abſint, rectius cohærebit orationis contextus, ſerieſque rerum. *Facc.*

26 *Excelſitas*] Al. *celſitas*. Ego ſecutus ſum Nonium, qui ita ſcribit de mutata declin. *M. Tullius de Offic. lib. III. Etenim magis eſt ſecundum naturam excelſitas animi & magnitudo*. Itaque ſi totus hic locus inſitivus dici debet, inſitio antiquior eſt Nonio. Si verba Nonii germana ſunt, cetera tamen ſuſpicione laborant. *Facc.*

b Man. Lamb. *communitas*,

27 *Detrahere autem*] Tota iſta periodus mihi ſuſpecta eſt, tanquam repetita a ſciolo de capitis hujus principio. Palatini tantum noſtri habent *detrahere autem de altero*, quod & in Fabritii, & plurimis Aldi exemplaribus. *Gruterus*.

quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio cælestium collocavit; quam vivere in solitudine, non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis; [28] ut excellas etiam pulchritudine, & viribus. [29] Quocirca optimo quisque & splendidissimo ingenio longe illam vitam huic anteponit. [30] Ex quo efficitur, hominem, naturæ obedientem, homini nocere non posse.

Deinde, qui alterum violat, ut ipse aliquid commodi consequatur: aut nihil se existimat contra naturam facere [31]: aut magis fugiendam censet mortem, paupertatem [32], dolorem, [33] amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quam facere cuipiam injuriam. Si nihil existimat contra naturam fieri hominibus violandis: quid cum eo disseras, qui omnino hominem ex homine tollat? sin fugiendum id quidem censet, sed & multo illa pejora, mortem, paupertatem, dolorem: errat in eo, quod ullum aut corporis, aut fortunæ vitium, animi vitiis gravius existimat.

VI. Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscujusque, & universorum: quam si ad se quisque rapiet, dissolvetur omnis humana consortio [34]. Atque etiam, si hoc natura præscribit, ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum

tum

28 *Ut excellas etiam pulchritudine & viribus*] Cui bono *pulchritudo* viventi in solitudine? cui bono *vires*? Quia tamen Peripatetici inter felicitatis adjumenta pulchritudinem viresque censebant, icirco hæc quoque adjiciuntur. *Facc.*

29 *Quocirca optimo &c.*] Non videtur opus esse ingenio tanto ad hæc cognoscenda, & posthabendam vitam solitariam, quæ ne vita quidem dici potest, ut disseruit in lib. 1. cap. 45. Attamen ita loquitur, quicumque sit, propter eos, qui philosophiæ opinionem & famam ex solitudine quærebant. *Facc.*

30 *Ex quo efficitur, hominem natura &c.*] Verba hæc afferuntur a Lactantio lib. 6. c. 2. Nequaquam satis recte habent, nisi forte collocentur ante illa omnia, quæ diximus inserta videri. *Facc.*

31 *Aut nihil se existimat contra naturam facere*] Quasi scilicet natura unumquodque animal maxime conciliet sibi, & ideo qui sibi serviat ac prosit, utcumque cum alterius damno, nihil faceret contra naturam. *J. Fr. Gronovius.*

32 *Aut magis fugiendam censet mortem, paupertatem*] Hoc est genus modestioris malitiæ in illis, qui non quidem commodi sui persequendi, sed incommodi vitandi causa, nocere se jure posse alteri fas putant. *Idem.*

33 *Amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum*] Hæc addita videntur ab explanatore aliquo. *Facc.*

34 *Consortio*] Hæc est constans omnium librorum veterum lectio, ut Balduinus, Langius, Lambinus, & alii mecum testantur. Hujus quoque loci testimonio utitur Nonius, ubi docet, *consortium* genere neutro, & *consortionem* genere fœminino dici. Libri tamen Manutiani, & alii quidam vulgati habent, *consociatio*. Fabrit.

tum velit : necesse est secundum eandem naturam omnium utilitatem esse communem. Quod si ita est, una continemur omnes, & eadem lege naturæ : idque ipsum si ita est, certe violare alterum lege naturæ prohibemur. Verum autem primum. Verum igitur & extremum. Nam illud quidem absurdum est, quod quidam dicunt, parenti se, aut fratri nihil detracturos, commodi sui causa : [35] aliam rationem esse civium reliquorum : hi sibi nihil juris, & nullam societatem, communis utilitatis causa, statuunt esse cum civibus : quæ sententia omnem societatem distrahit civitatis. Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant : hi dirimunt communem humani generis societatem : qua sublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur : quæ qui tollunt, etiam adversus deos immortales impii judicandi sunt. Ab iis enim constitutam inter homines societatem evertunt : cujus societatis arctissimum vinculum est, magis arbitrari esse contra naturam, hominem homini detrahere, sui commodi causa, quam omnia incommoda subire vel externa, vel corporis, vel etiam ipsius animi, quæ vacent justitia [35]. Hæc enim una virtus, omnium est domina & regina virtutum.

Forsitan quispiam dixerit : Nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri, homini ad nullam

35 *Aliam rationem*] Quidam præmittunt *sed*. Isti admittunt societatem familiæ, non civitatis, nec humani generis. *Facc.*

35 *Quæ vacent justitia*] Locus perobscurus. Quæ sunt enim illa animi commoda, quæ vacent justitia ? aut quæ horum verborum vis, ac sententia est? Plane res est inexplicabilis. Ego, ne lectorem morer, membrum unum hic deesse puto, a scriptore librario errante, atque oscitante, propter vocum similitudinem, præteritum. Sic igitur legendum auguror, *magis arbitrari esse contra naturam, hominem homini detrahere sui commodi causa, quam omnia incommoda subire vel externa, vel corporis, vel animi : & rursus, magis esse secundum naturam, hominem, si modo sine incommodo suo facere possit, homini consulere, ac prodesse, quam omnia commoda vel externa, vel corporis, vel etiam ipsius animi, percipere, quæ vacent justitia. Hæc enim*, &c. *Lambin.* Hic locus in libris præclari illius correctoris (Lambini) ita depravatus est, ut ipsius sententiæ aliquot vocum temere additarum congestu obrutæ, vix, quasi per nebulam, tenue quoddam vestigium appareat. Et fuit ea illius consuetudo, ut non tam quæreret interdum, quid dixisset Cicero, quam quid ipse eum dicere oportuisse censeret. Sed tota res mihi paulo altius repetenda est, &c. *Muretus*, quem vide *Var. Lect.* XV. 9. Sententiam loci deprehendit Muretus, omnia incommoda subeunda esse, dummodo ne violet justitiam. Sed mitius consuletur verbis, si scribamus *ne vacet justitia*. Jubet enim subire hominem omnia incommoda, ne vacet vel careat justitia. *J. F. Gronov.*

rem utili? Minime vero [36]. Non enim mihi est vita mea utilior, quam animi talis affectio, neminem ut violem commodi mei gratia. Quid? si Phalarim, crudelem tyrannum, & immanem, vir bonus, ne ipse frigore conficiatur, vestitu spoliare possit, nonne faciat? Hæc ad judicandum sunt facillima. Nam, * si quid ab homine ad nullam partem utili, tuæ utilitatis causa detraxeris: inhumane feceris, contraque naturæ legem. Sin autem is tu sis [37], qui multam utilitatem reipublicæ atque hominum societati, si in vita remaneas, afferre possis: si quid ob eam causam [38] alteri detraxeris, non sit reprehendendum. Sin autem id non sit ejusmodi: suum cuique incommodum ferendum est potius, quam de alterius commodis detrahendum [39]. Non igitur magis est contra naturam morbus, aut egestas, aut quid hujusmodi, quam detractio, aut appetitio alieni. Sed communis utilitatis derelictio contra naturam est. Est enim injusta. Itaque lex ipsa naturæ, quæ utilitatem hominum conservat & continet, decernit profecto, ut ab homine inerti atque inutili, ad sapientem, bonum, fortemque virum [40] transferantur res ad vivendum

36 *Minime vero*] Aliter sentit H. Grotius lib. II. de Jure Belli & Pacis eap. 2. qui čenset in gravissima necessitate reviviscere jus illud pristinum rebus utendi, tanquam si communes mansissent, quia in omnibus legibus humanis, ac proinde & in lege dominii, summa illa necessitas videtur excepta. Sed vide quæ pluribus de hac re disputat ibi, & quidnam observandum tali tempore, ne peccemus. Vide & qui illa discussit Samuel. Pufendorfium lib. II. de Jure Naturæ & Gentium, c. 6. *Gronov.*

* Lamb. *si quid homini homo ad nullam rem utilis*,

37 *Sin autem ès tu sis.*] Qui in Cicerone reprehendunt hanc distinctionem, non cogitant, illum loqui de perfecto sapiente, qui novit quid cuique sit tribuendum, & in omnibus respicit eum utilitatem communem societatis humanæ, tum illius, in qua vivit reipublicæ, cujus salutem, dignitatem, & commoda suis præfert. Itaque si sciat talem se esse, non propter se, sed propter rempublicam [illegible] in extrema necessitate alteri, minus utili civi, ut servetur aliquid. *Grævius.*

38 *Ob eam causam*] Publicam nimirum utilitatem, non privatam. *Idem.*

39 *Non igitur &c.*] Igitur non ipsa per se detractio & appetitio alieni est contra naturam, sed eum per eam derelinquitur communis utilitas; quæ derelictio, quippe injusta, contra naturam est. Verba porro, *magis quam morbus, aut egestas, aut quid hujusmodi*, ex capite superiore sumpta, & margini adscripta, postea in contextum migrarunt, ut mihi videtur. *Facc.*

40 *Ad sapientem, bonum, fortemque virum*] Propter utilitatem reipublicæ, quam quilibet bonus suæ præfert. Hinc Seneca lib. 1. de Clem. 4. *Principes, regesque, & quicunque alio nomine sunt tutores status publici, non est mirum amari ultra privatas etiam necessitudines. Nam si sanis hominibus publica privatis potiora sunt, sequitur ut is quoque carior sit, in quem se convertit respublica.* Et verissima est sententia, si recte perpendatur. Quæ alia causa est, cur recte non solum pro boni regis, principis, imperatoris, sed & sapientis & utilis civis salute & vita,

dum necessariæ : qui si occiderit, multum de communi utilitate detraxerit : modo hoc ita faciat, ut ne ipse de se bene existimans seseque diligens, hanc causam habeat ad injuriam. [41] Ita semper officio fungetur [42], utilitati consulens hominum, & ei, quam sæpe commemoro, humanæ societati.

Nam, quod ad Phalarim attinet, perfacile judicium est. Nulla enim nobis societas cum tyrannis, sed potius summa distractio est : neque est contra naturam, spoliare eum, si possis, quem honestum est necare : atque hoc omne genus pestiferum atque impium, ex hominum communitate exterminandum est. Etenim, ut membra quædam amputantur, si [43] & ipsa sanguine, & tanquam spiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis : sic ista in figura hominis feritas, & immanitas belluæ, a communi tanquam humanitate corporis segreganda est [44]. Hujus generis sunt quæstiones omnes eæ, in quibus ex tempore officium exquiritur [45].

VII. Ejusmodi igitur credo res Panætium persecuturum fuisse, nisi aliqui casus, aut occupatio consilium ejus peremisset : ad quas ipsas consultationes ex superioribus libris satis multa præcepta sunt, quibus perspici possit, quid sit propter turpitudinem fugiendum; quid sit id, quod idcirco fugiendum non sit, quia omnino turpe non est. Sed quoniam operi inchoato, prope tamen absoluto, tanquam fastigium imponimus :

ta, suam vitam exponant multi periculo? Sic viginti millia civium pro ipso Tullio contra Clodium erant dimicaturi, si Tullius permisisset. Erant quidem & aliæ causæ, sed hæc potissima. *Gronov.*

41 *Hanc causam habeat ad injuriam*] Modo ne φιλαυτία nos decipiat, & elatius de nobis ipsi sentientes, quam revera sumus, alios afficiamus injuria propter nos, non propter utilitatem publicam. *Idem.*

42 *Ita semper officio fungetur*] In P. Delphini MS. *Itaque semper officio fungetur*. *Facc.*

43 *& ipsa sanguine*] Duæ voces *& ipsa* redundant : pro *sanguine* reposui *languere* ex meo codice. Sed & vulgaris lectio *sanguine* non contemnenda. *Facc.*

44 *A communi tanquam humanitate corporis segreganda*] Quid est *humanitas corporis*? Aut legendum : *a communi tanquam humanitatis corpore*, aut est hypallage, ut apud Justin. XII. 2. *antiquitatis fata veneratur* pro *fatorum antiquitatem*, & XIV. 1. *fidei sacramento* pro *sacramenti fidei*. Sed prius placere quoque Mureto postea cognovi. *Gronov.*

45 *In quibus ex tempore officium exquiritur*] Hujusmodi quæstiones variam dubitationem consequuntur ex περιστάσει temporum. Hinc Aristoteles argute loquitur 3. Nicom. I. §. 10. τὸ τέλος τῆς πράξεως κατὰ τὸν καιρόν ἐστι. Quæ verba ita exprimit vetus Paraphrastes : *Uniuscujusque actionis finis talis aut talis est pro tempore ; & respectu temporis aut bonus fit, aut malus*. Rachel.

mus : ut geometræ ſolent non omnia docere [46], ſed poſtulare, ut quædam ſibi concedantur, quo facilius, quæ volunt, explicent : ſic ego a te poſtulo, mi Cicero, ut mihi concedas, ſi potes, nihil, præter id, quod honeſtum ſit, propter ſe eſſe expetendum. Sin hoc non licet per Cratippum; at illud certe dabis, quod honeſtum ſit, id eſſe maxime propter ſe expetendum. Mihi utrumvis ſatis eſt : & cum hoc, tum illud probabilius videtur, nec præterea quidquam probabile.

Ac primum Panætius in hoc defendendus eſt; quod non utilia cum honeſtis pugnare aliquando poſſe dixerit, (neque enim ei fas erat) ſed ea, quæ viderentur utilia. Nihil vero utile, quod non idem honeſtum; nihil honeſtum, quod non idem utile ſit, ſæpe teſtatur : negatque ullam peſtem majorem in vitam hominum invaſiſſe, quam eorum opinionem, qui iſta diſtraxerint. Itaque non ut aliquando anteponeremus utilia honeſtis, ſed ut ea ſine errore dijudicaremus, ſi quando incidiſſent, induxit eam, quæ videretur eſſe, non quæ eſſet, repugnantiam. Hanc igitur partem relictam explebimus, nullius adminiculis, ſed (ut dicitur) Marte noſtro : neque enim quidquam de hac parte poſt Panætium explicatum eſt, quod quidem mihi probaretur, de iis, quæ in manus meas venerunt.

VIII. Cum igitur aliqua ſpecies utilitatis objecta eſt, commoveri neceſſe eſt. Sed ſi, cum animum attenderis [47], turpitudinem videas adjunctam ei rei, quæ ſpeciem utilitatis attulerit; tunc non utilitas relinquenda eſt [48], ſed intelligendum,

46 *Ut geometræ ſolent non omnia docere*] De hoc geometrarum more Cicero quoque Tuſc. V. cap. 7. *Mathematicorum iſte mos eſt, non philoſophorum. Nam geometræ cum aliquid docere volunt, ſi quid ad rem pertinet eorum, quæ ante docuerunt, id ſumunt pro conceſſo, & probato : illud modo explicant, de quo ante nihil ſcriptum eſt.* Hinc Senec. ep. 88. *Mathematica, ut ita dicam, ſuperficiaria eſt, in alieno ædificat, aliena accipit principia, quorum beneficio ad ulteriora perveniat.* Græv.

47 *Commoveri neceſſe eſt. Sed ſi, cum animum attenderis*] Videtur τὸ *animum* ſuo loco motum, & pertinere ad verba præcedentia; ſicque Ciceronem ſcripſiſſe : *Cum igitur aliqua ſpecies utilitatis objecta eſt, commoveri neceſſe eſt animum. Sed ſi, cum attenderis, turpitudinem videas adjunctam ei rei.* J. F. Gronovius. Ego repoſui *commoveare* : nam & in fine capitis XI. ubi concludit, quod nunc proponit, *cum id*, inquit, *quod utile eſſe putes, adipiſcare.* Facc.

48 *Tunc non utilitas relinquenda eſt*] Hoc ſignificat Cicero : Si cum ſpecies utilitatis objecta eſt, re attente conſiderata, videas turpitudinem adjunctam ei rei, quæ ſpeciem utilitatis objecerit : non eſt ita ſtatuendum, utili-

dum, ubi turpitudo ſit, ibi utilitatem eſſe non poſſe. Quod ſi nihil eſt tam contra naturam, quam turpitudo, (recta enim, & convenientia, & conſtantia natura deſiderat, adſpernaturque contraria) nihilque tam ſecundum naturam, quam utilitas: certe in eadem re utilitas & turpitudo eſſe non poteſt [49]. Itemque ſi ad honeſtatem nati ſumus, eaque aut ſola expetenda eſt, ut Zenoni viſum eſt; aut certe omni pondere gravior habenda, quam reliqua omnia, quod Ariſtoteli placet: neceſſe eſt, quod honeſtum ſit, id eſſe aut ſolum, aut ſummum bonum: quod autem bonum, id certe utile: ita [50] quidquid honeſtum, id utile.

Quare error hominum non proborum, cum aliquid, quod utile viſum eſt, arripuit, id continuo ſecernit ab honeſto. Hinc ſicæ, hinc venena, hinc falſa teſtamenta naſcuntur: hinc furta, peculatus, expilationes, direptioneſque ſociorum & civium: hinc opum nimiarum potentiæ non ferendæ: poſtremo etiam in liberis civitatibus regnandi [51] *exſiſtunt* cupiditates, quibus nihil nec tetrius, nec fœdius excogitari poteſt. Emolumenta enim rerum fallacibus judiciis vident: pœnam non dico legum, quas ſæpe perrumpunt [52], ſed ipſius turpitudinis, quæ acerbiſſima eſt, non vident.

Quamobrem hoc quidem deliberantium genus pellatur e medio; (eſt enim totum ſceleratum & impium) qui deliberant, utrum id ſequantur, quod honeſtum eſſe videant, an ſe ſcientes ſcelere contaminent: in ipſa enim dubitatione facinus

utilitatem, propter illam turpitudinis adjunctionem, relinquere, id eſt, repudiare, atque aſpernari oportere, ſed intelligendum, ac ſciendum eſt, ubicunque inſit aliqua turpitudo, ibi utilitatem eſſe non poſſe. *Lamb.* Alii leg. *non utilitas requirenda*: ideſt non debet requiri utilitas, ubi non eſt niſi ſpecies ejus. *Facc.*

49 *Itemque, ſi &c.*] En ſorites: ſi honeſtum eſt, ſecundum naturam eſt: ſi ſecundum naturam eſt, expetendum eſt: ſi expetendum eſt, bonum eſt: ſi bonum eſt, utile eſt; ergo ſi honeſtum eſt, utile eſt. Et quia utile, ut dixit, eſt ſecundum naturam, concluſio reciprocatur. *Idem.*

50 *Quidquid honeſtum, id utile*] Attendenda eſt argumentatio, quæ multos decepit. Neque enim hinc ſequitur dumtaxat, quod honeſtum eſt, idem eſſe utile; ſed etiam, quod utile eſt, idem eſſe honeſtum: quod utrumque ſecundum naturam ſit; unde tota vis argumenti oritur. *Idem.*

51 *exiſtunt*] verbum minime neceſſarium, & adſcriptitium. *Idem.*

52 *Quas ſæpe perrumpunt*] Vet. omnes, *quam ſæpe perrumpunt*: ut ad *pœnam* ſpectet, quam nunc gratia, nunc muneribus, nunc vi effugiant. Sed quia ad vetus illud reſpicere videtur, Aranearum telis leges eſſe ſimiles, & in 1. de Legibus, *leges perrumpere dixit*, nihil immutavi. *Langius.*

cinus inest, etiamsi ad id non pervenerint [53]. Ergo ea deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio. Atque etiam ex omni deliberatione celandi & occultandi spes opinioque removenda est. Satis enim nobis (si modo in philosophia aliquid profecimus) persuasum esse debet, si omnes deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.

IX. Hinc ille Gyges inducitur a Platone [54]: qui, cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit, æneumque equum (ut ferunt fabulæ [55]) animadvertit, cujus in lateribus fores essent: quibus apertis, hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitata, annulumque aureum in digito: quem ut detraxit, ipse induit: (erat autem regius pastor) tum in concilium pastorum se recepit. Ibi cum palam ejus annuli ad palmam converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat: idem rursus videbatur, cum in locum [56] annulum inverterat. Itaque hac opportunitate annuli usus, reginæ stuprum intulit: eaque adjutrice regem dominum interemit, sustulit quos obstare arbitrabatur: nec in his eum quisquam facinoribus potuit videre. Sic repente annuli beneficio rex exortus est Lydiæ. Hunc igitur ipsum annulum si habeat sapiens, [57] nihil plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet. Honesta enim bonis viris, non occulta quæruntur.

Atque hoc loco philosophi quidam, minime mali illi quidem, sed non satis acuti, fictam & commentitiam fabulam dicunt prolatam a Platone: quasi vero ille, aut factum id esse, aut fieri potuisse defendat. Hæc est vis hujus annuli & hujus

53 *Ergo ea deliberanda &c.*] Videtur adventitia conclusio hæc. *Facc.*

54 *Gyges inducitur a Platone*] Lib. II. de Rep.

55 *Ut ferunt fabulæ*] Hæc tria verba a quopiam nugatore sunt addita. Sunt enim adulterina, quamvis in omnibus libris repeciantur. *Langius.*

56 *In locum*] Est annuli locus, ut pala extra palmam fit, atque emineat. Itaque Plato dicit, *στρέψαι ἔξω τὴν σφενδόνην*, id est, *palam annuli extra convertere*. *Fabritius*. D. Ambrosius eamdem fabulam narrans ait. Est autem annuli locus, ut pala extra manum fit. Manutius legit, *in lucem*. Sed contra antiquos libros, ut ipse ultro fatetur. *Facc.*

57 *nihilo plus*] Al. *nihil plus*: sed perperam. Post autem *putet* addunt *peccare*: quæ vox procul dubio irrepsit in contextum ex aliquo interprete. *Idem.*

hujus exempli : si nemo sciturus , nemo ne suspicaturus quidem sit , cum aliquid , divitiarum , potentiæ , dominationis , libidinis causa , feceris ; si id diis hominibusque futurum sit semper ignotum ; sisne facturus ? Negant id fieri posse : quanquam potest id quidem [58] . Sed quæro , quod negant posse , id si posset , quidnam facerent ? Urgent rustice sane . Negant enim posse , & in eo perstant : hoc verbum quid valeat, non vident . Cum enim quærimus , si possint celare , quid facturi sint : non quærimus , possintne celare : sed tanquam tormenta quædam adhibemus , ut , si responderint , se , impunitate proposita , facturos quod expediat , facinorosos se esse fateantur : si negent , omnia turpia per seipsa fugienda esse concedant . Sed jam ad propositum revertamur .

X. Incidunt sæpe multæ causæ , quæ conturbent animos utilitatis specie ; non , cum hoc deliberetur , relinquendane sit honestas propter utilitatis magnitudinem : (nam id quidem improbum est) sed illud , possitne id , quod utile videatur , fieri non turpiter . Cum Collatino collegæ Brutus imperium abrogabat , poterat videri facere id injuste : fuerat enim in regibus expellendis socius Bruti , consiliorum etiam adjutor . Cum autem consilium hoc principes cepissent , cognationem Superbi , nomenque Tarquiniorum , & memoriam regni esse tollendam : quod erat utile, patriæ consulere ; id erat ita honestum , ut etiam ipsi Collatino placere deberet [59] . Itaque utilitas valuit propter honestatem : sine qua ne utilitas quidem esse potuisset . At in eo rege , qui urbem condidit; non ita . Species enim utilitatis animum pepulit ejus : cui cum visum

58 *Quanquam potest id quidem*] In libris veteribus *quanquam non potest id quidem*, Sententia autem hæc est ; Negant fieri posse , ut id diis , hominibusque semper ignotum futurum sit : atque hoc pacto , exemplum hoc Platonicum eludunt , atque inane esse dicunt : sed pueriliter , & rustice faciunt, quanquam fateor ita rem esse , ut dicunt . hoc est , fieri non posse , ut facinus aliquod , diis hominibusque semper ignotum futurum sit . *Lambin.* Sic tamen omnes vet. edit. sic omnes cod. scripti , neque immittenda negatio , ut placuit Lambino, & Aldo Nepoti . Dubitanter de providentia & natura divina loquitur, ut Academicus . *Gulielmius* .

59 *Id erat ita honestum , ut etiam ipsi Collatino placere deberet*] Damnat id factum tamen Augustinus II. de Civit. Dei , cap. 17. & lib. III. cap. 16. & Albericus Gentilis I. de armis Roman. cap. 4. Sed merito cum Cicerone Brutum defendit idem Albericus Gentilis lib. II. de armis Roman. cap. 4. & Rupertus in notis ad Flor. lib. 1. cap. 9. *Grævius* .

visum esset utilius, solum, quam cum altero regnare, fratrem interemit. [60] Omisit hic & pietatem, & humanitatem, ut id, quod utile videbatur, neque erat, assequi posset: & tamen muri causam opposuit, speciem honestatis neque probabilem, neque satis idoneam. Peccavit igitur, pace vel Quirini, vel Romuli [61] dixerim.

Nec tamen nostræ nobis utilitates omittendæ sunt, aliisque tradendæ, cum his ipsi egeamus: sed suæ cuique utilitati, quod sine alterius injuria fiat, serviendum est. Scite Chrysippus, ut multa, Qui stadium, inquit, currit, eniti & contendere debet, quam maxime possit, ut vincat: supplantare eum, quicum certet, aut [62] manu depellere, nullo modo debet: sic in vita sibi quemque petere, quod pertineat ad usum, non iniquum est; alteri deripere, jus non est.

Maxime autem perturbantur officia in amicitiis: quibus & non tribuere, quod recte possis, & tribuere, quod non sit æquum, contra officium est. Sed hujus generis totius, breve & non difficile præceptum est. Quæ enim videntur utilia, honores, divitiæ, voluptates, cætera generis ejusdem, hæc amicitiæ nunquam anteponenda sunt. At neque contra rempublicam, neque contra jusjurandum ac fidem, amici causa, vir bonus faciet; ne si judex quidem erit [63] de ipso amico. Ponit enim personam amici [64], cum induit judicis. Tantum dabit amicitiæ, ut veram amici causam esse malit; & ut orandæ liti tempus, quoad per leges liceat, accommodet.

Cum

60 *Omisit hic*] Romulus omisit pietatem, dum desæviit in fratrem; humanitatem, dum hominem tam levi de caussa interfecit. *Facc.*

61 *Pace vel Quirini, vel Romuli*] Ex ritu supplicantium; ne in nomine errarent, plura solent enuntiare. Horat.

Sive tu Lucina probas vocari, seu Genitalis.

Et illud:

Luna deum quæ sola vides perjuria volgi,

Seu Cretæa magis, seu tu Dictynna vocaris.

Post mortem *Quirinus* dictus est Romulus. *Lang.* Vide supra, pag. 155. Turnebi annotationem ad lib. I. Leg. cap. I. n. 12.

62 *manu depellere*] Nonius in verbo *supplanto* habet *manu pellere*: & sane fortasse rectius. *Facc.*

63 *de ipso amico*] Verba hæc mihi suspecta sunt. *Idem.*

64 *Ponit enim personam amici*] Quod non fecit Chilon, qui amicum, in quem judex sedebat, damnavit quidem ipse, sed aliis judicibus persuasit, ut eum absolverent. Vide Gellium l. 3. *Grævius.*

Cum vero jurato ſententia dicenda [65] ſit : meminerit, deum ſe adhibere teſtem, id eſt (ut ego arbitror) mentem ſuam, qua nihil homini dedit deus ipſe divinius. Itaque præclarum a majoribus accepimus morem rogandi judicis, ſi eum teneremus [66], *Quæ ſalva fide facere poſſit*. Hæc rogatio ad ea pertinet, quæ paulo ante dixi, honeſte amico a judice poſſe concedi. Nam, ſi omnia facienda ſint, quæ amici velint : non amicitiæ tales, ſed conjurationes putandæ ſunt.

Loquor autem de communibus amicitiis : nam in ſapientibus viris perfectiſque, nihil poteſt eſſe tale. Damonem & Phintiam, Pythagoreos, ferunt hoc animo inter ſe fuiſſe, ut, cum eorum alteri Dionyſius tyrannus diem necis deſtinaviſſet : & is, qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies [67] commendandorum ſuorum cauſa poſtulaviſſet : vas factus eſt alter ejus ſiſtendi ; ut, ſi ille non revertiſſet, moriendum eſſet ipſi. Qui cum ad diem ſe recepiſſet, admiratus eorum fidem tyrannus, petivit, ut ſe ad amicitiam tertium adſcriberent.

Cum igitur id, quod utile videtur in amicitia, cum eo, quod honeſtum eſt, comparatur : jaceat utilitatis ſpecies, valeat honeſtas. Cum autem in amicitia, quæ honeſta non ſunt, poſtulabuntur, religio & fides anteponatur amicitiæ : ſic habebitur is, quem exquirimus, delectus officii.

XI. Sed utilitatis ſpecie in republica ſæpiſſime peccatur, ut in Corinthi diſturbatione noſtri. Durius etiam Athenienſes, qui ſciverunt ut Æginetis, qui claſſe valebant, pollices præciderentur. Hoc viſum eſt utile : nimis enim imminebat, propter propinquitatem, Ægina Piræeo. Sed nihil, quod cru-

65 *Jurato ſententia dicenda*] In ſingulis cauſis apud Romanos judices jurabant, ſe pronuntiaturos ex animi ſententia, ſecundum legem. Vide Sigon. de Judiciis lib. 1. cap. 10. *Idem*.

66 *Si eum teneremus*] Si quis attendat accurate, hæc verba hic aliena eſſe cognoſcet. Quis non tenet morem hunc judices rogandi, quem ait a majoribus ſe accepiſſe? Nunquam illum abrogatum eſſe, aut exoleviſſe ſponte conſtat, nec eſt credibile. Quis enim niſi impudentiſſimus, aut ſtultiſſimus, aut improbiſſimus aliter judicem rogaret? Excerpta Pithœi : *ſi ea rogaremus*. Quod probo. Hoc eſt, ſi quid tale rogaremus a judice, ut noſtræ cauſæ faveat, quod ſalva fide facere poſſit. *Idem*. Recte Grævius putat, verba hæc irrepſiſſe in contextum. Non enim credibile eſt, morem hunc Ciceronis ætate obſoleviſſe. *Facc.*

67 *commendandorum*] ad ſua commendanda. Locum corruptum Manutius putat, & legendum *commonendorum*. Neutrum placet. *Facc.*

dele, utile. Est enim hominum naturæ, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas.

Male etiam, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosque exterminant, ut Pennus [68] apud patres nostros, Papius [69] nuper. Nam esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere: quam tulerunt legem sapientissimi consules, Crassus & Scævola: usu vero urbis prohibere peregrinos, sane inhumanum est. Illa præclara, in quibus publicæ utilitatis species præ honestate contemnitur. Plena exemplorum est nostra respublica, cum sæpe, tum maxime bello Punico secundo: quæ, [70] Cannensi calamitate accepta, majores animos habuit, quam unquam rebus secundis. Nulla timoris significatio, nulla mentio pacis. Tanta vis est honesti, ut speciem utilitatis obscuret.

Athenienses cum Persarum impetum nullo modo possent sustinere, statuerentque, ut urbe relicta, conjugibus & liberis Trœzene depositis, naves conscenderent, libertatemque Græciæ classe defenderent: Cyrsilum quendam [71], suadentem, ut

in

68 *Ut Pennus*] M. Junius Pennus trib. pleb. Lepido & Oreste coss. hoc est, anno post U. C. DCXXVII. legem de peregrinis tulit: de qua Festus in *respublicas*. *C. Gracchus*, inquit, *in ea quam scripsit de lege Penni de peregrinis*. Quibus verbis Cicero explicatur in Bruto: C. *Gracchum tunc gentilis*, inquit, *M. Pennus facete agitavit in tribunatu, paulum ætate antecedens*; ita Cicero. Certe C. Gracchus eo anno quæstor fuit, Cotta & Torquato coss. id est biennio ante Ciceronem cos. Jacente Junia, lex alia a C. Papio trib. pleb. lata est, Ne quis omnino peregrinus in urbe habitaret, exceptis iis qui eam quæ dicitur Italia, incolerent: ut refert Dion. Meminit Cicero & pro Archia, & alibi. L. vero Licinius Crassus & Q. Scævola coss. legem rogarunt, ut quisque in suæ civitatis jus redigeretur; quæ dicta est, *Mucia Licinia*: multi enim cum cives non essent, pro civibus se gerebant; quæ lex, indignantibus principibus populi Italici, causa fuit belli Italici. *Junia* igitur Penni & *Papia* hæc, de urbe fuerunt. *Mucia Licinia*, de civitate. Quanquam & alia Papia de civitate multo antiquior fuisse videtur, qua M. Perpennam damnatum refert Valerius: quam fortassis Cicero in Corneliana intellexit. De urbe etiam peregrinos Lycurgus lege ejecit, ut refert Thucydides: caute; ne externis se moribus oblineret populus, id quod & Pennum movisse opinor, illo seculo; vel certe ob pericula factionum, tot intra mœnia receptis, quibus susque deque esset, bene an male res irent. Nos in hac repub. non modo peregrinos non exterminamus, sed a religione nostra aversos, hoc est, hostes publicos, Judæos, perjurii damnatos, monetarios, etiam civitate impertimur (Grævius *impertiebamur*): adeo, si diis placet, Spartanis Romanisque sumus humaniores. *Langius*.

69 *Papius*] A quo lex Papia, de qua dicetur ubi de cæteris legibus.

70 *Cannensi*] Vide Livium lib. 23. cap. 14. ubi tamen dicuntur *honesta utilibus cessisse*, quod servorum delectus esset habitus. Sed quædam, quæ honesta ipsa per se non sunt, temporibus honesta fiunt. *Facc.*

71 *Cyrsilum quendam*] Sic appellatur a Demosthene *περὶ στεφάνου*. Qui hoc plus dicit, uxorem ejus a mulieribus Atheniensium fuisse trucidatam. Alii Licidam vocant. *Langius*.

in urbe manerent, Xerxemque reciperent, lapidibus obruerunt. Atque ille utilitatem ſequi videbatur: ſed ea nulla erat repugnante honeſtate.

Themiſtocles poſt victoriam ejus belli, quod cum Perſis fuit, dixit in concione, ſe habere conſilium reipublicæ ſalutare; ſed id ſciri opus non eſſe. Poſtulavit, ut aliquem populus daret, quicum communicaret. Datus eſt Ariſtides. Huic ille, claſſem Lacedæmoniorum, quæ ſubducta eſſet ad Gytheum, clam incendi poſſe: quo facto frangi Lacedæmoniorum opes neceſſe eſſet. Quod Ariſtides cum audiſſet, in concionem magna exſpectatione venit: dixitque, perutile eſſe conſilium, quod Themiſtocles afferret: ſed minime honeſtum. Itaque Athenienſes, quod honeſtum non eſſet, id ne utile quidem putaverunt: totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Ariſtide repudiaverunt. Melius hi, quam nos, [72] qui piratas, immunes; ſocios, vectigales habemus [73].

XII. Maneat ergo, quod turpe ſit, id nunquam eſſe utile: ne tum quidem, cum id, quod eſſe utile putes, adipiſcare. Hoc enim ipſum utile putare, quod turpe ſit, calamitoſum eſt. Sed incidunt (ut ſupra dixi) ſæpe cauſæ, cum repugnare utilitas honeſtati videatur, ut animadvertendum ſit, repugnetne plane, an poſſit cum honeſtate conjungi. Ejus generis hæ ſunt quæſtiones: Si (exempli gratia) vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit [74] in

72 *qui piratas immunes*] Piratas Cilices, maritimum genus, in agris mediterraneis Pompejus collocavit, colonosque fecit, aſſignata Urbe, quam Pompejopolim vocarunt, cum antea Soli diceretur. *Facc.*

73 *Socios, vectigales habemus*] Videntur hic intelligi Maſſilienſes, de quibus ſupra, & Dejotarus rex Gallogræciæ, aliique, qui cum Pompejo ſenſerant, & a Cæſare victore aut libertate privati, aut tributo onerati erant. *J. F. Gronovius.*

74 *Rhodum magnum frumenti numerum advexerit*] In contractibus, natura æqualitatem imperat, & ita quidem, ut ex inæqualitate jus oriatur minus habenti. Hæc æqualitas partim conſiſtit in actibus, partim in eo de quo agitur: & in actibus, tum præcedaneis, tum principalibus. Ad præcedaneos actus pertinet, quod is qui cum aliquo contrahit, vitia ſibi nota rei de qua agitur ſignificare debet: quod non civilibus tantum legibus conſtitui ſolet, ſed naturæ quoque congruit. Nam inter contrahentes propior quædam eſt ſocietas, quam quæ communis eſt hominum. Atque hoc modo ſolvitur, quod dicebat Diogenes Babylonius, hoc tractans argumentum, non celari omnia quæ tacentur: nec quidquid tibi audire utile eſt, idem mihi dicere neceſſe eſſe, ut de rebus cœleſtibus. Nam contractus natura utilitatis cauſa reperta propius quiddam exigit. *Hæc cum verbis Ambroſii & Lactantii illuſtraſſet, ita pergit:* At non idem dicendum eſt de his, quæ rem non contingunt. Ut ſi quis ſciat

Rhodiorum inopia & fame, summaque annonæ caritate: si idem sciat, complures mercatores Alexandria solvisse, navesque in cursu, frumento onustas, petentes Rhodum, viderit: dicturusne sit id Rhodiis, an silentio suum quam plurimo venditurus? Sapientem & bonum virum fingimus: de ejus deliberatione & consultatione quærimus: qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe judicet: sed dubitet, an turpe non sit.

In hujusmodi causis aliud Diogeni Babylonio videri solet, magno & gravi Stoico: aliud Antipatro, discipulo ejus, homini acutissimo. Antipatro, omnia patefacienda, ut ne quid omnino, quod venditor norit, emptor ignoret: Diogeni, venditorem, quatenus jure civili constitutum sit, dicere vitia oportere: cætera sine insidiis agere: & quoniam vendat, velle quam optime vendere. Advexi, exposui, vendo meum non pluris, quam cæteri: fortasse etiam minoris, [75] cum major est copia. Cui sit injuria? Exoritur Antipatri ratio ex altera parte: Quid ais? tu cum hominibus consulere debeas, & servire humanæ societati, eaque lege natus sis, & ea habeas principia naturæ, quibus parere, & quæ sequi debeas, ut utilitas tua, communis utilitas sit: vicissimque communis utilitas, tua sit: celabis homines, quid iis adsit commoditatis & copiæ? Respondebit Diogenes fortasse sic, Aliud est celare, aliud tacere: neque ego nunc te celo, si tibi non dico,

sciat multas naves in cursu esse, quæ frumentum advehunt. Nam tale quid indicare, est quidem officiosum ac laudabile, sæpe adeo ut omitti nequeat, nisi ut charitatis regula violetur: non tamen injustum, id est, non pugnans cum jure ejus, quicum negotium est: ita ut locum hic habere possit illud, quod idem ille Diogenes non incommode dicebat, referente M. Tullio: *Advexi, exposui: vendo meum, non pluris quam cæteri: fortasse etiam minoris, cum major est copia. Cui sit injuria?* Non ergo generaliter sequendum illud ejusdem Ciceronis, Celare esse, cum tu, quod scias, id ignorare, emolumenti tui causa, velis eos quorum intersit scire: sed tum demum id locum habet, cum de iis agitur, quæ rem subjectam per se contingunt, ut si domus sit pestilens, si a magistratu dejici jussa, quæ exempla ibidem videas. At vitia ei, quicum agas, nota, ut servitutem ædium, quas M. Marius Gratidianus C. Sergio Oratæ vendebat ab ipso prius emptas, dici nihil attinet. Scientia enim utrinque par pares facit contrahentes. Horatius:

Ille feret pretium pœnæ securus, opinor:
(hoc est, ejus quod interest)
Prudens emisti vitiosum.

Quod notatum & Platoni xi. de Leg. *Grotius* ii. de Jure Belli & Pacis, cap. 12.

75 *cum major est copia*] Non facile apparet, quorsum addita sint verba hæc. Mihi insititia videntur. Desunt certe apud D. Ambrosium; qui locum hunc imitatus est his verbis in l. 3. c. 6. *Vendo frumentum, non alienum, sed meum; non pluris quam cæteri, imo etiam minori pretio*. Facc.

co; quæ natura deorum ſit, quis ſit finis bonorum: quæ tibi plus prodeſſent cognita, quam tritici utilitas [76]: ſed non quidquid tibi audire utile eſt, id mihi dicere neceſſe eſt. Immo vero (inquiet ille) neceſſe eſt, ſi quidem meminiſti, eſſe inter homines natura conjunctam ſocietatem. Memini, inquiet ille, ſed num iſta ſocietas talis eſt, ut nihil ſuum cujuſque ſit? Quod ſi ita eſt, ne vendendum quidem quidquam eſt, ſed donandum.

XIII. Vides in hac tota diſceptatione non illud dici, Quamvis hoc turpe ſit, tamen, quoniam expedit, faciam: ſed ita expedire, ut turpe non ſit. Ex altera autem parte; ea re, quia turpe ſit, non eſſe faciendum. Vendat ædes [77] vir bonus propter aliqua vitia, quæ ipſe norit, cæteri ignorent: peſtilentes ſint, & habeantur ſalubres: ignoretur, in omnibus cubiculis [78] apparere ſerpentes: male materiatæ, ruinoſæ: ſed hoc præter dominum, nemo ſciat. Quæro, ſi hoc emptoribus venditor non dixerit, ædeſque vendiderit pluris multo, quam ſe vendíturum putarit, num id injuſte, an improbe fecerit?

Ille vero, inquit Antipater. Quid enim eſt aliud erranti viam non monſtrare, (quod Athenis exſecrationibus publicis [79] ſancitum eſt) ſi hoc non eſt, emptorem pati ruere, & per errorem in maximam fraudem incurrere? Plus etiam eſt, quam viam non monſtrare: nam eſt ſcientem in errorem alterum inducere. Diogenes contra: Num te emere coegit, qui ne hortatus quidem eſt? Ille, quod non placebat, pro-

76 *Tritici utilitas*] Ita vulgati. Sed ex conjectura Paſſeratius, *vilitas*. Quæ vox quidem Ciceroniana eſt, & cum ſententia non male congruit.

77 *Vendat ædes*] Hujus quoque quæſtionis deciſionem jam ex Grotio percepimus; non eſſe reticenda vitia rei emptæ inhærentia, ſi latere merito emptorem poſſint. Non igitur hic locum habet illud Diogenis: *Num te emere coegit, qui ne hortatus quidem eſt? ille quod non placebat, proſcripſit*, hoc eſt, palam ac publice propoſito libello ſignificavit. Potior itaque hic eſt ſententia Antipatri, quam etiam juriſconſultorum auctoritas confirmat. *Rachel.* Vide Puſendorf. lib. v. de Jure Naturæ & Gentium cap. 3.

78 *apparere ſerpentes*] Id fere accidit in ima ædium parte, ſi locus ſit inſalubris. Poteſt etiam fieri, ut ſimile aliquid appareat, quale in *peſtilenti domo*, de qua Plinius lib. 7. epiſt. 27. quam vide. *Facc.*

79 *ſancitum eſt*] Legere malim *ſanctum eſt*. Athenienſes exſecrationum publicarum pœnam in eos ſanxerunt, qui erranti viam non monſtrarent. Iſti enim ἀπάνθρωποι ſunt, & naturam ipſam lædunt, ut ſignificat Ariſtoteles in lib. Ethic. 8. c. 1. *Idem*.

proſcripſit : tu , quod placebat , emiſti . Quod ſi qui proſcribunt , *villam bonam* , *beneque ædificatam* , non exiſtimantur feſelliſſe , etiam ſi illa nec bona eſt , nec ædificata ratione ; multo minus , qui domum non laudarunt . Ubi enim judicium emptoris eſt , ibi fraus venditoris quæ poteſt eſſe ? Sin autem dictum non omne præſtandum eſt : quod dictum non eſt , id præſtandum putas ? Quid vero eſt ſtultius , quam venditorem , ejus rei , quam vendat , vitia narrare ? quid autem tam abſurdum , quam ſi domini juſſu ita præco prædicet , *Domum peſtilentem vendo* ?

Sic ergo in quibuſdam cauſis dubiis ex altera parte defenditur honeſtas , ex altera ita de utilitate dicitur , ut id , quod utile videatur , non modo facere honeſtum ſit : ſed etiam , non facere , turpe . Hæc eſt illa , quæ videtur utilium fieri cum honeſtis ſæpe diſſenſio . Quæ dijudicanda ſunt : non enim , ut quæreremus , expoſuimus , ſed ut explicaremus . Non igitur videtur nec frumentarius ille Rhodios , nec hic ædium venditor celare emptores debuiſſe . Neque enim id eſt celare , quidquid reticeas : ſed cum , quod tu ſcias , id ignorare emolumenti tui cauſa velis eos , quorum interſit id ſcire . Hoc autem celandi genus quale ſit , & cujus hominis , quis non videt ? Certe non aperti , non ſimplicis [80] , non ingenui ,

80 *Certe non aperti , non ſimplicis*] Igitur Antipatri ſententiam probat Cicero , qui mercatoris diſſimulationem tam graviter accuſat . Et tamen *in pretio emptionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus ſe circumvenire* Pomponius ſtatuit lib. xvi. §. ult. ff. de minoribus . Quem locum eleganter exponit Grotius ii. de Jure Belli & Pacis cap. 12. & illius explicationem aſſerit Puſendorfius lib. v. de Jure Nat. & Gent. cap. 3. In capite vero præcedente docet , mercatorem injuſte non feciſſe , cum Rhodiis non indicaſſet naves plures in curſu eſſe . Juſtitiam enim hoc tantum requirere , ut ea indicentur , quæ rei ſubjectæ inhæreant : verbi cauſa , ſi domus peſtilens , ſi a magiſtratu jam dejici juſſa , quæ mox Tullius exempla ſubjicit . Sed hic nihil tale diſſimulatum . Frumenti bonitatem expoſitam , & omnium oculis & probationi fuiſſe objectam : & tunc , quando venale proponebatur , revera tanti fuiſſe , quanti fuerit venditum , etſi paulo poſt minoris eſſet futurum . Nec jus proprie dictum Rhodiis fuiſſe , ut ex mercatore hoc ſcirent , quippe qui de ea re nunquam cum eo pacti eſſent . Addit quoque , ſe dubitare num contra legem beneficentiæ & humanitatis fecerit . Ut enim ad beneficium alteri dandum , humanitate obſtringamur , requiri , ut ipſe illo gratuito valde indigeat . Sed Rhodios opus habuiſſe frumento , non pecunia , qua abundarint , quippe quarum opes apud antiquos multis celebrentur . Sed neque tunc ad beneficium in alium conferendum nos obligari , quando per id danti plus decedat , quam accipienti accedat . Atqui plus lucri deceſſurum fuiſſe mercatori , ſi claſſem ſequi indicaſſet , quam frumenti emptoribus fuiſſet acceſſurum . Nam cum inter plures id diſtraheretur , ſingulis parum deceſſiſſe

genui, non justi, non viri boni: versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. Hæc tot, & alia plura, nonne inutile est vitiorum subire nomina?

XIV. Quod si vituperandi sunt, qui reticuerunt: quid de iis existimandum est, qui orationis vanitatem adhibuerunt? C. Canius, eques Romanus, nec infacetus, & satis literatus, cum se Syracusas otiandi (ut ipse dicere solebat) non negotiandi causa contulisset, dictitabat, se hortulos aliquos velle emere, quo invitare amicos, & ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod cum percrebuisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis, venales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si vellet, ut suis: & simul ad cœnam hominem in hortos invitavit in posterum diem. Cum ille promisisset, tum Pythius, qui esset [81], ut argentarius, apud omnes ordines gratiosus, piscatores ad se convocavit, & ab his petivit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur: dixitque, quid eos facere vellet. Ad cœnam tempore venit Canius: opipare a Pythio apparatum convivium: cymbarum ante oculos multitudo. Pro se quisque quod ceperat, afferebat: ante pedes Pythii pisces abjiciebantur.

Tum Canius, Quæso, inquit, quid est hoc, Pythi? tantumne piscium? tantumne cymbarum? Et ille, Quid mirum, inquit? hoc loco est, Syracusis quidquid est piscium: hæc aquatio: hac villa isti carere non possunt. Incensus Canius cupiditate, contendit a Pythio, ut venderet. Gravate ille primo. Quid multa? impetrat: emit homo cupidus & locuples, tanti, quanti Pythius voluit, & [82] emit instructos: nomina facit [83]: negotium conficit. Invitat Canius postridie familia-
res

cessisse soluto antiquo pretio. Præterea Ciceronem a doli mali crimine videri eundem liberare, cum paulo post dolum malum esse dicat, *quando aliud est simulatum, aliud actum*. Quod huic casui non conveniat. *Racüel*. Cicero hanc quæstionem decidit secundum Stoicorum dogmata, sed illum rigorem a communi vitæ consuetudine alienum esse non uno loco ait, præsertim cum paulo ante ostenderit, se media hic officia persequi, non perfecta. *Grævius*.

81 *Ut argentarius*] Apud argentarios enim pecunia perscribebatur, auctiones, & alii contractus fiebant, & tabulæ condebantur. *Facc.*

82 *Emit instructos*] Hortuli instructi, Ital. *casino fornito*. Idem.

83 *Nomina facit*] Salmasius ὁ πάνυ in libro de Usuris, cap. 6. allato hoc loco ex oratione pro Roscio Comœdo: *Quod si ille suas proferet tabulas, proferet suas quoque Roscius. Erit in illius tabulis hoc nomen, at in*
hujus

res suos. Venit ipse mature. Scalmum nullum videt. Quærit ex proximo vicino, num feriæ quædam piscatorum essent, quod eos nullos videret [85]. Nullæ, (quod sciam) inquit ille: sed hic piscari nulli solent; itaque heri mirabar, quid accidisset [86]. Stomachari Canius. Sed quid faceret? nondum enim Aquilius, collega & familiaris meus [87], protulerat de dolo malo formulas, in quibus ipsis cum ex eo quæreretur, quid esset *dolus malus*, respondebat, *Cum esset aliud simulatum, aliud actum*. Hoc quidem sane luculenter, ut ab homine perito definiendi. Ergo & Pythius & omnes aliud agentes, aliud simulantes, perfidi, improbi, malitiosi sunt. Nullum igitur factum eorum potest utile esse, cum sit tot vitiis inquinatum.

XV.

hujus non erit. Cur potius illius, quam hujus creditur? Scripsisset ille, si non jussu hujus expensum tulisset? Non scripsisset hic, quod sibi expensum ferri jussisset? Nam quemadmodum turpe est scribere, quod non debeatur, sic improbum est non referre quod debeas. Æque enim tabulæ commendantur, hujus qui verum non retulit, & ejus qui falsum perscripsit. Ex his, inquit vir maximus, perspici clare potest creditorem, cum nomen faceret, hoc est, pecuniam alicui crederet, nomen debitoris in tabulis suis scripsisse, & summam debiti, quam *expensum ferre* dicebatur, quia expendebat. Expensum sibi ferre jubebat creditor debitorem, qui in tabulas suas referebat, quod acceperat ac debebat. Hinc *tabulæ accepti & expensi* ab utraque parte conficiebantur. Ab illo more referendi nomina debitorum, quibus aliquid credidissent, in tabulis *nomen facere*, & *nomen locare* dicebatur creditor, qui pecuniam credebat. Contra debitor cum creditum solveret, *nomen dissolvere, expedire, expungere*, quia expungebatur nomen ejus e tabulis creditoris, ubi solvisset. Hæc Salmasius, qui id pluribus exemplis antiquorum scriptorum firmat, uti & ex Ulpiano lib. II. D. de Proxeneticis, quique ibi quoque docet, quid sit apud Justinianum obligatio scripturæ, quæ nominibus fiebat. Verissima sunt quæ ibi tradit, nisi quod in his ei assentiri non possimus, quod existimet *nomen facere* dici tantum de illis creditoribus, qui pecuniam mutuam dent sine usuris, quod non videtur vero esse consentaneum. Usurpatur de pecunia tam quæ sine usuris, quam quæ cum usuris mutua datur. Cum igitur debitoris sit facere nomina, J. F. Gronovius censet hic legendum esse *Pythius nomina facit*. Nam Canius secundum consuetudinem Latine loquentium, qui non præsente pecunia emebat hos hortos, sed summam, quæ convenerat, jubebat aut in Pythii tabulas expensi & accepti referri, aut in alius, qui pecuniam hanc ei credebat, *nomen locabat*; Pythius autem aut amicus ei credens, *nomen faciebat*. Conjecturam Gronovii adstruunt sequentia statim verba: *invitat Canius postridie familiares suos*. Non opus fuisset repetitione nominis *Canius*, si ad eundem hominem pertinerent præcedentia. *Grævius*.

85 *Quod eos nullos videret*] Pith. excerpta: *eo quod nullas videret*. Equidem *eos nullos* ferit aures. Sed Cicero videtur scripsisse: *quod eos nullus videret*. Hoc est, non videret. XI. ad Att. epist. 24. *Philotimus nullus venit*. Et alibi, præsertim apud comicos, crebra sunt exempla. *Idem*. Legendum puto *quod eos non*. Statim enim sequitur *nullæ*, & proxime *nulli*. Facile autem fuit veteres codices describentibus in hujusmodi voculis falli. Alii leg. *eo quod nullas*. Facc.

86 *Stomachari Canius*] *Stomachari* pro irasci, ut infra *stomachus* pro ira. *Idem*.

87 *Aquilius collega & familiaris meus*] Fuit Ciceronis collega in prætura, vir jurisprudentia insignis, Q. Mucii discipulus, quem Cicero multis in locis prædicat, ut & Valer. Max. VIII. 2. 15. Invenit actionem de dolo malo, Cic. III. de Nat. Deor. 30. *Grævius*.

XV. Quod si Aquiliana definitio vera est: ex omni vita simulatio, dissimulatioque tollenda est. Ita nec ut emat melius, nec ut vendat, quidquam simulabit, aut dissimulabit vir bonus. Atque iste dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela XII tabulis [88], & circumscriptio adolescentium lege Lætoria [89]: & sine lege, judiciis [90], in quibus additur, EX FIDE BONA [91]. Reliquorum autem judiciorum hæc verba maxime excellunt; in arbitrio rei uxoriæ [92], MELIUS, ÆQUIUS: in fiducia [93], UT INTER BONOS BENE AGIER. Quid ergo; aut in eo, quod MELIUS, ÆQUIUS, potest ulla pars inesse fraudis? aut, cum dicitur, INTER BONOS BENE AGIER, quidquam agi dolose aut malitiose potest? Dolus autem malus simulatione & dissimulatione, ut ait Aquilius, continetur. Tollendum est igitur ex rebus contrahendis omne mendacium. Non licitatorem venditor, nec qui contra se liceatur [94], emptor oppo-

 net.

88 *Ut* tutela *duodecim tabulis*] Non recte (si quid veri video) dicitur *tutelam* esse vindicatam, hoc est, punitam, duodecim tabulis, quæ, si eam solam spectes, nihil mali in se continere invenietur. Potius legamus, *ut* tutelæ *duodecim tabulis*, scilicet ut dolus malus tutelæ vindicatus erat XII. istis tabulis. *Pearc.*

89 *Lege Lætoria*] Sueton. *Lætoria*, inquit, *quæ vetat minores* XXV. *annis stipulari*: ubi *stipulari* passive poni Priscianus notat, lib. VIII. *Langius*.

90 *Et sine lege, judiciis*] Lambinus ideo distinxit, ut tolleretur error eorum qui judicium sine lege, arbitrium esse putant. Ciceronis sententia est, dolum malum ante Aquilium non modo legibus, sed & judiciis bonæ fidei vindicatum fuisse. *Fabritius*. Male ultima distinguit cum Lambino Fabritius. *Sine lege judicia* sunt, quæ non descendunt ex XII. tab. aut lege per populum lata, sed in quibus prætor supplet, quod deest juri civili. Justinian. Institut. lib. IV. tit. 6. de actionibus. §. 30. 31. *J. F. Gronovius*.

91 *Ex fide bona*] Convenientissime hanc formulam interpretatur Paulus, quando dicit bonam fidem esse contrariam fraudi & dolo. Notandum hic, actionum bonæ fidei tres fuisse formulas: unam, quæ contractibus bonæ fidei accommodabatur, cum his verbis, *Ex bona fide*: alteram, quæ in fiduciis usurpabatur, cum his: *Ut inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione*: tertiam, rei uxoriæ propriam, cum his: *Quantum æquius, melius*. De quibus etiam videri meretur Sigonius, lib. I. de Judic. cap. 21. sub fin. *Rachel*.

92 *In arbitrio rei uxoriæ*] Vide Topica, cap. 17.

93 *In fiducia*] Fiducia veteribus jurisconsultis fuit & pignus, & hypotheca, & potius hypotheca, longe diversa a fiducia & Isidori & Boetii, quæ & ipsæ differunt, ut contra recentiores jurisconsultos multis ostendit vir maximus Claud. Salmasius & in libro de Usuris cap. 4. & de Modo Usurarum cap. 14. copiosissime. *Grævius*.

94 *Nec qui contra se liceatur*] Quibus in verbis memini ab eruditis hominibus dubitatum esse, cur diceretur emptor neminem, qui contra se liceretur, appositurus. Certe enim solent interdum venditores in auctionibus licitatorem aliquem apponere, qui se emere velle simulet: & pluris liceatur ea quæ venum exposita sunt, quam quanti sunt: ut eo modo cæteri emptores inducantur. Atque hoc sæpe fieri vidimus. Emptor autem cur, quæso, quemquam, qui contra se liceatur, apponat? Id enim si faciat, obstabit sibi: neque hoc dubium est, quin qui emere aliquid vult, illud potius optare debeat, ut nemo, qui contra liceri velit, reperiatur.

Qua-

net. Uterque, si ad eloquendum venerit, non plus, quam semel, eloquetur [95].

Quintus quidem Scævola, Publii filius, cum postulasset, ut sibi fundus, cujus emptor erat, semel indicaretur, idque venditor ita fecisset, dixit, se pluris æstimare: addidit centum millia. Nemo est, qui hoc viri boni fuisse neget; sapientis, negant: ut si minoris, quam potuisset, vendidisset [96]. Hæc igitur est illa pernicies, quod alios bonos, alios sapientes existimant. Ex quo Ennius, *ne quidquam sapere sapientem, qui sibi*

Quare si qui contra se liceatur apponat, non sibi consulet, sed venditori. Quid igitur est? Multa ab istis παραδιορθῶντας allata sunt, quæ qui accurate refellere velit, ridiculus fit: ita sunt ridicula ipsa & levia. Peccatum hic est, ut & in aliis libris sæpe, & in Pandectis Florentinis sæpissime, ut semel tantum positæ sint literæ, quas geminari oportebat. Legendum enim est, *qui contra asse liceatur*. Ut enim venditor dolose apponit, qui pluris liceantur, ita emptor qui minoris: ut sibi facilius res addicatur. Assem autem pro minimo pretio veteres sæpe dicebant: eoque nomine in rebus extenuandis, & abjiciendis utebantur. Socrates apud Varronem: *Asse vinum, asse pulmentarium*. Cato: *Quod non opus est, asse carum est*. In ludicro poemate: *Non assis faciunt, euntque recta*. Catullus: *Omnes unius æstimemus assis*. Horatius: *In triviis fixum qui se demittit ob assem*. Persius: *Et centum Græcos curto centusse licetur*. *Asse* igitur *liceri*, est pretium rei extenuare & abjicere; quod qui faciat, si emptor apponat, improbe eum facturum Cicero putat. *Muret. Var. Lect.* XIV. 3. Hæc Muretus, quæ sunt certissima. Emptoris est liceri, si quis apponitur qui licetur contra emptorem, aut est licitator qui servit venditori, & pretium rei auget, aut ipse cupit illam sibi addici. Dumnorix apud Cæsarem 1. de Bello Gallico per plures annos portoria, reliquaque omnia Æduorum vectigalia parvo pretio redempta habuisse dicitur, *propterea, quod illo licente, contra liceri nemo audeat*. Ergo qui contra licentur, augent pretium, & efficiunt, ut carius vendatur aut conducatur. Sed emptor cum apponit in auctione, qui rem a venditore indicatam vilissimo pretio liceatur, tanquam res esset parvi æstimanda, is sane sæpe causa est, ut minore pretio quid vendatur, cum multi persuadeantur, non tanti rem esse, quia tam vile pro ea pretium offeratur. *Græv.* Sustineri tamen vulgata lectio potest. Nam qui apponit falsum emptorem, certe contra se apponit, quamvis reipsa non sit contra se. *Facc.*

95 *Uterque, si ad eloquendum venerit, non plus quam semel eloquetur*] Id est: Venditor quam minimum rei pretium statuat, quod ille partim ex ipsa re, partim ex labore, sumptu aut periculo, quæ accesserunt, candide, sine fuco & fraude æstimabit. Emptor quoque, si illa indiguerit, in dictum pretium, cæteris paribus, consentiat, nec ambagibus, aut tergiversationibus, aut illusionibus venditorem circumscribere studeat. *Rachelius*.

95 *Ut si minoris, quam potuisset, vendidisset*] Sententiam horum verborum non capio, nec ut conveniant iis, quæ præcedunt, video. Quis minoris vendit suum, quam potest, si in ejus manu ac potestate est vendendi facultas? Cicero hic loquitur de sapiente, hoc est suorum commodorum studioso emptore, non qualis erat Scævola, qui quidem vir bonus fuerit, sed secundum opinionem non vulgi modo, sed & plerorumque etiam doctorum minime sapiens, qui non tam parvo fundum illum emerit pretio, quo potuisset. Hoc sane sententia Ciceronis postulat. In antiquis membranis nihil est opis hoc loco. Censeo autem Ciceronem scripsisse: *ne minoris quidem, si potuisset, emisset*. Negant, inquit, sapientis emptoris esse plus dare, quam indicarat venditor: sed contra sapientis emptoris, hoc est ad rem suam attenti, esse, etiam minoris emere fundum, si possit, quam erat indicatus. Hoc certe sensit Cicero. *Emisset* ex antiquis editionibus reposui. Reliqua propter consensum scriptorum & editorum librorum immutare non sustinui. *Grævius*.

ſibi ipſe prodeſſe non quiret [97]. Vere id quidem, ſi, quid eſſet prodeſſe, mihi cum Ennio conveniret. Hecatonem quidem Rhodium, diſcipulum Panætii, video in iis libris, quos de Officiis ſcripſit Q. Tuberoni, dicere, Sapientis eſſe, nihil contra mores, leges, inſtituta facientem [98], habere rationem rei familiaris. Neque enim ſolum nobis divites eſſe volumus, ſed liberis, propinquis, amicis, maximeque reipublicæ. Singulorum enim facultates & copiæ, divitiæ ſunt civitatis. Huic Scævolæ factum (de quo paulo ante dixi) placere nullo modo poteſt: etenim omnino tantum ſe negat facturum compendii ſui cauſa [99], quod non liceat. Huic nec laus magna tribuenda, nec gratia eſt. Sed ſive ſimulatio & diſſimulatio, dolus malus eſt; perpaucæ res ſunt, in quibus dolus iſte malus non verſetur: ſive vir bonus eſt is, qui prodeſt, quibus poteſt, nocet nemini, certe iſtum virum bonum non facile reperimus. Nunquam igitur eſt utile peccare, quia ſemper eſt turpe: & quia ſemper eſt honeſtum, virum bonum eſſe, ſemper eſt utile.

XVI. Ac de jure quidem prædiorum ſancitum eſt apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia dicerentur, quæ nota eſſent venditori. Nam, cum ex XII tabulis ſatis eſſet ea præſtari, quæ eſſent lingua [100] nuncupata, quæ qui inficiatus eſſet, dupli pœnam ſubiret: a jureconſultis etiam reticentiæ pœna [101]

97 *Qui ſibi ipſe prodeſſe non quiret*] Sic Ennium locutum eſſe Petrus Victorius Variarum Lect. lib. XVI. cap. 8. admonet. Verſus integer eſt ep. 6. lib. VII. ad Fam. *Qui ipſe ſibi ſapiens prodeſſe non quit, ne quicquam ſapit*. Græcus extat, epiſt. 15. lib. XIII. *μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός*. *Gebrtius.*

98 *Sapientis eſſe nihil contra mores, leges, inſtituta facientem*] Recte Cicero hoc Hecatonis dictum reprehendit tanquam quod adverſetur ſanctitati Stoicæ doctrinæ, quæ præcipiat, ſapientem ſibi ipſi legem eſſe. Non facit quidem quæ ſunt contra leges, ſed plura facit ſapiens & vir bonus, quam legibus præſcribitur, nec tamen negligit rem familiarem. Per leges licet mihi emere illo pretio, quo a venditore res indicatur. Vir bonus vero videns, emptorem pretium rei non noſſe, ei ſignificabit rem iſtam majoris eſſe pretii, & carius vendendam, ut fecit Scævola, quod ſapiens Hecatonis non feciſſet. Et hoc eſt quod in Hecatonis ſententia Cicero improbat. Alioqui non eſt ut improbetur. *Grævius.*

99 *Tantum ſe negat facturum, compendii ſui cauſa*] Quaſi dicat eum dolum, quem leges non vindicant, licere interponere. Sed *anguſta innocentia eſt, ad legem bonum eſſe*, ut Seneca II. de Ira 27. ait *J. F. Gronovius.*

100 *Nuncupata*] quæ lingua eſſent expreſſa. Feſtus ex XII. Tabul. *uti lingua nuncupaſſit*, & ut veteres ſcribebant, *utei lincua nuncupaſit*. Volebant igitur XII. Tabulæ, ea præſtari, quæ quis ab emptore interrogatus, lingua expreſſiſſet. Quod ſiquid inficiatus malitia eſſet, dupli damnabatur, ideſt duplum pretii reſtituere cogebatur. *Facc.*

101 *Reticentiæ pœna*] *Actio redhibitoria* hodie

est constituta. Quidquid enim esset in prædio vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstari oportere. Ut, cum in arce [1] augurium augures acturi essent, jussissentque Titum Claudium Centumalum, qui ædes in Cœlio monte habebat, demoliri ea, quorum [2] altitudo officeret auspiciis: Claudius proscripsit [3] insulam, vendidit: emit P. Calpurnius Lanarius. Huic ab auguribus illud idem denuntiatum est. Itaque Calpurnius cum demolitus esset, cognossetque, Claudium ædes postea proscripsisse, quam esset ab auguribus demoliri jussus, arbitrum illum adegit, [4] quidquid sibi dare, facere oporteret *ex fide bona*. M. Cato sententiam dixit, hujus nostri Catonis pater: ut enim cæteri ex patribus, sic, qui lumen illud progenuit, ex filio est nominandus. Is igitur judex ita pronuntiavit: cum in venumdando rem eam scisset, & non pronuntiasset, emptori damnum præstari oportere. Igitur ad fidem bonam statuit pertinere, notum esse emptori vitium, quod nosset venditor.

Quod si recte judicavit: non recte frumentarius ille, non recte ædium pestilentium venditor tacuit. Sed hujusmodi reticentiæ jure civili omnes comprehendi non possunt: quæ autem possunt, diligenter tenentur. M. Marius Gratidianus, [5] propinquus noster, C. Sergio Oratæ vendiderat ædes eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Hæ Sergio serviebant: sed hoc

hodie appellatur D. de ædilitio edicto. Sane vitia cum prædiorum, tum rerum aliarum in contractu reticenda non sunt. Sed extra contractum nulla humanitatis lege sum obstrictus, ad aperiendam alii aut rerum mearum conditionem, aut id, unde lucro aliquo fruar. Vide Hug. Grot. lib. II. cap. 8. §. 7. & Sam. Pufendorfium, lib. v. de Jure Naturæ & Gentium cap. 3. §. 3. *Græv.*

1 *In arce*] Intelligit arcem Capitolinam, in qua solebant augures auguria captare. *Idem.*

2 *Demoliri eas, quorum*] Ita Manutius & Gruterus: sed male, ni fallor: non enim ædes demoliri, inquit Fabritius, sed altitudinem ædium summittere Claudium augures jusserunt. Victorius igitur & Lambinus, *ea quorum*. Typographi quidem nostri sic dederant, cum eorum pericula nos primum vidimus: sed in typographia est qui amet dici [illegible], eademque iterum pericula recognoscens, nos pro suo jure, ut sibi videtur, emendat nonnunquam. Quod hic fecit, cum ad Gruterum recurreret, a quo discedere tum maxime volueramus. *Olivetus.*

3 *Proscripsit insulam*] Domum proposito libello, vendendam significavit. *Insulæ* primum dicebantur urbanæ Domus, quæ essent ab aliis separatæ, proindeque ab incendiis tutiores; postea nomen ad eas quoque translatum est, quæ cum vicinis conjungerentur. *Facc.*

4 *Arbitrum illum adegit*] Vetus locutio *adigere arbitrum*, pro *agere ad arbitrum*, & similis est significatio, quæ illius, *agere in judicium*, vel *ad judicium*. Hotoman. in Orat. pro Q. Roscio, cap. 9.

5 *M. Marius Gratidianus*] De quo in Bruto.

hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in judicium est. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. Jus Crassus urgebat: quod vitii venditor non dixisset sciens, id oportere præstari: æquitatem Antonius: quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas ædes vendidisset, nihil fuisse necesse dici: nec eum esse deceptum, qui id quod emerat, quo jure esset, teneret. Quorsum hæc? ut illud intelligas, non placuisse majoribus nostris astutos.

XVII. Sed aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias: leges, quatenus [6] manu tenere possunt: philosophi, quatenus ratione & intelligentia. [7] Ratio igitur hoc postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter. Suntne igitur insidiæ, tendere plagas, etiam si excitaturus non sis, nec agitaturus? ipsæ enim feræ nullo insequente sæpe incidunt. Sic tu ædes proscribas, tabulam tanquam plagam ponas, domum propter vitia vendas; in eam aliquis incurrat imprudens. Hoc quanquam video propter depravationem consuetudinis, neque more turpe haberi, neque aut lege sanciri, aut jure civili; tamen naturæ lege sancitum est. Societas enim est, (quod etsi sæpe dictum est, dicendum tamen est sæpius) latissime quidem quæ pateat, hominum inter homines: interior eorum, qui ejusdem [8] gentis sunt; proprior eorum, qui ejusdem civitatis. Itaque majores aliud jus gentium, aliud jus civile esse voluerunt. Quod civile, non idem continuo gentium: quod autem gentium, idem civile esse debet. Sed nos veri juris, germanæque justitiæ solidam & expressam effigiem nullam tenemus; umbra & imaginibus utimur: eas ipsas utinam sequeremur! feruntur enim ex optimis naturæ & veritatis exemplis. Nam quanti verba illa, *Uti ne propter te*, [9] *fidemve tuam captus*,

6 *Manu tenere*] Leges tollunt astutias apertas, certaque fraude admissas. Philosophi damnant eas quoque, quæ acute excogitatæ sunt, ad leges eludendas, vel, quæ ita leves sunt, ut eo lex non pertingat. Philosophia respicit hominem ut esse debet, lex ut est. *Facc.*

7 *Ratio igitur*] Malim leg. *ratio autem*. Alii codices habent *ergo*. Amanuenses enim compendiariis non recte perceptis, periodi sequentis particulam sumpsere. *Facc.*

8 *Gentis*] Al. *generis*. Significat enim societatem angustiorem, quam sit hominis cum homine, sed latiorem, quam sit civis cum cive, v. g. inter Christianas gentes. *Facc.*

9 *Uti ne propter te*] Est formula, qua utebantur & sibi cavebant in stipulando. *Rechelius*.

ptus, fraudatusve sim? Quam illa aurea, *Ut inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione!*

Sed qui sint *boni*, & quid sit *bene agi*, magna quæstio est. Q. quidem Scævola, pontifex maximus, summam vim dicebat esse in omnibus iis arbitriis, [10] in quibus adderetur, EX FIDE BONA: fideique bonæ nomen existimabat manare latissime, idque versari in tutelis, societatibus, fiduciis, [11], mandatis [12], rebus emptis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ societas continetur: in his magni esse judicis, statuere (præsertim cum in plerisque essent [13] judicia contraria) quid quemque cuique præstare [14] oporteret.

Quocirca astutiæ tollendæ sunt, eaque malitia, quæ vult illa quidem videri se esse prudentiam: sed abest ab ea, distatque plurimum. Prudentia est enim locata in delectu bonorum & malorum: malitia (si omnia, quæ turpia sunt, mala sunt) mala bonis anteponit. Nec vero in prædiis solum jus civile, ductum a natura, malitiam fraudemque vindicat: sed etiam in mancipiorum venditione fraus venditoris omnis excluditur. Qui enim scire debuit de sanitate, de fuga, de furtis, præstat edicto ædilium [15]. Heredum alia causa est. [16] Ex quo intelligitur, quoniam juris natura fons sit, hoc secundum naturam esse,

10 *In omnibus iis arbitriis*] Hoc est, in actionibus illis arbitrariis, quæ ab arbitrio & potestate judicantis pendent, qui non ex natura rei, sed ex accidenti rem æstimat. *Grævius.*

11 *Fiduciis*] Hoc est, pignoribus, seu hypothecis. Vide superius ad cap. 15. hujus libri. *Idem.*

12 *Mandatis*] Paradoxon videtur mandati esse obligationem. Nam si mandatum nisi gratuitum nullum est, originemque ex officio atque amicitia trahit, neque quisquam invitus ad mandatum suscipiendum compelli potest, quia nemo ad benefaciendum invitus cogi potest, nisi forte obligationem faciat spuntanea susceptio. Vide tit. mandati lib. XVII. D. & Platonis librum de Legibus XII. & Gellium lib. I. cap. 13. *Betulejus.*

13 *Judicia contraria*] In quibusdam contractibus utraque pars habet actionem directam; in aliis pars una directam, ut pupillus in tutorem, altera contrariam, ut tutor in pupillum: atque in his quidem magni judicis est statuere, quid præstandum ex fide bona. *Fac.*

14 *Quid quemque cuique præstare*] More jurisconsultorum hic loquitur Cicero, non minus jurisconsultus quam orator, judicio Jac. Gothofredi ad L. XXIII. ff. de R. I. Præstare vero sensu jurisconsultorum est, quid cuipiam alius obstrictus sit, facere, luere, sarcire, si qua inæqualitas aut læsio inique contigerit. Unde etiam hac voce bis utitur Ulpianus d. l. 23. ff. de R. I. qua de præstationibus ex variis contractibus debitis agitur. *Rachelius.*

15 *Præstat edicto ædilium*] Vide Gellium lib. IV. cap. 2.

16 *Heredum alia causa est*] Hoc est heredes in vendendis bonis defuncti, non coguntur sarcire aut præstare, si quid vitiosi sit in mancipiis aut aliis rebus, quas vendunt, quia creduntur ignorare vitia. *Grævius.*

se, neminem id agere, ut ex alterius prædetur inscientia. Nec ulla pernicies vitæ major inveniri potest, quam in malitia simulatio intelligentiæ: ex quo ista innumerabilia nascuntur, ut utilia cum honestis pugnare videantur. Quotus enim quisque reperietur, qui impunitate & ignoratione omnium proposita, abstinere possit injuria?

XVIII. Periclitemur, si placet, in iis quidem exemplis, in quibus peccari vulgus hominum fortasse non putat. Neque enim de sicariis, veneficis, testamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco disserendum est: qui non verbis sunt & disputatione philosophorum, sed vinculis & carcere fatigandi. Sed hæc consideremus, quæ faciunt ii, qui habentur boni.

L. Minucii Basili [17], locupletis hominis, falsum testamentum quidam e Græcia Romam attulerunt: quod quo facilius obtinerent, scripserunt heredes secum M. Crassum & Q. Hortensium, homines ejusdem ætatis potentissimos: qui, cum illud falsum esse suspicarentur, sibi autem nullius essent conscii culpæ, alieni facinoris munusculum non repudiaverunt. Quid ergo? satin' hoc est, ut non deliquisse videantur? Mihi quidem non videtur [18]: quanquam alterum amavi vivum, alterum non odi mortuum. Sed cum Basilus M. Satrium [19], sororis filium, nomen suum ferre [20] voluisset, eumque fecisset heredem: *Hunc dico patronum agri Piceni & Sabini*: [21]

17 *L. Minucii Basili*] Male, *Basilii*, legebatur. Est enim *Basilus* cognomen Minuciorum, quod cum ex hoc loco, tum ex Appiani lib. III. de Bello Civili apparet, ubi *Minucium Basilum* virum prætorium unum de Cæsaris interfectoribus numerat, qui sesquiannum post Cæsarem interemptum a servo suo interfectus sit. Meminit & Florus lib. IV. & Dion. Videndum an hic ipse L. Basilus sit, quem Syllæ præfectum Plutarch. tradit fuisse, cum urbem occuparet. Extant & Ciceronis epistolæ ad Basilum lib. VI. Familiarium, qui cum Bruto in Cæsarem conjuravit. *Langius*.

18 *Mihi quidem non videtur*] Merito. Nam jus naturæ præcipit ut rem alienam, quam quis in sua potestate habet, reddat domino. Nec enim sine scelere retineri potest. Vide H. Grotium, II. de Jure Belli & Pacis cap. 10. §. 1. & ejusdem libri c. 21. §. 1. *Græv.*

19 *M. Satrium*] Satria familia Romana est: quam T. Pomponium Atticum aliquo modo attigisse ex Suetonio satis liquet, libro de Grammaticis: ut fortassis hic Cicero non nihil privatim motus sit, quod hic ipse Satrius de Attici majoribus fuerit. Huc etiam forte spectet, quod primo ad Attic. scribitur Cæcilium Attici avunculum a Caninio Satrio in nescio qua hereditate fraudatum. *Langius*.

20 *Nomen suum ferre*] Sic Suetonius in Augusto, *heredes instituit primos Tiberium ex parte dimidia & sextante, Liviam ex parte tertia: quos & ferre nomen suum jussit*. Et in testamento antiquo L. Cuspidii, *Agros domumque relinquo consobrinis, & L. præcipue, quod is nomen ferat nostrum*. Fert igitur nomen, qui est ὁμώνυμος τῷ διαθέτῳ, ut loquitur Dion initio libri XLV. *Fabritius*.

ni [21] : (o turpem notam temporum illorum !) num erat æquum, principes cives rem habere, ad Satrium nihil præter nomen pervenire ? Etenim, si is, qui non defendit injuriam, neque propulsat a suis, cum potest, injuste facit, ut in primo libro disserui ; qualis habendus est is, qui non modo non repellit, sed etiam adjuvat injuriam ? Mihi quidem etiam veræ hereditates, non honestæ videntur, si sint malitiosis blanditiis officiorum ; [22] non veritate, sed simulatione quæsitæ. Atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honestum videri solet. Falso : nam eadem utilitatis, quæ honestatis est regula. Qui hoc non [23] perviderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. Sic enim cogitans, *Est istuc quidem honestum, verum hoc expedit*, res a natura copulatas audebit errore divellere : qui fons est fraudium, maleficiorum, scelerum omnium.

XIX. Itaque si vir bonus habeat hanc vim, ut, si digitis concrepuerit [24], possit in locupletium testamenta nomen ejus irre-

21 *Hunc dico patronum agri Piceni & Sabini*] Quidam libri habent, *hunc dico patronum;* alii, *hunc, ait, dico patronum:* quos secutus sum. Sunt enim verba ex Minucii testamento. *Langius*. Hæc videntur esse verba in testamento Minucii Basili usurpata : quapropter legendum puto, *eumque fecisset heredem, hunc (aient) dico patronum agri Piceni*. Quippe his verbis Basilus voluit Satrium suum heredem facere; at Crassus & Hortensius contendebant Basili rem ad se pertinere, solum nomen patroni agri Piceni & Sabini ad Satrium pervenire. *Pearcius*.

22 *Non veritate, sed simulatione*] Fortasse hæc verba margini adscripta erant ad explicandas blanditias Officiorum. *Facc.*

23 *Perviderit*] Al. *providerit*, al. *prævideris*. Sed retinendum *perviderit*, quod significat planam perfectamque cognitionem & persuasionem. *Facc.*

24 *Ut si digitis concrepuerit*] Nihil hoc est aliud, quam nullo negotio, facillime. Pro quo paulo post dicit *digitorum percussione*. Sunt locutiones quæ nihil faciunt ad turpitudinem, aut ad honestatem. Sic dicebant *ad digiti crepitum præsto esse*, sive præsto sis ad rem bonam, sive ad malam, aut turpem. Sic & in sequentibus *saltaret in foro*, nil aliud est, quam faceret aliquid, quod se, aut quemvis gravem hominem aut pudentem maxime dedeceret. Nihil hoc quoque pertinet ad id quod est turpe sive natura, sive opinione. Neque hic agitur de perfecto sapiente Stoico, sed de viro bono, cui opponit Crassum hominem avarissimum, quem etiam perdidit avaritia. Is nihil, inquit, pensi haberet, & faceret palam etiam indignissima viro bono, & gravi, si modo possit augere suas facultates, & efficere quocumque modo supposititio ut heres scribatur hominis opulenti, sicuti ex testamento Minucii Basili contra jus & fas & officium viri boni partem bonorum acceperat. Hoc non tantum non faceret sapiens Stoicus, sed nec vir quilibet bonus. De talibus enim casibus loquitur hic Cicero. Non repudianda existimat legata hominum divitum, virtute parta; sive veras hereditates, ut loquitur capite præcedente; sed malitiosis blanditiis quæsitas. Hæc non notassem nisi immerito barbam velli Tullio & hic & nonnunquam alibi viderem. *Grævius*. In hereditatis aditione digitos (Romani) percutiebant, quod pluribus locis tradit Cujacius; idque videtur Cicero significare, cum ait lib. de Offic. *Si digitis concrepuerit &c.* *Gravina*, Specimen Prisci Juris.

irrepere; hac vi non utatur: ne si exploratum quidem habeat, id omnino neminem unquam suspicaturum. At dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui re vera non esset heres: in foro, mihi crede, saltaret. Homo autem justus, isque, quem sentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet. Hoc qui admiratur, is se, quid sit vir bonus, nescire fateatur. At vero si quis voluerit animi sui complicatam notionem evolvere [25], jam se ipse doceat, eum virum bonum esse, qui prosit quibus possit: noceat nemini, nisi lacessitus injuria [26]. Quid ergo? hic non noceat, qui quodam [27] quasi veneno perficiat, ut veros heredes moveat, in eorum locum ipse succedat? Non igitur faciat (dixerit quis) quod utile sit, quod expediat? Immo intelligat, nihil nec expedire, nec utile esse, quod sit injustum. Hoc qui non didicerit, bonus vir esse non poterit.

Fimbriam consularem, audiebam de patre nostro puer, judicem M. Lutatio Pinthiæ fuisse, equiti Romano sane honesto, cum is sponsionem fecisset [28], *ni bonus vir esset*. Itaque ei dixisse Fimbriam, se illam rem nunquam judicaturum; ne aut spoliaret fama probatum hominem, si contra judicasset:

25 *Animi sui complicatam notionem evolvere*] Recte Manutius exponit, & clarius ὁ πάνυ Gronovius, id quod animo insitum est & innatum, etsi obscurius & involutum, meditando acuere & penitus recognoscere: id respicere, quod mens ipsa, si excutiatur, & conscientia dictitat, IV. Tuscul. 24. *Notionem nostram de fortitudine habemus omnes tectam & involutam*. Ex his notionibus quas evolverunt viri sapientes, nata est philosophia moralis. Apud gentes barbaras, qui eas non explicuerunt & excusserunt, manent etiam nunc complicatæ. *Grævius*.

26 *Nisi lacessitus injuria*] Non ulciscendo, sed se defendendo, & arcendo injuriam. Quod viro bono licere nunquam infitiabitur Lactantius, qui perperam hic Tullium reprehendit. *Idem*.

27 *Quasi veneno*] quasi incantationibus & præstigiis. *Facc.*

28 *Cum is sponsionem fecisset*] Qui petere vult, id est, qui litem facit, ut Fortunatianus jurisconsultus loquitur, ante omnia sponsione provocat adversarium: is unde petitur, sic contendit, ex provocatione spondet, rursusque restipulatur a petitore, qui etiam vicissim respondere cogitur. Eugraphius in illud Terent. *Jusjurandum dabitur te esse indignum injuria hac. Quemadmodum sponsio ante judicium fieri solet, ita hic dixit, jusjurandum dabit, quod &c.* Hujus sponsionis pignus legitimum est sacramentum, ut Isidorus ex quopiam meliore auctore scribit Etymol. V. Quamvis autem hujusmodi stipulationes sponsionesque mutuæ sint: proprie tamen qui provocat primum, *sacramenta rogare*, *petere*, vel *quærere* dicitur: qui provocatur, *sacramento contendere*, quod ex eventu judicii justum injustumve dicitur, & pronuntiatur. Pecunia hæc ab utraque parte deponebatur apud pontificem, dicebaturque sacramentum. Victor suam recipiebat, victi in sacrorum usum retinebat pontifex. P. Pithœus Adversf. I. 18. ubi vide plura: vide & H. Grotii florum sparsionem ad Jus Justinianeum p. 128. *Grævius*.

aut ſtatuiſſe videretur, virum bonum aliquem eſſe, cum ea res innumerabilibus officiis & laudibus contineretur. Huic igitur viro bono, quem Fimbria etiam, non modo Socrates noverat, nullo modo videri poteſt quidquam eſſe utile, quod non honeſtum ſit. Itaque talis vir non modo facere, ſed ne cogitare quidem [29] quidquam audebit, quod non audeat prædicare. Hæc nonne eſt turpe dubitare philoſophos, quæ ne ruſtici quidem dubitent? a quibus natum eſt id, quod jam contritum eſt vetuſtate proverbium: cum enim fidem alicujus bonitatemque laudant; dignum eſſe dicunt, quicum in tenebris [30] mices. Hoc quam habet vim, niſi illam, nihil expedire quod non deceat, etiam ſi id poſſis nullo refellente obtinere? Videſne igitur, hoc proverbio, neque Gygi illi poſſe veniam dari, neque huic, quem paulo ante fingebam, digitorum percuſſione hereditates omnium poſſe converrere [31]? Ut enim, quod turpe eſt, id quamvis occultetur, tamen honeſtum fieri nullo modo poteſt: ſic, quod honeſtum non eſt, id utile ut ſit, effici non poteſt, adverſante & repugnante natura.

XX. At enim, cum permagna præmia ſunt, eſt cauſa peccandi. C. Marius cum a ſpe conſulatus longe abeſſet, & jam ſeptimum annum poſt præturam jaceret, neque petiturus unquam conſulatum videretur: Q. Metellum, cujus legatus erat, ſummum virum, & civem, cum ab eo, imperatore ſuo, Romam miſſus eſſet, apud populum Romanum criminatus eſt, bellum ducere: ſi ſe conſulem feciſſent, brevi tempore, aut vivum,

29 *Ne cogitare quidem*] Itaque ſapienter Alcæum reprehendit Sappho, apud Ariſtot. I. Rhet. 9. cum is dixiſſet:

Θέλω τι τ' εἴπην, ἀλλά με κωλύει αἰδώς.
Dicere vellem aliquid, ſed me probibet pudor.

Reſpondet Sappho:

Αἰ δ' ἦχες ἐσθλῶν ἵμερον ἢ καλῶν,
Καὶ μηδὲν εἰπῆν γλῶσσ' ἐκύκα κακὸν,
Αἰδώς κεν οὐχί σ' ἦχεν ὄμματ'
Ἀλλ' ἔλεγες περὶ τῶ δικαίω.

Hoc eſt, interprete Mureto,

Si quidquam honeſti mens ferat ac boni,
Nec lingua quidquam turpe paret tua:
Nullo impedireris pudore,
Sed facile eloquerere honeſta. Idem.

30 *Mices*] Micare digitis, ludi genus populare ſatis notum. Ital. *la Mora*. Facc.

31 *Hereditates omnium poſſe converrere*] Eſt tralatio a piſcatoribus, qui genere quodam retis, quod everriculum appellant, magnam vim piſcium corripiunt. Poteſt etiam dici tralationem eſſe ab iis ſervis aut ancillis, quæ ſcopis & verriculis quiſquilias & ſordes domus unum in locum converrunt, ut poſtea in unum acervum congeſtas parvo negotio auferant. Eadem tralatione uſus eſt Horatius Sat. 4. lib. II. *Nec ſatis eſt cara piſces averrere menſa*. Lambinus.

vivum, aut mortuum Jugurtham se in potestatem populi Romani redacturum. Itaque factus est ille quidem consul, sed a fide justitiaque discessit, qui optimum & gravissimum civem, cujus legatus, & a quo missus esset, in invidiam falso crimine adduxerit.

Ne noster quidem Gratidianus officio boni viri functus est tum, cum prætor esset, collegiumque prætorum tribuni plebis adhibuissent [32], ut res nummaria de communi sententia constitueretur. *Jactabatur enim temporibus illis nummus* [33], *sic ut nemo posset scire, quid haberet*. Conscripserunt communiter edictum [34] cum pœna atque judicio; constitueruntque, ut omnes simul in Rostra post meridiem [35] descenderent: & cæteri quidem alius alio: Marius a subselliis in Rostra recta, idque quod communiter compositum fuerat, solus edixit. Et ea res (si quæris) ei magno honori fuit. Omnibus vicis statuæ: ad eas thus & cerei. Quid multa? nemo unquam multitudini fuit carior.

Hæc sunt, quæ conturbant homines in deliberatione nonnunquam, cum id, in quo violatur æquitas, non ita magnum; illud autem, quod ex eo paritur, permagnum videtur: ut Mario, præripere collegis, & tribunis plebis popularem gratiam, non ita turpe: consulem ob eam rem fieri, quod sibi tunc proposuerat, valde utile videbatur. Sed omnium una regula est, quam tibi cupio esse notissimam: aut illud, quod utile videtur, turpe ne sit; aut si turpe est, ne videatur esse utile. Quid igitur? possumusne aut illum Marium, virum

32 *Adhibuissent*] *Adhibere*, Ciceroni hic est adhibere in consilium, consulere. *Græv.*

33 *Jactabatur enim temporibus illis nummus*] Hic inserta vulgo legitur sententia, *Jactabatur enim temporibus illis nummus, ita ut nemo sciret, quid haberet*, quam in omnibus exemplaribus cum antiquis, tum novis, eo modo reperi. Jovem tamen lapidem dejeraverim non esse ab homine Romano prolatam. A coquo potius aliquo Sorboniano. Itaque totam ad jus civitatis suæ, lege Mucia Licinia relego. Mille talia passim obvia sunt in bonis scriptoribus. *Langius*. Hæc Langius non putat esse Ciceronis: cui assentior. Ea tamen retinui, neque ausus sum tollere, quia in omnibus libris antiquis reperiuntur: tantum jussi dissimilibus literis imprimi. *Lambinus*.

34 *Cum pœna atque judicio*] Pro *judicio* legendum puto *indicio*: idest indicta pœna adversus peccantes, & mercede proposita indicantibus. Indicium enim sæpe sumitur pro mercede, quæ indici datur. *Facc.*

35 *Descenderent*] Utitur hoc verbo, quia proceres ex collibus, ubi habitabant, descendebant in forum. Victorius Variar. lect. l. 5. c. 3. contendit legendum esse *escenderent*. Idem.

bonum judicare, aut hunc? Explica atque excute intelligentiam tuam, ut videas, quæ sit in ea species, forma, & notio viri boni. Cadit ergo in virum bonum mentiri emolumenti sui causa, criminari, præripere, fallere? Nihil profecto minus. Est ergo ulla res tanti, aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni & splendorem, & nomen amittas? Quid est, quod afferre tantum utilitas ista, quæ dicitur, possit, quantum auferre, si boni viri nomen eripuerit, fidem justitiamque detraxerit? Quid enim interest, utrum ex homine se quis conferat in belluam, an in hominis figura immanitatem gerat belluæ?

XXI. Quid? qui omnia recta & honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur, nonne idem faciunt, quod is, qui etiam socerum habere voluit eum, cujus ipse audacia potens esset? Utile ei videbatur plurimum posse alterius invidia. Id quam injustum in patriam, quam inutile, quam turpe esset, non videbat. Ipse autem socer in ore semper Græcos versus de Phœnissis habebat, quos dicam ut potero, incondite fortasse, sed tamen ut res possit intelligi.

Nam si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id unum, quod omnium sceleratissimum fuerat, exceperit.

Quid igitur minuta colligimus, hereditates, mercaturas, venditiones fraudulentas? Ecce tibi, qui rex populi Romani dominusque omnium gentium esse concupierit, idque perfecerit. Hanc cupiditatem si honestam quis esse dicit, amens est. Probat enim legum & libertatis interitum: earumque oppressionem tetram & detestabilem, gloriosam putat. Qui autem fatetur, honestum non esse in ea civitate, quæ libera fuit, quæque esse debeat, regnare, sed ei, qui id facere possit, esse utile: qua hunc objurgatione, aut quo potius convicio a tanto errore coner avellere? Potest enim, dii immortales! cuiquam esse utile fœdissimum & teterrimum parricidium patriæ: quamvis is, qui se eo obstrinxerit, ab oppressis civi-

bus 36

bus [36] Parens nominetur? Honeſtate igitur dirigenda utilitas eſt, & quidem ſic, ut hæc duo, verbo inter ſe diſcrepare, re tamen unum ſonare videantur.

Non habeo, ad vulgi opinionem, quæ major utilitas, quam regnandi, eſſe poſſit: nihil contra inutilius ei, qui id injuſte conſecutus ſit, invenio, cum ad veritatem cœpi revocare rationem. Poſſunt enim cuiquam eſſe utiles, angores, ſollicitudines, diurni & nocturni metus, vita inſidiarum periculorumque pleniſſima?

Multi iniqui atque infideles regno, pauci ſunt boni,

inquit Accius. At cui regno? quod a Tantalo & Pelope proditum jure obtinebatur. Nam quanto plures ei regi putas, qui exercitu populi Romani populum ipſum Romanum oppreſſiſſet, civitatemque non modo liberam, ſed etiam gentibus imperantem, ſervire ſibi coegiſſet? Hunc tu quas conſcientiæ labes in animo cenſes habuiſſe? quæ vulnera? [37] Cujus autem vita ipſi poteſt utilis eſſe, cum ejus vitæ ea conditio ſit, ut, qui illam eripuerit, in maxima & gratia futurus ſit, & gloria? Quod ſi hæc utilia non ſunt, quæ maxime videntur, quia plena ſunt dedecoris ac turpitudinis: ſatis perſuaſum eſſe debet, nihil eſſe utile, quod non honeſtum ſit.

XXII. Quanquam id quidem, cum ſæpe alias, tum Pyrrhi bello a C. Fabricio, conſule iterum, & a ſenatu noſtro judicatum eſt. Cum enim rex Pyrrhus populo Romano bellum ultro intuliſſet, cumque de imperio certamen eſſet cum rege generoſo ac potente; perfuga ab eo venit in caſtra Fabricii, eique eſt pollicitus, ſi præmium ſibi propoſuiſſet, ſe, ut clam veniſſet, ſic clam in Pyrrhi caſtra rediturum, & eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum: idque factum ejus a ſenatu laudatum eſt. Atqui ſi ſpeciem utilitatis, opinionemque quærimus, magnum illud bellum perfuga unus, & gravem adverſarium imperii ſuſtuliſſet: ſed magnum

36 *Parens nominetur*] Cæſare defuncto, poſita in foro columna eſt, addito titulo, *Parenti Patriæ*, ut ſcribit Suetonius in ejus vita c. 85. Sed & vivens *Pater Patriæ* vocitatus eſt, ut ibid. c. 76. *Idem*.

37 *Cujus autem &c.*] In edit. 1. *cujus autem vita ipſa poteſt utilitati eſſe?* Sed hæc explicatio quædam eſt. *Idem*.

gnum dedecus & flagitium, quicum laudis certamen fuisset, cum non virtute, sed scelere superatum.

[38] Utrum igitur utilius vel Fabricio, qui talis in hac urbe, qualis Aristides Athenis fuit, vel senatui nostro, qui nunquam utilitatem a dignitate sejunxit [39], armis cum hoste certare, an venenis? Si gloriæ causa imperium expetendum est, scelus absit, in quo non potest esse gloria. Sin ipsæ opes expetuntur quoquo modo, non poterunt utiles esse cum infamia. Non igitur utilis illa L. Philippi, Q. filii sententia: quas civitates L. Sylla, pecunia accepta, ex senatusconsulto liberavisset [40], ut hæ rursus vectigales essent: neque his pecuniam, quam pro libertate dederant, redderemus. Est ei senatus assensus. Turpe imperio. Piratarum enim melior fides, quam senatus. At aucta vectigalia: utile igitur. Quousque audebunt dicere quidquam utile, quod non honestum? Potest autem ulli imperio, quod gloria fultum esse debet, & benevolentia sociorum, utile esse odium & infamia? Ego etiam cum Catone meo sæpe dissensi. Nimis mihi præfracte [41] vide-

38 *Utrum igitur*] Al. *visum igitur*: in fine autem periodi, *quam venenis*. Idem.

39 *Vel senatui nostro, qui nunquam utilitatem a dignitate sejunxit*] Atqui statim dicit Cicero, senatum in approbanda L. Philippi sententia dignitatem ab utilitate sejunxisse. Sed in aliis etiam locis hoc nomine reprehendit senatum, ut superius in cap. 11. hujus libri: *Utilitatis specie in rep. sæpissime peccatur, ut in Corinthi disturbatione nostri*; nec enim aut Corinthus deleri, aut ab eversore Corinthi triumphari sine senatus decreto potuit. Nihil tamen Cicero his verbis, *nunquam utilitatem a dignitate sejunxit*, significat aliud, quam senatus hoc fuisse institutum, hanc rationem & disciplinam, a dignitate nunquam sejungere utilitatem; eamque rationem semper secutum esse, nisi cum interdum speciosis ac fucatis quibusdam disputationibus & argumentis se passus sit ab hac sententia dimoveri contra suum propositum. Nulla est repugnantia Ciceronis in his verbis: sed est loquendi genus omnibus linguis & scriptoribus commune, quo utuntur de eo quod plerumque & omni propemodum tempore fit, quasi nunquam non fieret. Ciceronem sane in hoc loco tantum flagitium in se admisisse, cujus nuperius insimulatus fuit, nemo credet, nisi qui, ut videatur sapere, cælum vituperat. *Grav.*

40 *Ex senatusconsulto liberavisset*] Cum civitates has ex senatusconsulto immunes ac liberas esse jussisset Sylla, cur dubitemus recte reprehendi Q. Philippum, qui contra datam a senatu, penes quem dandi negandive talia potestas erat, fidem, vectigales illas civitates esse censuerit, nec pecuniam, qua redemerant libertatem, reddiderit? quæ quia senatu decernente erat accepta, ita aut in ærarium relata, aut in rempublicam impensa. *Grævius*.

41 *Nimis mihi præfracte*] Vere damnat hic Cicero Catonis præfractum nimis vectigalia urgendi & a publicanis exigendi studium. Cum iis enim agendum tanquam cum colonis, quibus, si calamitas quædam fundum infestavit, & proventum perdidit, remittimus aliquid de pacta mercede, aut vectigali, quod annuum nobis pro usu soli pendunt: sic & publicanis, si animose nimis vectigalia publica conduxerunt, & inopinata mala intercesserunt, per quæ non possunt sol-

videbatur ærarium vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare, multa sociis: cum in hos benefici esse deberemus; cum illis sic agere, ut cum colonis nostris soleremus: eoque magis, quo illa ordinum conjunctio ad salutem reipublicæ pertinebat. Male etiam Curio, cum causam Transpadanorum [42] æquam esse dicebat: semper autem addebat, *Vincat utilitas*. Potius diceret, non esse æquam, quia non esset utilis reipublicæ [43], quam, cum utilem esse diceret, non esse æquam fateretur.

XXIII. Plenus est sextus liber de officiis Hecatonis talium quæstionum: Sitne boni viri, in maxima caritate annonæ, familiam non alere. In utramque partem disputat: sed tamen ad extremum utilitate putat officium dirigi magis, quam humanitate. Quærit, si in mari jactura facienda sit, equine pretiosi potius jacturam faciat, an servuli vilis. Hic alio res familiaris, alio ducit humanitas. Si tabulam de naufragio stultus arripuerit, extorquebitne eam sapiens, si potuerit? Negat, quia sit injurium. Quid? dominus navis, eripietne suum? Minime: non plus, quam si navigantem in alto ejicere de navi velit, quia sua sit. Quoad enim perventum sit eo, quo sumpta navis est, non domini est navis, sed navigantium.

Quid, si in una tabula sint duo naufragi, hique sapientes, sibine utervis rapiat, an alter cedat alteri? Cedat vero: sed ei, cujus magis intersit vel sua, vel reipublicæ causa, vivere.

solvere, quantum ad reip. solvendum se obstrinxerunt, æquitas postulat ut non nihil pecuniæ debitæ remittatur. Quod cum Cato nollet facere, ordinem equestrem a senatu disjunxit, & fenestram aperuit Cæsari & Pompejo rempublicam opprimendi, uti queritur verissime Cicero non hic modo, sed in epistolis ad Atticum in libro primo ep. 17. & 18. & in libro secundo epist. 1. *Fabritius*.

42 *Cum causam Transpadanorum*] Qui petebant jus civitatis, de quibus Sueton. Jul. c. 8. *Decedens ergo ante tempus, colonias Latinas de petenda civitate agitantes adiit*. Harum causam egisse videtur etiam Curio. Eorum etiam meminit Suetonius in capite sequente, ubi ait Lambranos & Transpadanos voluisse novas res moliri, nimirum ob civitatem, quam petebant, negatam. *Grævius*.

43 *Potius diceret non esse æquam, quia non esset utilis reip.*] Præcedentia & sequentia verba postulant, ut vel invitis libris scribatur: *potius diceret non esse utilem reipublicæ, quia non esset æqua, quam, cum utilem esse diceret, non esse æquam fateretur*. Sic Victorius, & Gruterus: cum in vulgatis (Manutii, & Lambini) pessime & ineptissime legeretur, *æquam esse diceret, non esse utilem fateretur*. Clamabat Curio *Vincat utilitas*, quamvis adversaretur æquum, jus & fas. Cicero vero docet Curioni potius dicendum fuisse, *Vincat æquum*, licet aliud suadere videatur utilitas: sed quia ei repugnat æquitas, ideo utilitas est repudianda. *Idem*.

re. Quid, si hæc paria in utroque? Nullum erit certamen, sed quasi sorte aut micando victus, alteri cedat alter. Quid si pater fana expilet, cuniculos agat ad ærarium? indicetne id magistratibus filius? Nefas id quidem est: quin etiam defendat patrem, si arguatur. Non igitur patria præstat omnibus officiis? Immo vero: sed ipsi patriæ conducit, pios cives habere in parentes. Quid, si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater? silebitne filius? Immo vero obsecrabit patrem, ne id faciat: si nihil proficiet, [44] accusabit, minabitur etiam: ad extremum si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet saluti patris.

Quærit etiam, si sapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis: cum id rescierit; soluturusne sit eos, si cui debeat, pro bonis. Diogenes ait: Antipater negat: cui potius assentior. Qui vinum fugiens [45] vendat sciens, debeatne dicere? Non necesse putat Diogenes: Antipater viri boni existimat. Hæc sunt quasi controversa jura [46] Stoicorum. In mancipio vendendo, dicendane vitia, non ea, quæ nisi dixeris, redhibeatur mancipium jure civili: sed hæc, mendacem esse, aleatorem, furacem, ebriosum. Alteri dicenda videntur, alteri non videntur. [47] Si quis aurum vendens, orichalcum se putet vendere, indicetne ei vir bonus aurum illud esse? an emat denario, quod sit mille denarium? Perspicuum jam est, & quid mihi videatur, & quæ sit inter eos philosophos, quos nominavi, controversia.

XXIV. Pacta & promissa semperne servanda sint, quæ nec vi, nec dolo malo (ut prætores solent) facta sint? Si quis medi-

44 *accusabit*] reprehendet, arguet, monebit. Est enim *accusa* interdum synonymum verbi *moneo*. Ita in ep. 1. lib. ad Famil. *Hortari, & orare, etiam liberius accusare & monere*. Facc.

45 *Vinum fugiens*] Quod durare & ætatem ferre non potest, & cujus vis exolescit brevi tempore. Alii *venenum*, sed male. *Grævius*.

46 *Controversa jura*] Sunt controversa jura Stoicorum, ut Turnebus scribit, causæ & consultationes, de quibus Stoici inter se dissentiunt: quæ translatio sumpta est a jurisconsultis, apud quos jura controversa & dubia vocantur, de quibus inter jurisconsultos est dissensio, ut cum aliud videtur Mucio, aliud Bruto, aliud Manilio. *Fabrit.*

47 *Siquis aurum &c.*] Exemplum hoc, & superiora de servo fugitivo, de tabula naufragii, de domo pestilenti memorat Lactantius lib. 5. c. 16. ex Carneade. qui ajebat, virum bonum & justum, si suam utilitatem deserat, incidere in stultitiam. *Hinc Carneades* (inquit) *intelligi volebat, & eum, qui sit justus ac bonus, stultum esse; & eum, qui sapiens, malum*. Facc.

medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem, pepigeritque, ne illo medicamento unquam postea uteretur, si eo medicamento sanus factus fuerit: & annis aliquot post inciderit in eundem morbum: nec ab eo, quicum pepigerat, impetret, ut item eo liceat uti, quid faciendum sit? Cum sit is inhumanus, qui non concedat uti, nec ei quidquam fiat injuriæ, vitæ & saluti consulendum est.

Quid? si quis sapiens rogatus sit ab eo, qui eum heredem faciat, cum ei testamento sestertium millies relinquatur, ut antequam hereditatem adeat, luce palam in foro saltet, idque se facturum promiserit, quod aliter eum heredem scripturus ille non esset: faciat, quod promiserit: necne? Promisisse nollem, & id arbitror fuisse gravitatis. Sed quoniam promisit, si saltare in foro turpe ducet, honestius mentietur, si ex hereditate nihil ceperit, quam si ceperit: nisi forte eam pecuniam in reipublicæ magnum aliquod tempus contulerit, ut vel saltare eum, cum patriæ consulturus sit, turpe non sit.

XXV. Ac ne illa quidem promissa servanda sunt, quæ non sunt iis ipsis utilia, quibus [48] illa promiseris. Sol Phaethonti filio (ut redeamus ad fabulas) facturum se esse dixit, quidquid optasset: optavit, ut in currum patris tolleretur: sublatus est: atque is antequam constitit, ictu fulminis deflagravit. Quanto melius fuerat, in hoc, promissum patris non esse servatum? Quid, quod Theseus exegit promissum a Neptuno? Cui cum tres optationes Neptunus dedisset, optavit interitum Hippolyti, filii sui, cum is patri suspectus esset de noverca: quo optato impetrato, Theseus in maximis fuit luctibus.

Quid? Agamemnon cum devovisset Dianæ, quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. Promissum potius non faciendum, quam tam tetrum facinus admittendum fuit. Ergo & promissa non facienda nonnunquam: neque semper deposita reddenda. Si gladium quis a-

48 *ille promiseris*] Rectius alii *quibus promiseris*. vox enim illa ferri nequit. *Idem*.

pud te ſana mente depoſuerit, repetat inſaniens: reddere, peccatum ſit; non reddere, officium. Quid? ſi is, qui apud te pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriæ, reddaſne depoſitum? Non, credo: facias enim contra rempublicam, quæ debet eſſe cariſſima. Sic multa, quæ honeſta natura videntur eſſe, temporibus fiunt non honeſta. Facere promiſſa, ſtare conventis, reddere depoſita, commutata utilitate fiunt non honeſta. Ac de iis quidem, quæ videntur eſſe utilitates contra juſtitiam ſimulatione prudentiæ, ſatis arbitror dictum.

[49] Sed quoniam a quatuor fontibus honeſtatis primo libro officia duximus, in eiſdem verſabimur, cum docebimus, ea, quæ videntur eſſe utilia, neque ſunt, quam ſint virtutis inimica. [50] Ac de prudentia quidem, quam vult imitari malitia; itemque de juſtitia, quæ ſemper eſt utilis, diſputatum eſt. Reliquæ ſunt duæ partes honeſtatis, quarum altera in animi excellentis magnitudine & præſtantia cernitur: altera [51] in conformatione & moderatione continentiæ & temperantiæ.

XXVI. Utile videbatur Ulyſſi, ut quidem poetæ tragici prodiderunt (nam apud Homerum, optimum auctorem, talis de Ulyſſe nulla ſuſpicio eſt) ſed inſimulant eum tragœdiæ, ſimulatione inſaniæ militiam ſubterfugere [52] voluiſſe. Non honeſtum conſilium. At utile (ut aliquis fortaſſe dixerit) regnare, & Ithacæ vivere otioſe cum parentibus, cum uxore, cum filio. Ullum tu decus in quotidianis periculis & laboribus cum hac tranquillitate conferendum putas? Ego vero iſtam contemnendam & abjiciendam: quoniam, quæ honeſta non ſit, ne utilem quidem eſſe arbitror. Quid enim auditurum putas fuiſſe Ulyſſem, ſi in illa ſimulatione perſeveraſſet? qui

cum

49 *Sed quoniam &c.*] Omnia hæc uſque ad finem capitis inſititia videntur. Niſi forte, primo membro ſervato, hinc incipiendum eſt caput proximum, atque ita legendum: *Sed quoniam a quatuor fontibus honeſtatis primo libro Officia duximus, reliquæ ſunt partes duæ, quarum altera in animi &c.* Idem.

50 *Ac de prudentia &c.*] In codice a Petro Delphino deſcripto caput proximum incipit ab hac periodo. Recte, ſi duæ ſuperiores tollantur. *Idem.*

51 *in conformatione & moderatione continentiæ & temperantiæ*] Quid eſt continentiæ & temperantiæ conformatio? quid moderatio? Ego legendum puto: *in decore, moderatione, continentia, temperantia.* Ita initio cap. 19. *Idem.*

52 *Voluiſſe*] Vacat vox hæc, inducta ab illis, qui putarunt, infinitum *ſubterfugere* pendere ab *inſimulant*. Sed hinc inconſequentia oritur nimis dura, minimeque neceſſaria. Qua enim lege conſtabit membrum primum, *Utile videbatur Ulyſſi?* Idem.

cum maximas res gesserit in bello, tamen hæc audiat ab Ajace:

Cuju' ipse princeps jurisjurandi fuit,
Quod omnes scitis, solus neglexit fidem.
Furere assimulavit; ne coiret, institit.
Quod ni Palamedis perspicax prudentia
Istius percepset malitiosam audaciam,
Fide sacratum jus perpetuo falleret.

Illi vero non modo cum hostibus, verum etiam cum fluctibus, id quod fecit, dimicare melius fuit, quam deserere consentientem Græciam ad bellum barbaris inferendum.

Sed dimittamus & fabulas, & externa: ad rem factam, nostramque veniamus. M. Atilius Regulus, cum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset, duce Xanthippo Lacedæmonio, imperatore autem patre Annibalis Hamilcare, juratus missus est ad senatum, ut, nisi redditi essent Pœnis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is cum Romam venisset, utilitatis speciem videbat; sed eam, ut res declarat, falsam judicavit: [53] quæ erat talis. Manere in patria, esse domi suæ cum uxore, cum liberis; quam calamitatem accepisset in bello, communem fortunæ bellicæ judicantem, tenere consularis dignitatis gradum: quis hæc neget esse utilia? quid censes? magnitudo animi & fortitudo negat.

XXVII. Num locupletiores quæris auctores [54]? Harum enim est virtutum proprium, nil extimescere, omnia humana despicere; nihil, quod homini accidere possit, intolerandum putare. Itaque quid fecit? In senatum venit: mandata exposuit: [55] sententiam ne diceret, recusavit: quamdiu jurejurando hostium teneretur, non esse se senatorem. Atque illud etiam (o stultum hominem, dixerit quispiam, & repugnantem utilitati suæ!) reddi captivos, negavit esse utile: illos

 enim

53 *quæ erat talis*] Vulgo hæc tria verba adduntur inepte. *Idem.*

54 *Num locupletiores quæris auctores?*] Scilicet, quam *magnitudo animi & fortitudo*. Hæc igitur conjuncta legi oportet. Quod idcirco lectorem admonitum esse volui, ne dubitandi ansam præbeat divisio Gruteriana.

55 *sententiam ne diceret &c.*] Noluit in Senatu sententiam dicere, quod adhuc captivus esset, ac proinde capite deminutus, & hostium servus. Idest noluit rogari ex formula, & sententiam dicere Senatoriam cum jure suffragii. Ital. *aver voce deliberativa.* *Facc.*

enim adolescentes esse, & bonos duces, se jam confectum senectute. Cujus cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt: ipse Carthaginem rediit: neque eum caritas patriæ retinuit, nec suorum. Neque vero tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem, & ad exquisita supplicia proficisci; sed jusjurandum conservandum putabat. Itaque tum, cum vigilando [56] necabatur, erat in meliore causa, quam si domi senex captivus, perjurus consularis remansisset. At stulte, qui non modo non censuerit captivos remittendos, verum etiam dissuaserit. Quomodo stulte? etiamne si reipublicæ conducebat? Potest autem, quod inutile reipublicæ sit, id cuiquam civi utile esse?

XXVIII. Pervertunt homines ea, quæ sunt fundamenta naturæ, cum utilitatem ab honestate sejungunt. Omnes enim expetimus utilitatem, ad eamque rapimur, nec facere aliter ullo modo possumus. Nam quis est, qui utilia fugiat? aut quis potius, qui ea non studiosissime persequatur? Sed quia nusquam possumus, nisi in laude, decore, honestate utilia reperire, propterea illa prima & summa habemus: utilitatis nomen non tam splendidum, quam necessarium ducimus.

Quid est igitur, dixerit quis, in jurejurando? num iratum timemus Jovem? At hoc quidem commune est omnium philosophorum, non eorum modo, qui deum nihil habere ipsum negotii dicunt, & nihil exhibere alteri: sed eorum etiam, qui deum semper agere aliquid, & moliri volunt, nunquam nec irasci deum, nec nocere. Quid autem iratus Jupiter plus nocere potuisset, quam nocuit sibi ipse Regulus? Nulla igitur vis fuit religionis, quæ tantam utilitatem præverteret. An ne turpiter faceret? Primum, minima de malis. Num igitur tantum mali turpitudo ista habebat, quantum ille cruciatus? Deinde illud etiam apud Accium,

Fregisti fidem [57]. *Neque dedi, neque do infideli cuiquam*: quanquam ab impio rege dicitur, luculente tamen dicitur.

Addunt etiam, quemadmodum nos dicamus, videri quædam utilia,

56 *Vigilando*] Recisis utrimque palpebris, ut oculis inconniventibus solem intueri cogeretur. Vide Gellium. VI. 4.

57 *Fregisti fidem*] De hoc Accii loco disputat luculente Grotius II. de Jure Belli & Pacis, cap. 13. §. 16. & III. 19. §. 13.

utilia, quæ non ſint; ſic ſe dicere, videri quædam honeſta, quæ non ſint: ut hoc ipſum videtur honeſtum, conſervandi jurisjurandi cauſa ad cruciatum revertiſſe; ſed fit non honeſtum, quia, quod per vim hoſtium eſſet actum, ratum eſſe non debuit. Addunt etiam, [58] quidquid valde utile ſit, id fieri honeſtum, etiam ſi antea non videretur. Hæc fere contra Regulum. Sed prima videamus.

XXIX. Non fuit Jupiter metuendus, ne iratus noceret: qui neque iraſci ſolet, neque nocere. Hæc quidem ratio non magis contra Regulum, quam contra omne jusjurandum valet. Sed in jurejurando, non qui metus, ſed quæ vis ſit, debet intelligi. Eſt enim jusjurandum, affirmatio religioſa. Quod autem affirmate, quaſi deo teſte, promiſeris: id tenendum eſt. Jam enim non ad iram deorum, quæ nulla eſt; ſed ad juſtitiam, & ad fidem pertinet. Nam præclare Ennius:

O fides alma, apta pinnis [59], *& jusjurandum Jovis* [60]*!*

Qui igitur jusjurandum violat, is fidem violat, quam in Capitolio vicinam Jovis Optimi Maximi (ut in Catonis oratione eſt) majores noſtri eſſe voluerunt.

At enim ne iratus quidem Jupiter plus Regulo nocuiſſet, quam ſibi nocuit ipſe Regulus. Certe, ſi nihil malum eſſet, niſi dolere. Id autem non modo non ſummum malum, ſed ne malum quidem eſſe, maxima auctoritate philoſophi affirmant: quorum quidem teſtem non mediocrem, ſed haud ſcio an graviſſimum, Regulum, nolite, quæſo, vituperare. Quem enim locupletiorem quærimus, quam [61] principem populi Romani,

58 *quicquid valde utile &c.*] Hac ratione qui bella gerunt ultro ſuſcepta pro imperio, ſi qui forte ſunt, & provincias prædantur, ſe tamen a prædonibus diſtingui putant, quod præda magnitudine ipſa fiat honeſta. *Facc.*

59 *Apta pinnis*] Plerisque ſimulacris deorum, ut Victoriæ, ut Famæ, affingebant alas: ut deos ubique præſto eſſe indicarent. *Apta* autem *pinnis* eſt πτερόεσσα. Apulejus Apologia: *Si verba, ita ut poetæ ajunt, pinnis apta vulgo volarent.* Expreſſit autem illud Homericum ἔπεα πτερόεντα. *Muret.* Fides in nummis conſpicitur mulier ſedens, avem manu tenens, ſive is ſit turtur, ſive cornix, ſive alia. Sed nunquam conſpicitur alata. Horatius canit Fidem fuiſſe velatam albo panno, ideoque & *cana* dicitur Virgilio. *Grævius.*

60 *Jusjurandum Jovis*] Jovi tribuitur κατ' ἐξοχὴν, quia Jupiter credebatur vindex eſſe jurisjurandi. Sil. Ital. l. 9. *Juratumque Jovi fœdus.* Gronov. Hinc & Ζεὺς ὅρκιος, & Ζεὺς πίστιος Græcis. Jupiter juris jurandi vindex, & Jupiter Fidius. *Græv.*

61 *principem populi*] Erat enim Conſularis, ideoque ex populi principibus; tunc vero, cum captus eſt, etiam Conſul. *Facc.*

mani, qui retinendi officii causa cruciatum subierit voluntarium? Nam quod ajunt, minima de malis, id est, ut turpiter potius, quam calamitose: an est ullum majus malum turpitudine? quæ si in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa depravatio & fœditas turpificati animi debet videri?

Itaque, nervosius [62] qui ista differunt, solum audent malum dicere id, quod turpe sit: qui autem remissius, hi tamen non dubitant summum malum dicere. Nam illud quidem,

Neque dedi, neque do fidem infideli cuiquam:

idcirco recte a poeta; quia, cum tractaretur Atreus, personæ serviendum fuit. Sed si hoc sibi sumunt, nullam esse fidem, quæ infideli data sit: videant, ne quæratur latebra perjurio.

Est autem jus etiam bellicum, fidesque jurisjurandi sæpe cum hoste servanda. Quod enim ita juratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id servandum est. Quod aliter; id si non feceris, nullum est perjurium. Ut, si prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, [63] ne si juratus quidem id non feceris. Nam pirata non est perduellium numero [64] definitus: sed communis hostis omnium. Cum hoc nec fides debet, nec jusjurandum esse commune. Non enim falsum jurare, perjurare est: sed, quod ex animi tui sententia juraris, sicut verbis concipitur [65] more nostro, id non facere, perjurium est. Scite enim Euripides:

Juravi lingua, mentem injuratam gero.

Regulus vero non debuit conditiones pactionesque bellicas & hostiles perturbare perjurio. Cum justo enim & legitimo hoste

62 *Nervosius*] Stoici. *Remissius*, Peripatetici. *A. Manutius*.

63 *ne si juratus quidem*] Ita Cicero ex regulis humanæ societatis. Attamen si tu, Christiane, prædoni juraveris, adverte, prædonem falli posse; Deum, quem testem adhibuisti, falli non posse. *Facc.*

64 *Perduellium numero*] Vulgati omnes, *ex perduellium numero*: sed Grævius, auctoritate MSS. & secundum excerpta Pithœi, omittit *ex*, ut ad τὸ *definitus* accommodetur oratio.

65 *more nostro*] Idest adhibitis verbis ex formula, more Romanorum, qui dicebant *conceptis verbis jurare*, vel *conjurare*, idest simul jurare, propter præjurationes eorum, qui verba præibant. *Facc.*

ſte [66] res gerebatur ; adverſus quem & totum jus fetiale , & multa ſunt jura communia . Quod ni ita eſſet , nunquam claros viros ſenatus vinctos hoſtibus dediđiſſet .

XXX. At vero T. Veturius & Sp. Poſtumius , cum iterum conſules eſſent , quia , cum male pugnatum apud Caudium eſſet , legionibus noſtris ſub jugum miſſis , pacem cum Samnitibus fecerant , dediti ſunt his : injuſſu enim populi ſenatuſque fecerant [67] . Eodemque tempore Tib. Numicius , Q. Mælius , qui tum tribuni plebis erant , quod eorum auctoritate pax erat facta , dediti ſunt , ut pax Samnitium repudiaretur . Atque hujus deditionis ipſe Poſtumius , qui dedebatur , ſuaſor & auctor fuit . Quod idem multis annis poſt C. Mancinus : qui , ut Numantinis , quibuſcum ſine ſenatus auctoritate fœdus fecerat , dederetur , rogationem ſuaſit eam , quam L. Furius , & Sex. Atilius ex ſenatus conſulto ferebant : qua accepta , eſt hoſtibus deditus . Honeſtius hic , quam Q. Pompejus , quo , cum in eadem cauſa eſſet , deprecante , accepta lex non eſt . Hic ea , quæ videbatur utilitas , plus valuit , quam honeſtas : apud ſuperiores , utilitatis ſpecies falſa , ab honeſtatis auctoritate ſuperata eſt .

At non debuit ratum eſſe , quod erat actum per vim [68] . Quaſi vero forti viro vis poſſit adhiberi . Cur igitur ad ſenatum proficiſcebatur , cum præſertim de captivis diſſuaſurus eſſet ? Quod maximum in eo eſt , id reprehenditis . Non enim ſuo judicio ſtetit , ſed ſuſcepit cauſam , ut eſſet judicium ſenatus : cui niſi ipſe auctor fuiſſet , captivi profecto Pœnis redditi eſſent . Ita incolumis in patria Regulus reſtitiſſet . Quod quia patriæ non utile putavit , idcirco ſibi honeſtum & ſentire illa , & pati credidit . Nam quod ajunt , quod valde utile

66 *Cum juſto enim & legitimo hoſte*] Vide Grotium III. de Jure Belli & Pacis cap. 3. §. 1.

67 *Injuſſu enim populi , ſenatuſque fecerant*] Hinc habebatur magis a ſenatu pro ſponſione , quam pro pactione , aut fœdere. Ideoque ſponſores non locupletes dediderunt hoſtibus. Quod autem ſit diſcrimen inter ſponſionem , pactionem , & fœdus docet Grotius II. de Jure Belli & Pacis cap. 15. *Grævius*.

68 *At non debuit ratum eſſe , quod erat actum per vim*] Sic ſane ſentiebant & philoſophi & JCti. Negat hoc Grotius , & contendit vi aut metu extorta promiſſa ad præſtandum promiſſum obligare , *II.* de Jure Belli & Pacis cap. 12. §. 7. ſed refellitur a Puſendorfio III. de Jure Naturæ & Gentium cap. 6. §. 12. quem vide & libro IV. cap. 2. §. 8. *Idem*.

tile sit, id fieri honestum: immo vero esse, non fieri. Est enim nihil utile, quod idem non honestum: nec quia utile, honestum est; sed quia honestum, utile.

XXXI. Quare ex multis mirabilibus exemplis, haud facile quis dixerit hoc exemplo aut laudabilius, aut præstantius. Sed ex tota hac laude Reguli, unum illud est admiratione dignum, quod captivos retinendos censuerit. Nam quod rediit, nobis nunc mirabile videtur: illis quidem temporibus aliter facere non potuit. Itaque ista laus non est hominis, sed temporum. Nullum enim vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in XII tabulis, indicant sacratæ [69], indicant fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides: indicant notiones animadversionesque censorum; qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando, judicabant.

L. Manlio, A. filio, cum dictator fuisset, M. Pomponius, tribunus plebis, diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset: criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset, & ruri habitare jussisset. Quod cum audivisset adolescens filius, negotium exhiberi patri: accurrisse Romam, & cum prima luce Pomponii domum venisse dicitur. Cui cum esset nuntiatum, quod illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur: surrexit e lectulo, remotisque arbitris, ad se adolescentem jussit venire. At ille, ut ingressus est, confestim gladium distrinxit, juravitque, se illum statim interfecturum, nisi jusjurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum. Juravit, hoc coactus terrore Pomponius. Rem ad populum detulit: docuit, cur sibi causa desistere necesse esset: Manlium missum fecit. Tantum temporibus illis jusjurandum valebat. Atque hic T. Manlius is est, qui ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, [70] torque detracto, cognomen invenit. Cujus tertio consulatu Latini ad Veserim fusi, & fugati. Magnus vir in primis,

69 *Indicant sacratæ*] Leges in monte Sacro latæ inter patricios, & plebejos tumultuantes.

70 *torque detracto*] Al. *torque detracta*. Nam & Gellius femineo genere effert in lib. 9. cap. 13. ubi factum hoc narrat. *Facc.*

mis, & qui perindulgens in patrem, idem acerbe ſeverus in filium.

XXXII. Sed, ut laudandus Regulus in conſervando jurejurando, ſic decem illi [71], quos poſt Cannenſem pugnam juratos ad ſenatum miſit Annibal, ſe in caſtra redituros ea, quorum potiti erant Pœni, niſi de redimendis captivis impetraviſſent: ſi non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo. Nam Polybius, bonus auctor in primis, ſcribit, ex decem nobiliſſimis, qui tum erant miſſi, novem revertiſſe, a ſenatu re non impetrata: unum ex decem, qui, paulo poſt quam egreſſus erat e caſtris, rediſſet, quaſi aliquid eſſet oblitus, Romæ remanſiſſe. Reditu enim in caſtra, liberatum ſe eſſe jurejurando interpretabatur: non recte. Fraus enim adſtringit, non diſſolvit perjurium. Fuit igitur ſtulta calliditas, perverſe imitata prudentiam. Itaque decrevit ſenatus, ut ille veterator & callidus, vinctus ad Annibalem duceretur. Sed illud maximum: octo hominum millia tenebat Annibal, non quos in acie cepiſſet, aut qui periculo mortis diffugiſſent, ſed qui relicti in caſtris fuiſſent a Paulo & Varrone conſulibus. Eos ſenatus non cenſuit redimendos, cum id parva pecunia fieri poſſet [72]: ut eſſet inſitum militibus noſtris aut vincere, aut emori. Qua quidem re audita, fractum animum Annibalis ſcripſit idem, quod ſenatus populuſque Romanus rebus afflictis tam excelſo animo fuiſſet. Sic honeſtatis comparatione, ea, quæ videntur utilia, vincuntur. Acilius autem, qui Græce ſcripſit hiſtoriam, plures ait fuiſſe, qui in caſtra revertiſſent, eadem fraude, ut jurejurando liberarentur, eoſque a cenſoribus, omnibus ignominiis notatos [73].

71 *Decem illi*] Vide Livium lib. XXVII. 58. & ſequentia, in primis c. 61. & Gellius l. 7. c. 18. qui paulo aliter rem narrat. *Idem.*

72 *Cum id parva pecunia fieri poſſet*] Poterant autem redimi tribus minis, vel H. S. CIↃ. CC. ut ſcribit Polyb. lib. VI. in Fragmentis. *Fabritius.* Cicero Polybium ſecutus ſervit cauſſæ, quam tractat: ceterum Livius ſcribit, l. 22. c. 61. pecuniæ quoque ſummam moviſſe Senatores, ne captivos redimerent. *Facc.*

73 *Acilius autem, qui Græce ſcripſit hiſtoriam ..... omnibus ignominiis notatos.*] Hæc ſententia mihi (fateor) videtur locum non ſuum occupaſſe, & reponi debuiſſe ante verba, *Sed illud maximum, octo hominum millia tenebat Annibal .... quæ videntur utilis, vincuntur.* Ratio in promptu eſt: hæc ſententia plane eſt pars ejus hiſtoriæ, quam in initio capitis Cicero memorarat de iis decem captivis, quos juratos poſt pugnam Cannenſem ad ſenatum miſit Annibal. Quæ vero in proxime præcedente ſententia de octo

Sit jam hujus loci finis. Perſpicuum eſt enim, quæ timido animo, humili, demiſſo, fractoque fiant, [74] (quale fuiſſet Reguli factum, ſi aut de captivis, quod ipſi opus eſſe videretur, non quod reipublicæ, cenſuiſſet, aut domi remanere voluiſſet) non eſſe utilia, quia ſint flagitioſa, fœda, turpia.

XXXIII. Reſtat quarta pars, quæ decore, moderatione, modeſtia, continentia, temperantia continetur. Poteſt igitur quidquam eſſe utile, quod ſit huic talium virtutum choro contrarium? Atqui ab Ariſtippo Cyrenaici, atque Annicerii philoſophi nominati, omne bonum in voluptate poſuerunt: virtutemque cenſuerunt ob eam rem eſſe laudandam, quod efficiens eſſet voluptatis. Quibus obſoletis floret Epicurus, ejuſdem fere [75] adjutor auctorque ſententiæ. Cum his viris equiſque [76], ut dicitur, ſi honeſtatem tueri ac retinere ſententia eſt, decertandum eſt. [77] Nam ſi non modo utilitas, ſed vita omnis beata, corporis firma conſtitutione, ejuſque conſtitutionis ſpe explorata, ut a Metrodoro ſcriptum eſt, continetur: certe hæc utilitas, & quidem ſumma (ſic enim cenſet) cum honeſtate pugnabit. Nam [78] ubi primum prudentiæ locus dabitur? an, ut conquirat undique ſuavitates? Quam miſer virtutis famulatus, ſervientis voluptati! Quod autem munus prudentiæ? an legere intelligenter voluptates? Fac nihil iſto eſſe jucundius: quid cogitari poteſt turpius? Jam, qui dolorem ſummum malum dicat, apud eum quem habet

cto millibus hominum captis & a ſenatu non redemptis noſter narrat, ex alia prorſus petuntur hiſtoria, & in medium prioris hiſtoriæ inconcinne introducta videntur. *Pearcius*.

74 *quale fuiſſet &c.*] In hac rei totius concluſione poſt factum illud, quod maximum dixit, non erat, cur ad Regulum regrederetur. Itaque verba hæc parentheſi clauſa, irrepſiſſe videntur ex margine, in quo Grammaticus aliquis, ut ſolent, ſcriptitaverat. *Facc.*

75 *adjutor auctorque*] Non ſemper *auctor* a Latinis dicitur qui invenit, ſed etiam qui auctoritate favet & confirmat. Ita ſe Cicero dicit Pompejani facti *prædicatorem & auctorem* in orat. pro Balbo c. 2. *Idem*.

76 *Cum his viris equiſque*] Vir, induſtriæ; equus, virium & celeritatis ſymbolum. Ad Q. fratrem lib. III. *Curſu corrigam tarditatem tuam cum equis, tum viris*. Philipp. VIII. *Armis, equis, viris D. Bruto ſubveniemus*. Utitur & ἐκλειπτικῶς epiſtola quadam ad Varronem: *Nunc ubi confecta omnia, dubitandum non eſt, quin æquis viris*. Langius.

77 *Nam ſi non modo &c.*] Tota periodus hæc jure mihi ſuſpecta eſt, & ex iis, quæ ſunt in libro ſecundo de Fin. conflata. Si eam tollas, omnia recte cohærent. *Facc.*

78 *ubi primum prudentiæ*] Per hæc verba finem prudentiæ ſignificat. Niſi forte loco *prudentiæ* Cicero ſcripſit *illi*, ideſt honeſtati & virtuti; interpres autem ſupra vocem *illi* poſuit *prudentiæ*, ut fieri videmus in multis MSS. unde librarii error. *Idem*.

habet locum fortitudo, quæ est dolorum laborumque contemptio? Quamvis enim multis in locis dicat Epicurus (sicut hic dicit) satis fortiter de dolore: tamen non id spectandum est, quid dicat, sed quid consentaneum sit ei dicere, qui bona, voluptate terminaverit; mala, dolore. Ut, si illum audiam de continentia & temperantia; dicit ille quidem multa multis locis: sed aqua hæret, ut ajunt. Nam qui potest temperantiam laudare is, qui ponat summum bonum in voluptate? Est enim temperantia libidinum inimica: libidines autem, consectatrices voluptatis.

Atque in his tamen tribus generibus, quoquo modo possunt, non incallide tergiversantur. Prudentiam introducunt, scientiam suppeditantem voluptates, depellentem dolores. Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, cum tradunt rationem negligendæ mortis, perpetiendique doloris. Etiam temperantiam inducunt, non facillime illi quidem, sed tamen quoquo modo possunt: dicunt enim, voluptatis magnitudinem doloris detractione finiri. Justitia vacillat, vel jacet potius, omnesque eæ virtutes, quæ in communitate cernuntur, & in societate generis humani. Neque enim bonitas, nec liberalitas, nec comitas esse potest, non plus quam amicitia, si hæc non per se expetantur, sed ad voluptatem utilitatemve referantur.


XXXIV. Conferamus igitur in pauca. [79] Nam ut utilitatem nullam esse docuimus, quæ honestati esset contraria: sic omnem voluptatem dicimus honestati esse contrariam. Quo magis reprehendendos Calliphonem, & Dinomachum judico, qui se direm pturos controversiam putaverunt, si cum honestate voluptatem, tanquam cum homine pecudem, copulavissent. Non recipit istam conjunctionem honestas, adspernatur, repellit. Nec vero finis bonorum & malorum, qui simplex esse debet, ex dissimilibus rebus misceri & temperari potest. Sed de hoc (magna enim res est) alio loco pluribus: nunc

79 *ut utilitatem nullam &c.*] Vide, quid, & quantum intersit inter duas has enuntiationes: Nulla est utilitas, quæ contraria sit honestati: Omnis voluptas contraria est honestati. Nomine *voluptatis* Epicurus intelligebat titillationem sensibus adhibitam, & quidem delicatam & obscœnam, ut est in primo de N. D. c. 40. *Idem*.

ad propofitum . Quemadmodum igitur , fi quando ea quæ videretur utilitas , honeftati repugnat , dijudicanda res fit , fatis eft fupra difputatum . Sin autem fpeciem utilitatis etiam voluptas habere dicetur , nulla poteft effe ei cum honeftate conjunctio . Nam , ut tribuamus aliquid voluptati , [80] condimenti fortaffe nonnihil , utilitatis certe nihil habebit .

Habes a patre munus , Marce fili , mea quidem fententia magnum : fed perinde erit , ut acceperis . Quanquam tibi hi tres libri , inter Cratippi commentarios , tanquam hofpites , erunt recipiendi . Sed , ut , fi ipfe veniffem Athenas , (quod quidem effet factum , nifi me e medio curfu clara voce patria revocaffet) aliquando me quoque audires : fic , quoniam his voluminibus ad te profecta vox mea eft, tribues his temporis quantum poteris : poteris autem , quantum voles . Cum vero intellexero , te hoc fcientiæ genere gaudere , tum & præfens tecum propediem , (ut fpero) & , dum aberis , abfens loquar . Vale igitur , mi Cicero , tibique perfuade , effe te quidem mihi cariffimum : fed multo fore cariorem , fi talibus monumentis præceptifque lætabere .

80 *condimenti*] Honeftam hominis vitam efficit voluptas , non meliorem , nec utiliorem , fed paullo fortaffe jucundiorem ; *quatenus eft imitatrix boni* , ut dicitur in primo de Leg. cap. 17. Itaque virtus , ut ait Seneca de B. V. c. 9. *non quia delectat , placet ; fed quia placet , delectat . Item.*



CATO

CATO MAJOR,

SEU

DE SENECTUTE.

DIALOGUS.

Ad Titum Pomponium Atticum.

I. O *TITE, si quid ego adjuro* [1], *curamve levasso,*
Quæ nunc te coquit, & versat in pectore fixa,
Ecquid erit pretii?

Licet enim versibus iisdem mihi affari te, Attice quibus affatur Flamininum [2],

Ille vir [3], *haud magna cum re, sed plenus fidei.*

Quanquam certo scio, non, ut Flamininum,

Sollicitari te, Tite, sic noctesque diesque.

Novi enim moderationem animi tui, & æquitatem: teque non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem & prudentiam intelligo: & tamen suspicor, iisdem rebus te, quibus me ipsum interdum gravius commoveri: quarum consolatio & major est, & in aliud tempus differenda. Nunc autem mihi visum est de senectute aliquid ad te scribere. Hoc

1 *Adjuro*] Sic nunc edendum curavi. Nam olim, *adjuero*, editum fuit: quod in plerisque libris manuscriptis reperitur: neque multum intereft utro modo legatur, *adjuero*, an *adjuro*. Sic enim utrumque usurpatur a Latinis. Dictum autem *adjuro* pro *adjuvero*. Jam *levasso*, pro *levaro*, antiquum. Cujus generis multa sunt apud Plautum. *Lambinus.*

2 *Flamininum*] *Flamininus*, quod hic recte habent manuscripti libri, Quinctiorum cognomen est, qui patricii erant. Flaminii familiæ nomen, sed plebejæ & sine cognomine. *Langius.* Significatur T. Quinctius Flamininus, qui Philippum bello superavit: qui aliquot annis post ad Prusiam regem legatus missus, ab eo impetravit, ut Annibalem, quem ille penes se habebat, ut hospitem, aut supplicem, sibi proderet. Non venit tamen Annibal in Flaminini potestatem, sed cognito, se a Prusia esse proditum, & Flaminino condonatum, veneno sibi mortem conscivit. *Lambinus.*

3 *Ille vir*] Ennius.

Hoc enim onere, quod mihi tecum commune eſt, aut jam urgentis, aut certe adventantis ſenectutis, & te, & me ipſum levari volo. Etſi te quidem id modice ac ſapienter (ſicut omnia) & ferre, & laturum eſſe certo ſcio. Sed mihi, cum de ſenectute aliquid vellem ſcribere, tu occurrebas dignus eo munere, quo uterque noſtrum communiter uteretur. Mihi quidem ita jucunda hujus libri confectio fuit, ut non modo omnes abſterſerit ſenectutis moleſtias, ſed effecerit mollem etiam & jucundam ſenectutem.

Nunquam igitur ſatis laudari digne poterit philoſophia, cui qui pareat, omne tempus ætatis ſine moleſtia poſſit degere. Sed de cæteris & diximus multa, & ſæpe dicemus. Hunc librum de ſenectute ad te miſimus.

Omnem autem ſermonem tribuimus, non Tithono, ut Ariſto Chius [4], ne parum eſſet auctoritatis in fabula: ſed M. Catoni ſeni, quo majorem auctoritatem haberet oratio. Apud quem Lælium & Scipionem facimus admirantes, quod is tam facile ſenectutem ferat, iiſque eum reſpondentem. Qui ſi eruditius videbitur diſputare, quam conſuevit ipſe in ſuis libris, attribuito Græcis literis, quarum conſtat eum perſtudioſum fuiſſe in ſenectute. Sed quid opus eſt plura? jam enim ipſius Catonis ſermo explicabit noſtram omnem de ſenectute ſententiam.

II. SCIPIO. Sæpenumero admirari ſoleo cum hoc C. Lælio, tum cæterarum rerum [5] tuam excellentem, M. Cato, perfectamque ſapientiam, tum vel maxime, quod nunquam ſenectutem tibi gravem eſſe ſenſerim: quæ pleriſque ſenibus ſic odioſa eſt, ut onus ſe Ætna gravius dicant ſuſtinere.

CATO. Rem haud ſane difficilem, Scipio & Læli, admirari videmini. Quibus enim nihil opis eſt in ipſis ad bene beate-

4 *Ariſto Chius*] Fuit is Stoicus: Ariſto Ceus vero Peripateticus philoſophus. Illum Panætius & Soſicrates apud Diogenem Laertium nihil præter epiſtolas ſcripſiſſe ajunt, cætera eſſe Ariſtonis Cei. Quod tamen negat Cicero, qui non ſolum ei tribuit hic librum de ſenectute, ſed & multa alia lib. v. de Finibus cap. 5. *Græv.*

5 *Cæterarum rerum ſapientiam*] Eſt *cæterarum rerum* locutio imperfecta, quæ ſignificat, quod ad cæteras res attinet. Ut in Bruto cap. 6. *Tum ille cæterarum rerum, inquit, iſtuc & doleo & dolendum puto*. Sed hæc dudum obſervarunt viri docti, in primis Hotomanus IV. Obſervat. 4. ut mirer in tanta luce hic impegiſſe nonnullos. *Idem*.

beateque vivendum, iis omnis gravis est ætas: qui autem omnia bona a se ipsis petunt, iis nihil potest malum videri, quod naturæ necessitas afferat. Quo in genere in primis est senectus: quam ut adipiscantur omnes optant, eandem accusant adepti: tanta est [6] inconstantia stultitiæ, atque perversitas.

Obrepere ajunt eam citius quam putassent. Primum, quis coegit eos falsum putare? qui enim citius adolescentiæ senectus, quam pueritiæ adolescentia obrepit? Deinde, qui minus gravis esset iis senectus, si octingentesimum annum agerent, quam octogesimum? præterita enim ætas, quamvis longa, cum effluxisset, nulla consolatione permulcere posset stultam senectutem.

Quocirca si sapientiam meam admirari soletis, (quæ utinam digna esset opinione vestra, nostroque cognomine [7]!) in hoc sumus sapientes, quod naturam optimam ducem, tanquam deum, sequimur, eique paremus: a qua non verisimile est, cum cæteræ partes ætatis bene descriptæ sint, [8] extremum actum, tanquam ab inerti poeta, esse neglectum. Sed tamen necesse fuit esse aliquid extremum, &, tanquam in arborum baccis terræque frugibus, maturitate tempestiva, quasi vietum & caducum: quod ferendum est molliter sapienti. Quid enim est aliud, gigantum modo bellare cum diis, nisi naturæ repugnare?

LÆLI. Atqui, Cato, gratissimum nobis, ut etiam pro Scipione pollicear, feceris, si, quoniam speramus (volumus quidem certe) senes fieri, ante multo a te didicerimus, quibus facillime rationibus ingravescentem ætatem ferre possimus.

CATO. Faciam vero, Læli; præsertim si utrique vestrum gratum, ut dicis, futurum est.

SCIPIO.

6 *Tanta est*] Nihil certius lectione, quam ex suis codicibus expressit Langius: *tanta inest stultitiæ inconstantia atque perversitas*. Hoc est: tam inconstantes sunt homines stulti atque perversi, quibus nihil opis est in se ipsis ad bene beateque vivendum. Dogma enim Stoicorum, solum sapientem, qui sciat res omnes æstimare suo pretio, esse constantem. *Græv.* Al. *stultitiæ*: quam vocem positam putant pro *stultis*. Facc.

7 *Nostroque cognomine*] Quod nobis imposuerunt homines, cum nos sapientes vocant. *Græv.* Cato dicitur a voce *Catus*, quæ cautum & sapientem significat. *Facc.*

8 *extremum actum*] Est enim hominis vita in partes ætatis, tamquam in actus scenicæ poeseos, divisa. *Idem.*

SCIPIO. Volumus ſane, niſi moleſtum eſt, Cato, tanquam aliquam viam longam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum ſit, iſtuc, quo perveniſti, videre, quale ſit.

III. CATO. Faciam, ut potero, Læli. Sæpe enim interſui querelis meorum æqualium, (pares autem cum paribus, veteri proverbio, facillime congregantur) quæ C. Salinator [9], quæ Sp. Albinus, homines conſulares, noſtri fere æquales, deplorare ſolebant: tum quod voluptatibus carerent, ſine quibus vitam nullam putarent: tum quod ſpernerentur ab iis, a quibus eſſent coli ſoliti. Qui mihi non id videbantur accuſare, quod eſſet accuſandum. Nam ſi id culpa ſenectutis accideret, eadem mihi uſu evenirent, reliquiſque omnibus, majoribus natu; quorum ego multorum cognovi ſenectutem ſine querela, qui ſe & libidinum vinculis laxatos eſſe non moleſte ferrent, nec a ſuis deſpicerentur. Sed omnium iſtiuſmodi querelarum in moribus eſt culpa, non in ætate. Moderati enim, & nec difficiles, nec inhumani ſenes, tolerabilem agunt ſenectutem. Importunitas autem & inhumanitas omni ætati moleſta eſt.

LÆLI. Eſt, ut dicis, Cato. Sed fortaſſe dixerit quiſpiam, tibi propter opes, & copias, & dignitatem tuam, tolerabiliorem ſenectutem videri: id autem non poſſe multis contingere. CATO. Eſt iſtud quidem, Læli, aliquid; ſed nequaquam in iſto ſunt omnia: ut Themiſtocles fertur Seriphio cuidam in jurgio reſpondiſſe, cum ille dixiſſet, non eum ſua, ſed patriæ gloria ſplendorem aſſecutum: Nec hercule, inquit, ſi ego Seriphius eſſem, nobilis [10]: nec tu ſi Athenienſis eſſes, clarus unquam fuiſſes. Quod eodem modo de ſenectute poteſt dici. Neque enim in ſumma inopia levis eſſe ſenectus poteſt, ne ſapienti quidem: nec inſipienti etiam in ſumma copia non gravis.

9 *Quæ C. Salinator*] *Quæ*, hic non tam ad nomen, *querelas*, quam ad ſententiam reſpicit: quod Atticis eſt familiarius. Sunt autem quæ ſequuntur pæne ad verbum, ex primo de Rep. Platonis. *Langius*.

10 *Nec hercule, ſi ego Seriphius eſſem, nobilis*] Seriphos una Sporadum perexigua, gente admodum ignobili, etiam proverbio tenus: de quo Ariſtoph. in Acarn. & alludit Cicero hic, & de Nat. Deorum I. Voluit itaque Themiſtocles non hominis modo ignobilitatem, ſed totius gentis perſtringere: quaſi & ingenio & animo tam humiles ſint, ut ne evadere quidem ex illis quis poſſit in virum clarum. *Langius*. Platonis locus in 1. Pol. unde Ciceronem hæc ſumpſiſſe manifeſtum eſt. *Urſinus*.

gravis. Aptiſſima omnino ſunt, Scipio & Læli, arma ſenectutis, artes, exercitationeſque virtutum, quæ in omni ætate cultæ, cum diu multumque vixeris, mirificos efferunt fructus, non ſolum quia nunquam deſerunt, ne in extremo quidem tempore ætatis, (quanquam id maximum eſt) verum etiam quia conſcientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio, jucundiſſima eſt.

IV. Ego Q. Maximum [11], eum, qui Tarentum recepit, adoleſcens ita dilexi ſenem, ut æqualem. Erat enim in illo viro comitate condita gravitas: nec ſenectus mores mutaverat. Quanquam eum colere cœpi non admodum grandem natu, ſed tamen jam ætate provectum. Anno enim poſt, conſul primum fuerat, quam ego natus ſum: cumque eo quartum conſule adoleſcentulus miles profectus ſum [12] ad Capuam, quintoque anno poſt ad * Tarentum quæſtor [13]: deinde ædi-

11 *Q. Maximum*] Hic eſt Q. Fabius Maximus, Verrucoſus, qui aono U. C. 544. Tarentum proditione recepit. *Grævius*.

12 *ad Capuam*] Ideſt ad exercitum, qui erat ad Capuam. Sic iofra *ad Tarentum*. In aliquo tameo codice deeſt particula *ad*. Facc.

* Lamb. *Tarentum: deinde quæſtor, quem magiſtratum geſſi conſulibus Tuditano & Cethego: deinde ædilis: quadriennio poſt factus ſum prætor, cum quidem*

13 *Quintoque anno poſt ad Tarentum quæſtor*] Locus iſte fuit mendoſiſſimus, quod tamen hactenus a paucis obſervatum miror. Neque quidquam veteres libri adjuverunt. Eum qua ratione reſtituerim, ex Catonie hiſtoria palam faciam. M. Portius M. F. M. N. Cato natus eſt Poſtumiu & Carvilio coſ. anno U. C. DXIX. id quod hic ipſe teſtatur. Militare cœpit Q. Fabio Maximo IV. M. Marcello III. coſſ. anno U. C. DXXXIX. quod hic quoque fatetur, & aperte Cor. Nepos in vita ipſius, natus annos plus XIX. quanquam in Nepote & Plmarcho legatur, anno ætatie octavo decimo militaſſe ſub Fabio. Id quod ratio annorum, qui inter Fabii primom & quartum conſulatum interceſſerunt, non patitur. Quanquam non ignorem, tirocinia Romaoos auſpicari ſolitos anno ſeptimodecimo, ſumpta jam virili toga. Militavit iterum quinquennio poſt, ſub Fabio V. coſ. anno U. C. DXLIV. cum Tarentum ille reciperet, (id quod hic quoque dicit,) anoos natus plus minue XXIV. quæ ætas quæſturæ oondum erat opportuna. Anno ſequente trib. mil. io Sicilia fuit: atque inde reverſus C. Claudii Neronis, ejus qui Aſdrubalem fregit, caſtra ſecutue eſt, ut idem Nepos refert. Id accidit ſub annum DXLVI. *Livius* lib. XXVII. Tertio poſtea anno (U. C. DXLIX.) quæſtor obtigit P. Scipioni coſ. ad bellum Africaoum proficiſceoti. Nepos & Liviue lib. XXIX. Cicero in Bruto. *At hic Cethegus*, inquit, *coſ. cum P. Tuditano fuit bello Punico ſecundo, quæſtorque hic coſs. M. Cato*; & iofra hoc ipſo dialogo, *ſodalitates autem*, inquit Cato, *me quæſtore conſtitutæ ſunt, ſacris Idæis magnæ matris acceptis*. Nam Cethego & Tuditano coſſ. matrem deum ex Aſia deportatam omnes traduot. Quadriennio poſt (U. C. DLIV.) ædilie factus eſt cum C. Helvio. *Nepos, & Livius* XXXII. Anno ſequeote (U. C. DLV.) prætor cum eodem Helvio. *Livius* eodem loco & *Nepos*. Hæc omoia ut cum hoc Ciceronis loco comparari apte poſſint, pauca verba abjeceram: *dein ædilis, quadriennio poſt factus ſum prætor*: quæ ſtudioſum aliquem, cum omnes Catonis magiſtratus receoſere vellet, ad marginem aonotaſſe veriſimile eſt, librarioe deinde in contextum orationie ioſeruiſſe. Cato enim ea tan-

lis, quadriennio post factus sum prætor: quem magistratum gessi consulibus Tuditano, & Cethego, cum quidem ille admodum senex, suasor legis [14] Cinciæ de donis & muneribus fuit. Hic & bella gerebat, ut adolescens, cum plane grandis esset: & Annibalem juveniliter exsultantem patientia sua molliebat: de quo præclare familiaris noster Ennius:

[15] *Unus qui nobis cunctando restituit rem;*
Non ponebat enim rumores ante salutem:
Ergo magisque magisque viri nunc gloria claret.

Tarentum vero qua vigilantia, quo consilio recepit? cum quidem, me audiente, Salinatori [16], qui, amisso oppido, fugerat in arcem, glorianti atque ita dicenti: mea opera, Q. Fabi, Tarentum recepisti: *Certe*, inquit ridens: *nam, nisi tu amisisses, nunquam recepissem*. Nec vero in armis præstantior, quam in toga: qui consul iterum, Sp. Carvilio collega quiescente, C. Flaminio tribuno plebis, quoad potuit, restitit [17], agrum Picentem & Gallicum viritim contra

tantummodo hic vult enumerare, quæ ipsi sub Q. Maximo acciderunt, cujus laudes instituit. Quo modo vero se prætore Q. Maximum legem Cinciam rogasse dicat, qui quatuor annis ante Catonis præturam mortuus sit? ut puta Ti. Claudio, M. Servilio coss. U. C. DLI. quod Livius scribit. lib. xxx. Hæc cum sic annotassem, accidit ut cum Stephano Pighio, viro omnis antiquitatis sine controversia doctissimo, hunc locum conferrem, quem is in suis annalibus ita emendasse ostendit: *quæstor deinde quadriennio post factus sum, quem magistratum*, &c. paucioribus tantum erasis verbis, quam ego. Quam emendationem ut tum maxime probavi, ita non dubito quin omnes studiosi laudaturi sint. *Langius*.

14 *Cinciæ*] a M. Cincio latæ, qua cavebatur, ne quis ob caussam orandam munera acciperet. *Facc.*

15 *Unus &c.*] Carmina hæc attulit etiam in lib. 1. offic. cap. 21. In tertio carmine pro *magisque*, alii leg. *postque*. Al. *post magis atque magis*. Idem.

16 *Salinatori*] Præf. arcis Tarentinæ. Polybius lib. VIII. C. Livium vocat; Livius Patavinus M. Livium: mirum sane est, quod eum Cicero appellat Salinatorem. Nam M. Livius bis cos. & censor, qui Salinator cognominatus est, Tarento non præfuit. Secutus tamen est eum Plutarchus. *Langius*.

17 *Sp. Carvilio collega quiescente, C. Flaminio tribuno pl. quoad potuit, restitit*] Hic fuit annus DXXV. U. C. sicut Capitolinorum Fastorum auctores supputant. Citat Sosipater Charisius grammaticus Tullii locum istum, & addit Flaminio collegam adjutorem C. Carvilium Sp. Carvilii consulis, si non consanguineum, certe gentilem, hoc modo verba Tullii referens: *C. Carvilio & C. Flaminio tribunis plebis, quoad potuit, restitit, agrum Picentem & Gallicum contra senatus auctoritatem dividentibus*. Hinc profecto colligere possumus, quam variis modis post Charisii tempora corruperint & detruncarint Ciceronis exemplaria librarii scriptores, partim historiarum imperitia, partim supina quadam negligentia. Sed hic offensi videntur repetitione nominis Carvilii, & alterum idcirco sustulisse, vel negligenter prætermisisse: cum tamen id ipsum declaret tacite, cur consul Carvilius quieverit, ne actionibus scilicet consanguinei, vel gentilis tribuni, & plebis utilitati plebejus ipse adversaretur. Supplerem igitur jam dictum Tullii locum male multatum ex ipso Sosipatri loco, in hunc mo-

tra senatus auctoritatem dividenti: augurque cum esset, dicere ausus est, optimis auspiciis ea geri [18], quæ pro reipublicæ salute gererentur: quæ contra rempublicam fierent [19], contra auspicia fieri. Multa in eo viro præclara cognovi: sed nihil est admirabilius, quam quomodo ille mortem M. filii tulit [20], clari viri & consularis. Est in manibus laudatio: quam cum legimus, quem philosophum non contemnimus? Nec vero ille in luce modo, atque in oculis civium magnus: sed intus, domique præstantior. Qui sermo? quæ præcepta? quanta notitia antiquitatis? quæ scientia juris augurii? multæ etiam, [21] ut in homine Romano, literæ. Omnia memoria tenebat, non domestica solum, sed etiam externa bella: cujus sermone ita tum cupide fruebar, quasi jam divinarem, id, quod evenit, illo extincto, fore unde discerem neminem.

V. Quorsum igitur hæc tam multa de Maximo? quia profecto videtis, nefas esse dictu, miseram fuisse talem senectutem. Nec tamen omnes possunt esse Scipiones, aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedestres navalesve pugnas, ut bella a se gesta, ut triumphos recordentur. Est etiam quiete, & pure, & eleganter actæ ætatis placida ac lenis senectus, qualem accepimus Platonis, qui uno & octogesimo an-

modum: *Sp. Carvilio collega quiescente, C. Carvilia & C. Flaminio tribunis plebis, quoad potuit, restitit*. Polybius autem unum C. Flaminium tribunum plebis nominat, ut legislatorem, quem auctorem & principem ejus seditionis fuisse constat, & legem pertulisse, agrumque Gallicum divisisse tradit M. Lepido consule, octavo videlicet anno, antequam belli Gallici Cisalpini flamma coorta est. Sed in hoc dissentit Polybius a Cicerone, quod legem hanc agrariam non anno DXXV, sed DXXI. M. Lepido consule a Flaminio latam fuisse scribit, quæ causa Cisalpini belli Gallici mox orientis fuerit, ut prolixe narrat lib. II. *Pighius*.

18 *Optimis auspiciis ea geri*] Ad Homericum illud respexit, εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. *Ursinus*.

19 *Quæ contra remp. fierent*, &c.] Sic habent nonnulli libri veteres. Alii, *quæ contra remp. ferrentur, contra auspicia ferri*. Lambinus.

20 *M. filii tulit*] Cum prius legeretur M. F. prænomen M. erasi: primum, ut supervacuum; satis enim fuerat adjecisse, *consularis*, in historia non longe remota; deinde ut falsum. Nam Q. non M. prænomen ei fuisse omnes tradunt: quin oratio quoque ipsa hoc prænomine nescio quo modo retardatur. A Plutarcho est proditum, Maximum stantem in foro recitasse laudationem filii, eamque postea edidisse. Sic vocatur funebris commendatio, Græcis ἐπιτάφιος. Queritur Cicero in Bruto istiusmodi laudationibus historiam rerum Romanarum esse factam mendosiorem; *Multa enim*, inquit, *scripta in iis sunt, quæ facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, & a plebe transitiones, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus*. Lang.

21 *ut in homine Romano*] Græcis enim litterarum laudem concedebant. *Facc.*

no ſcribens mortuus eſt. Qualem Iſocratis, qui eum librum, qui Panathenaicus inſcribitur, quarto & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur, vixitque quinquennium poſtea: cujus magiſter Leontinus Gorgias, centum & ſeptem complevit annos: neque unquam in ſuo ſtudio atque opere ceſſavit. Qui, cum ex eo quæreretur, cur tam diu vellet eſſe in vita: *Nihil habeo*, inquit, *quod accuſem ſenectutem*. Præclarum reſponſum, & docto homine dignum. Sua enim vitia inſipientes, & ſuam culpam in ſenectutem conferunt: quod non faciebat is, cujus modo mentionem feci, Ennius,

Sicut fortis equus, ſpatio qui ſæpe ſupremo
[22] *Vicit Olympia, nunc ſenio confectu' quieſcit.*

Equi fortis & victoris ſenectuti comparat ſuam: quem quidem probe meminiſſe poteſtis. Anno enim undeviceſimo poſt ejus mortem, hi conſules, T. Flamininus, & M'. Acilius [23] facti ſunt: ille autem Cæpione, & Philippo iterum conſule [24], mortuus eſt: cum ego quidem V. & LX. annos natus, [25] legem Voconiam voce magna, & bonis lateribus ſuaſiſſem. Annos LXX. natus (tot enim vixit Ennius) ita ferebat duo, quæ maxima putantur onera, paupertatem & ſenectutem, ut eis pæne delectari videretur.

Etenim, cum contemplor animo, reperio quatuor cauſas, cur ſenectus miſera videatur: unam, quod avocet a rebus gerendis: alteram, quod corpus faciat infirmius: tertiam, quod privet omnibus fere voluptatibus: quartam, quod haud procul abſit a morte. Earum, ſi placet, cauſarum quanta, quamque ſit juſta unaquæque, videamus.

VI. A rebus gerendis ſenectus abſtrahit? Quibus? an iis, quæ in juventute geruntur & viribus? Nullæne igitur res ſunt ſeniles, quæ vel infirmis corporibus, animo tamen adminiſtren-

22 *Vicit Olympia*] Victor fuit in ludis Olympicis, quemadmodum dixit Horatius lib. 1. epiſt. 1. v. 50. *coronari Olympia*, hoc eſt in Olympiis. *Facc.*

23 *M'. Acilius*] Manius Acilius Glabrio.

24 *Cæpione & Philippo iterum conſule*] Sic ſcribendum eſſe aut *iterum coſ.* non *iterum coſſ.* ex pluribus Mſſ. oſtendit Manutius: & vere. Nam Philippus ſolus ſecundum conſul fuit, non Cæpio. *Græv.*

25 *Voconiam*] Quam tulit Q. Voconius de coercendis mulierum hereditatibus anno U. C. DLXXXI. *Facc.*

26 *dementes &c.*] Al. *dementi ſeſe flexere ruina*. Vide Columnam ad Ennii Fragm. p. 59. *Idem*.

ſtrentur? Nihil ergo agebat Q. Maximus? nihil L. Paulus, pater tuus, Scipio, ſocer optimi viri, filii mei? cæteri ſenes, Fabricii, Curii, Coruncanii, cum rempublicam conſilio & auctoritate defendebant, nihil agebant?

Ad App. Claudii ſenectutem accedebat etiam, ut cæcus eſſet: tamen is, cum ſententia ſenatus inclinaret ad pacem, & fœdus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quæ verſibus perſecutus eſt Ennius:

Quo vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant
Antehac, [16] dementes ſeſe flexere viai?

cæteraque graviſſime: notum enim vobis carmen eſt: & tamen ipſius Appii exſtat oratio. Atque hanc ille egit ſeptem & decem annos poſt alterum conſulatum, cum inter duos conſulatus anni decem interfluxiſſent, cenſorque ante [17] conſulatum ſuperiorem fuiſſet. Ex quo intelligitur, Pyrrhi bello grandem ſane fuiſſe; & tamen ſic a patribus accepimus.

Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda verſari ſenectutem negant, ſimileſque ſunt, ut, ſi qui [28] gubernatorem in navigando agere nihil dicant, cum alii malos ſcandant, alii per foros curſent, alii ſentinam exhauriant: ille autem clavum tenens ſedeat in puppi quietus. Non faciat ea, quæ juvenes. At vero multo majora & meliora facit. Non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur: ſed conſilio, auctoritate, ſententia, quibus non modo non orbari, ſed etiam augeri ſenectus ſolet. Niſi forte ego vobis, qui & miles, & tribunus, & legatus, & conſul verſatus ſum in vario genere bellorum, ceſſare nunc videor, cum bella non gero. At ſenatui, quæ ſunt gerenda, præſcribo, & quomodo: Carthagini male jam diu cogitanti, bellum multo ante denuntio: de qua vereri non ante deſinam, quam illam excisam eſſe cognovero.

Quam palmam utinam dii immortales tibi, Scipio, reſervent, ut avi reliquias perſequare! cujus a morte hic tertius

&

27 *conſulatum ſuperiorem*] ideſt proximum. Sed fortaſſe legendum *poſteriorem*. Idem.

28 *Simileſque ſunt, ut, ſi qui*] Veram cenſeo fuiſſe ſcriptionem, quam in P. Danielis membranis reperit Lambinus, *ſimileſque ſunt iis, qui*. Vulgatam fortaſſe non probaret Tullius, ſi reviviſceret. *Idem*.

& tricesimus est annus [29]: sed memoriam illius viri excipient omnes anni consequentes. Anno ante me censorem mortuus est, novem annis post meum consulatum, cum consul iterum, me consule, creatus esset. Num igitur, si ad centesimum annum vixisset, senectutis eum suæ pœniteret? Nec enim excursione, nec saltu, nec eminus hastis, aut cominus gladiis uteretur: sed consilio, ratione, sententia. Quæ nisi essent in senibus, non summum consilium majores nostri appellassent *senatum*. Apud Lacedæmonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes. Quod si legere, aut audire voletis externa, maximas respublicas ab adolescentibus labefactas, a senibus sustentatas & restitutas reperietis.

Cedo, qui vestram rempublicam tantam amisistis tam cito? Sic enim percontanti, ut est in Nævii poetæ ludo [30], respondentur & alia, & hæc in primis:

Proveniebant oratores novi, stulti, adolescentuli.

Temeritas est videlicet florentis ætatis; prudentia, senescentis.

VII. At memoria minuitur. Credo, nisi eam exerceas, aut si sis natura tardior. Themistocles omnium civium nomina perceperat: num igitur censetis eum, cum ætate processisset, qui Aristides esset, Lysimachum salutare solitum? Equidem non modo eos novi, qui sunt; sed eorum patres etiam, & avos. Nec sepulcra legens [31] vereor, (quod ajunt) ne memoriam perdam: his enim ipsis legendis redeo in memoriam mortuorum. Nec vero quemquam senum audivi oblitum, quo loco thesaurum obruisset. Omnia, quæ curant, meminerunt: vadimonia constituta: qui sibi, quibus ipsi debeant.

Quid

29 *Cujus a morte hic tertius & tricesimus est annus*] Hic *quintus & tricesimus est annus*; & paulo post, *decem annis*, pro *novem*, habet antiquus liber. *Ursin.* Glareanus hic putat legendum *quintus & tricesimus*. Et sic ex tribus MSS. legendum quoque censet Vincentius Contarenus Var. Lect. cap. 24. Sed Stephanus Pighius in Fastis anno U. C. DLXVIII. rectius scribi existimat *quartus & tricesimus*, quem vide. Pro vulgata tamen stant Palatini, Gulielmiani, Pithœani, & multi alii. *Gruter.*

30 *Ut est in Nævii ludo*] Nævii [illegible] libros, quos Gellius & Charisius advocant, intelligit, opinor. *Langius.*

31 *Nec sepulcra legens*] Vulgo putabatur officere memoriæ, si quis legeret inscriptiones sepulcrorum. *Erasmus*. Legendis enim multorum nominibus perturbatur, & confunditur memoria. *A. Manutius*. Nomina legebat Cato sepulchris inscripta, ad conficiendas Origines, de quibus in cap. 11. *Facc.*

Quid jurisconsulti? quid pontifices? quid augures? quid philosophi senes? quam multa meminerunt? Manent ingenia senibus, modo permaneat studium & industria: nec ea solum in claris & honoratis viris, sed in vita etiam privata & quieta. Sophocles ad summam senectutem [32] tragœdias fecit: quod propter studium, cum rem familiarem negligere videretur, a filiis in judicium vocatus [33] est: ut, quemadmodum nostro more male rem gerentibus patribus bonis interdici solet; sic illum, quasi desipientem, a re familiari removerent judices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, & proxime scripserat, Œdipum Coloneum recitasse judicibus, quæsisseque, num illud carmen desipientis videretur. Quo recitato, sententiis judicum est liberatus.

Num igitur hunc, num Homerum, num Hesiodum, num Simonidem, num Stesichorum, num, quos ante dixi, Isocratem, Gorgiam, num philosophorum principes, Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Xenocratem, num postea Zenonem, Cleanthem, aut eum, quem vos etiam Romæ vidistis, Diogenem Stoicum, coegit in suis studiis obmutescere senectus? an non in omnibus iis studiorum agitatio vitæ æqualis fuit?

Age, ut ista divina studia omittamus, possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos [34] vicinos & familiares meos, quibus absentibus, nunquam fere ulla in agro majora opera fiunt, non serendis, non percipiendis, non condendis fructibus. Quanquam in illis minus hoc mirum. Nemo enim est tam senex, qui se annum non putet posse vivere. Sed iidem elaborant in eis, quæ sciunt nihil omnino ad se pertinere.

Serit arbores, quæ alteri seculo prosint,

ut

32 *Sophocles ad summam senectutem*] Valer. Max. lib. VIII. cap. 7.

33 *A filiis in judicium vocatus*] Lucianus in Macrobiis Sophantem filium nominat, eumque lege talionis insaniæ judices damnasse memorat. Actio est Græcis τῆς παρανοίας. *Berulesus*.

34 *Rusticos Romanos*] Olim proceres Romani in agris morabantur, & ubi consilium publicum desiderabatur, e villis arcessebantur in senatum: unde qui eos evocabant, plebeii *viatores* nominati. Inde honestum nomen plebeii ordinis *rustici Romani*. Cic. pro Sextio in optimatium, hoc est qui consilia sua optimo cuique probari vellent, secta collocat *municipales rusticosque Romanos*. J. Fr. Gronovius IV. de Sestert. 9. ubi vide plura.

ut ait Statius noſter in Synephebis. Nec vero dubitet agricola, quamvis ſenex, quærenti, cui ſerat, reſpondere: Diis immortalibus, qui me non accipere modo hæc a majoribus voluerunt, ſed etiam poſteris prodere.

VIII. Melius Cæcilius de ſene alteri ſeculo proſpiciente, [35] quam illud:

Ædepol ſenectus [36] *, ſi nihil quidquam aliud vitii*
Apportes tecum, cum advenis; unum id ſat eſt,
Quod diu vivendo, multa, quæ non vult, videt.

Et multa fortaſſe, quæ vult: atque in ea quidem, quæ non vult, ſæpe etiam adoleſcentia incurrit.

Illud vero idem Cæcilius vitioſius:

[37] *Tum equidem in ſenecta hoc deputo miſerrimum,*
Sentire ea ætate eſſe ſe odioſum alteri.

Jucundum potius, quam odioſum. Ut enim adoleſcentibus, bona indole præditis, ſapientes ſenes delectantur, leviorque fit eorum ſenectus, qui a juventute coluntur & diliguntur: ſic adoleſcentes ſenum præceptis gaudent, quibus ad virtutum ſtudia ducuntur. Nec minus intelligo me vobis, quam vos mihi eſſe jucundos. Sed videtis, ut ſenectus non modo languida atque iners non ſit, verum etiam ſit operoſa & ſemper agens aliquid, & moliens; tale ſcilicet, quale cujuſque ſtudium in ſuperiore vita fuit. Quid, quod etiam addiſcunt aliquid? ut Solonem verſibus [38] glorantem videmus, qui ſe quotidie aliquid addiſcentem, ſenem fieri dicit: ut ego feci, qui Græcas literas ſenex didici. Quas quidem ſic avide arripui, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens, ut ea ipſa mihi nota eſſent, quibus me nunc exemplis uti videtis. Quod cum feciſſe Socratem in fidibus audirem, vellem equidem & illud: (diſcebant enim fidibus antiqui) ſed in literis certe elaboravi.

IX. Nec

35 *quam illud*] Al. *quam illud idem*, ideſt quam illud, quod idem Cæcilius ſcripſit in Plotio. Vide Nonium in verbo *advenire*. Facc.

36 *Ædepol ſenectus*] Et in Nonio & in vet. libris, hi verſus leguntur per allocutionem ad ſenectam, in quorum tertio figurate perſona mutatur. Hi ſunt ex Plotio Cæcilii; illi ex ejuſdem Hepheſtione. *Lancius.*

37 *Tum equidem &c.*] Hæc ipſa referuntur a Nonio in voce *ſenium*, ſumpta ex Cæcilii Epheſtione. *Facc.*

38 *Solonem verſibus*] Solonis verſus eſt,
Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος,
Urſinus.

IX. Nec nunc quidem vires desidero adolescentis, (is enim erat locus alter de vitiis senectutis) non plus, quam adolescens tauri, aut elephanti desiderabam. Quod est, eo decet uti: & quidquid agas, agere pro viribus. Quæ enim vox potest esse contemptior, quam Milonis Crotoniatæ? qui, cum jam senex esset, athletasque se in curriculo exercentes videret, adspexisse lacertos suos dicitur, illacrymansque dixisse, ***At hi quidem jam mortui sunt***. Non vero tam isti, quam tu ipse, nugator. Neque enim ex te unquam es nobilitatus, sed ex lateribus & lacertis tuis. Nihil Sex. Ælius [39] tale, nihil multis annis ante T. Coruncanius [40]: nihil modo P. Crassus [41]: a quibus jura civibus præscribebantur: quorum usque ad extremum spiritum est provecta prudentia.

Orator, metuo, ne languescat senectute. Est enim munus ejus non ingenii solum, sed laterum etiam, & virium. Omnino canorum illud in voce splendescit etiam nescio quo pacto in senectute; quod equidem adhuc non amisi: & videtis annos: sed tamen est decorus sermo senis, quietus & remissus; facitque persæpe ipsa sibi audientiam diserti senis compta & mitis oratio. [a] Quod si ipse exsequi nequeas, possis tamen Scipioni præcipere, & Lælio. Quid enim est jucundius senectute, stipata studiis juventutis?

An ne eas quidem vires senectuti relinquemus, ut adolescentulos doceat, instituat, ad omne officii munus instruat? quo quidem opere quid potest esse præclarius? Mihi vero Cn. & P. Scipiones, & avi tui duo, L. Æmilius, & P. Africanus, comitatu nobilium juvenum fortunati videbantur. Nec ulli bonarum artium magistri [b] non beati putandi, quamvis consenuerint vires, atque defecerint. Etsi ista ipsa defectio virium, adolescentiæ vitiis efficitur sæpius, quam senectutis. Libidinosa etenim, & intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti.

39 *Sextus Ælius*] Vide Ciceronem in Bruto, cap. 19.

40 *T. Coruncanius*] De quo in Bruto, c. 14.

41 *P. Crassus*] Fuit hic cum Scipione Africano seniore consul anno U. C. DXLVIII. Ejus etiam meminit III. de Orat. *Hæc fuit P. Crassi illius veteris, hæc T. Coruncanii, hæc proavi generi mei Scipionis prudentissimi hominis sapientia*. Grævius. Vide Corradum ad Bruti cap. 19.

a Lamb. *Quam*

b Idem *non boni*

Cyrus quidem apud Xenophontem eo ſermone, quem moriens habuit, cum admodum ſenex eſſet, negat ſe unquam ſenſiſſe, ſenectutem ſuam imbecilliorem factam, quam adoleſcentia fuiſſet. Ego L. Metellum memini puer, (qui cum quadriennio poſt alterum conſulatum pontifex maximus factus eſſet, viginti & duos annos ei ſacerdotio præfuit) ita bonis eſſe viribus extremo tempore ætatis, ut adoleſcentiam non requireret. Nihil neceſſe eſt mihi de me ipſo dicere: quanquam eſt id quidem ſenile, ætatique noſtræ conceditur.

X. Videtiſne, ut apud Homerum ſæpiſſime Neſtor de virtutibus ſuis prædicet? Tertiam enim jam ætatem hominum vivebat: nec erat ei verendum, ne vera de ſe prædicans, nimis videretur aut inſolens, aut loquax. Etenim (ut ait Homerus) ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio; quam ad ſuavitatem nullis egebat corporis viribus: & tamen dux ille Græciæ nuſquam optat, ut Ajacis ſimiles habeat decem, at ut Neſtoris; quod ſi acciderit, non dubitat, quin brevi Troja ſit peritura.

Sed redeo ad me. Quartum annum ago & octogeſimum: equidem poſſe vellem idem gloriari, quod Cyrus: ſed tamen hoc queo dicere, non me quidem iis eſſe viribus, quibus aut miles bello Punico, aut quæſtor eodem bello, aut conſul in Hiſpania fuerim, aut quadriennio poſt, cum tribunus militaris [42] depugnavi apud Thermopylas, M'. Acilio Glabrione conſule: ſed tamen (ut vos videtis) non plane me enervavit, nec afflixit ſenectus: non curia vires meas deſiderat, non Roſtra, non amici, non clientes, non hoſpites. Nec enim unquam ſum aſſenſus veteri illi laudatoque proverbio, quod monet, mature fieri ſenem, ſi diu velis eſſe ſenex. Ego vero me minus diu ſenem eſſe mallem, quam eſſe ſenem ante, quàm eſſem. Itaque nemo adhuc convenire me voluit, cui fuerim occupatus.

At minus habeo virium, quam veſtrum utervis. Nec vos qui-

42 *Tribunus militaris*] Memoriæ vitium in Cicerone deprehenditur. Legerat enim in Annalibus, Catonem non tribunum militum, ſed legatum apud Thermopylas M'. Acilio conſule depugnaſſe. Quod Livius lib. 36. perſpicue docet. Neminem enim poſt conſulatum tribunum militum fuiſſe conſtat. *Manutius*.

quidem T. Pontii centurionis vires habetis: num idcirco eſt ille præſtantior? Moderatio modo virium adſit, & tantum, quantum poteſt quiſque, nitatur: næ ille non magno deſiderio tenebitur virium. Olympiæ per ſtadium ingreſſus eſſe Milo dicitur, cum humeris ſuſtineret bovem vivum. Utrum igitur has corporis, an Pythagoræ tibi malis vires ingenii dari? Denique iſto bono utare, dum adſit: cum abſit, ne requiras. Niſi forte adoleſcentes pueritiam, paulum ætate progreſſi adoleſcentiam debeant requirere. Curſus eſt certus ætatis, & una via naturæ, eaque ſimplex: ſuaque cuique parti ætatis [43] tempeſtivitas eſt data: ut & infirmitas puerorum, & ferocitas juvenum, & gravitas jam conſtantis ætatis, & ſenectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod ſuo tempore percipi debeat.

Arbitror te audire, Scipio, hoſpes tuus avitus [44] Maſiniſſa quæ faciat hodie, nonaginta annos natus: cum ingreſſus iter pedibus ſit, in equum omnino non adſcendere; cum equo, ex equo non deſcendere: nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto ſit: ſummam in eo eſſe corporis ſiccitatem: itaque exſequi omnia regis officia & munera. Poteſt igitur exercitatio, & temperantia etiam ſenectuti conſervare aliquid priſtini roboris.

XI. Non ſunt in ſenectute vires? Ne poſtulantur quidem vires a ſenectute. Ergo & legibus & inſtitutis [45] vacat ætas noſtra muneribus iis, quæ non poſſunt ſine viribus ſuſtineri. Itaque non modo, quod non poſſumus, ſed ne quantum poſſumus quidem, cogimur.

At ita multi ſunt imbecilli ſenes, ut nullum officii, aut omnino vitæ munus exſequi poſſint. At id quidem non proprium ſenectutis eſt vitium, ſed commune valetudinis. Quam fuit imbecillus P. Africani filius is, qui te adoptavit? quam tenui, aut nulla potius valetudine? quod ni ita fuiſſet, alte-

43 *Tempeſtivitas*] Apud Nonium legitur *tempeſtas*: quæ vox ex illa contracta eſt, idemque hoc loco ſignificat. *Facc.*

44 *Hoſpes tuus avitus*] Africani majoris hoſpes fuit, ut ex Scipionis ſomnio licet videre. *Langius.*

45 *Vacat ætas*] Interdum ſeniorum quoque delectus eſt habitus, ut apud Livium l. 6. cap. 2. Nam ſumma pericula legibus non parcunt. *Facc.*

rum ille exſtitiſſet lumen civitatis. Ad paternam enim magnitudinem animi doctrina uberior acceſſerat. Quid mirum igitur in ſenibus, ſi infirmi ſunt aliquando, cum ne id quidem adoleſcentes effugere poſſint? Reſiſtendum, Læli & Scipio, ſenectuti eſt, ejuſque vitia diligentia compenſanda [46] ſunt. Pugnandum, tanquam contra morbum, ſic contra ſenectutem.

Habenda ratio valetudinis: utendum exercitationibus modicis: tantum cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Nec vero corpori ſoli ſubveniendum eſt, ſed menti atque animo multo magis [47]. Nam hæc quoque, niſi tanquam lumini oleum inſtilles, extinguuntur ſenectute. Et corpora quidem defatigatione & exercitatione ingraveſcunt: animi autem exercitando levantur. Nam quos ait Cæcilius, *comicos ſtultos ſenes* [48]: hos ſignificat credulos, obliviofos, diſſolutos: quæ vitia ſunt non ſenectutis, ſed inertis, ignavæ, ſomniculoſæ ſenectutis. Ut petulantia, ut libido, magis eſt adoleſcentium, quam ſenum: nec tamen omnium adoleſcentium, ſed non proborum: ſic iſta ſenilis ſtultitia (quæ deliratio appellari ſolet) ſenum levium eſt, non omnium.

Quatuor robuſtos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat & ſenex, & cæcus. Intentum enim animum, tanquam arcum, habebat, nec langueſcens ſuccumbebat ſenectuti. Tenebat non modo auctoritatem, ſed etiam imperium in ſuos: metuebant ſervi, verebantur liberi, carum omnes habebant: vigebat in illa domo patrius mos & diſciplina.

Ita enim ſenectus honeſta eſt, ſi ſe ipſa defendit, ſi jus ſuum

46 *Ejus vitia diligentia compenſanda*] Diligenti cura valetudinis, inquit, ſunt compenſanda & reſarcienda illa vitia, quibus obnoxia eſt ſenectus. *Diligentia* & paulo ante in hac notione uſus eſt Tullius. Vires quas detrahit nobis quaſi ſenectus, penſat diligentia: quæ illa ſit, proxime ſequturis verbis oſtendit. *Grævius*.

47 *Menti atque animo multo magis*] Sic habent omnes fere libri veteres: *Sed menti atque animo multo magis*. Sed fuit cum ita legendum putarem: *ſed & menti, atque adeo multo magis*. Neque me hujus conjecturæ pœnitet. *Lambinus*. Si hoc verum eſſet, ſcribendum etiam fuiſſet *extinguitur*. Atqui *extinguuntur* in omnibus editis & ſcriptis ſcilicet *animus*, & *mens*, de quarum vocum & rerum, ſecundum nonnullos veteres, diſcrimine alibi. *Græv.*

48 *Comicos ſtultos ſenes*] Vide lib. de Amicitia, cap. 26. Sic legendum eſt, non, *comicus*, neque *coumicos* &c. *Comici ſenes* autem dicuntur, quales introducuntur a poetis comicis, creduli, deliri, leves, amatores, ſtulti, qui facile decipiuntur a ſervis, ridiculi denique. *Lambin.*

suum retinet, si nemini emancipata est [49], si usque ad extremum spiritum dominatur in suos [50]. Ut enim adolescentem, in quo senile aliquid; sic senem, in quo est adolescentis aliquid, probo: quod qui sequitur, corpore senex esse poterit, animo nunquam erit. Septimus mihi Originum liber est in manibus: omnia antiquitatis monumenta colligo: causarum illustrium, quascumque defendi, nunc quam maxime conficio orationes: jus augurum, pontificum, civile tracto: multum etiam Græcis literis utor: Pythagoreorumque more exercendæ memoriæ gratia, quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi. Hæ sunt exercitationes ingenii, hæc [51] curricula mentis: in his desudans atque elaborans, corporis vires non magnopere desidero. Adsum amicis: venio in senatum frequens, ultroque affero res multum & diu cogitatas; easque tueor animi, non corporis viribus. Quæ si exsequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus, ea ipsa cogitantem, quæ jam agere non possem: sed ut possim, facit acta vita. Semper enim in his studiis laboribusque viventi non intelligitur, quando obrepat senectus. Ita sensim sine sensu [52]

49 *Si nemini emancipata est*] Fr. Gronov. ad Senec. ep. 45. rationem reddit, cur *emancipare* ponatur, ubi vulgus *mancipare* ponendum putat. *Mancipo*, inquit, est mancipio trado; *emancipo*, e potestate mea & mancipio dimitto. Liber homo est suæ potestatis: itaque cum se *emancipare* dicitur, intelligitur e potestate sua abire, non amplius suus esse, alienus fieri, desinere sui juris & mancipii esse, ut loquitur Brutus ad Ciceronem. Vide id multis eum exemplis confirmantem. *Græv.*

50 *Si usque ad extremum spiritum dominatur in suos*] Libri quidam veteres habent: *si usque ad ultimum spiritum vindicet jus suum. Lambinus*. Sic & Pith. exc. nisi quod pro *jus suum* corrupte in iis scribatur *ju,lum*. Male neglexerunt editores. Est certissima Ciceronis manus. *Vindicet suum jus*, est ut paulo ante dixit, *retineat jus suum*, seu auctoritatem & imperium in suos, metuant servi, vereantur liberi, nulli sit emancipata: si non est sub tutela suorum liberorum, aut cognatorum. Sic *jure suo agere* dicuntur, qui libere agunt, nemine impediente. Florus I. 17. *Capitisque superioribus jugis in subjectos sua jure desonuit*. Et lib. III. 17. *Equites Romani tanta potestate subnixi peculabantur sua jure rempublicam*. Sed & Ciceronem sic locutum esse dudum monuit J. Fr. Gronovius. *Dominatur in suos* est verborum illorum, quæ male ejecerunt, interpretatio, sed posteriorum temporum. *Dominari* enim *in suos* sub rep. libera tribuebatur tantum tyrannis, cum de hominibus loquerentur. Notum enim est quam invisum fuerit vocabulum *dominari* & *dominus* in libertate. Inde nec Augustus, nec Tiberius *domini* volebant salutari. *Grævius*. Scil. tenet imperium in familiam suam: quæ lectio non est ita contemnenda, ut Grævio videtur. Ipse & alii leg. *vindicat jus suum*. Sed lectio hæc incidit in tautologiam, cum proxime dixerit, *ius suum retinet*. Facc.

51 *Curricula mentis*] Metaphora sumpta a ludis Circensibus, in quibus juvenes exercebantur. *Facc.*

su [52] ætas senescit: nec subito frangitur, sed diuturnitate extinguitur.

XII. Sequitur tertia vituperatio senectutis, quod eam carere dicunt voluptatibus. O præclarum munus ætatis, si quidem id aufert nobis, quod est in adolescentia vitiosissimum!

Accipite enim, optimi adolescentes, veterem orationem Archytæ Tarentini, magni in primis, & præclari viri: quæ mihi tradita est, cum essem adolescens Tarenti cum Q. Maximo. Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem, hominibus dicebat a natura datam: cujus voluptatis avidæ libidines temere & effrenate ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc rerumpublicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci: nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret: stupra vero, & adulteria, & omne tale flagitium, nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptatis. Cumque homini sive natura, sive [53] quis deus nihil mente præstabilius dedisset; huic divino muneri ac dono nihil esse tam inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum esse; neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod quo magis intelligi posset; fingere animo aliquem jubebat, tanta incitatum voluptate corporis, quanta percipi posset maxima: nemini censebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Quocirca nihil esse tam detestabile, tamque pestiferum, quam voluptatem: si quidem ea, cum major esset atque longior, omne animi lumen exstingueret. Hæc cum C. Pontio Samnite, patre ejus, a quo, Caudino prælio, Sp. Postumius &

52 *Ita sensim sine sensu*] Παρόμοιον etiam vocalium allusione insigne; in quo decorum servat in Catonis persona. Nam seculum illud figuris hujusmodi delectabatur: quale est Ennii illud,

O Tite, tute Tati, tibi tanta tyranne tulisti.

& ejusdem ex Phœnice,

Stultus est qui cupita cupidus cupienter cupit.

& Plauti in Menæchmis,

Non potui paucis plura plane proloqui.

Simile ex Euripidis Medea affert Victor. lib. xxxvi. cap. 20. & Turnebus e Cicerone lib. VII. Advers. cap. 19. *Longius.*

53 *Quis Deus*] Si vox *quis* Ciceronis est, referri ad Minervam debet. Mihi insititia videtur. In Parad. 2. c. 4. *Tu, cum tibi sive Deus, sive mater rerum omnium natura dederis animum &c.* Facc.

& T. Veturius conſules ſuperati ſunt, locutum Archytam, Nearchus Tarentinus, hoſpes noſter, qui in amicitia populi Romani permanſerat [54], ſe a majoribus natu accepiſſe dicebat, cum quidem ei ſermoni interfuiſſet Plato Athenienſis: quem Tarentum veniſſe, L. Camillo, Appio Claudio conſulibus, reperio.

Quorſum hæc? ut intelligatis, ſi voluptatem adſpernari ratione & ſapientia non poſſemus, magnam habendam ſenectuti gratiam, quæ efficeret, ut id non liberet, quod non oporteret. Impedit enim conſilium voluptas, rationi inimica: ac mentis (ut ita dicam) præſtringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium. Invitus quidem feci, ut fortiſſimi viri T. Flaminini fratrem L. Flamininum e ſenatu ejicerem, ſeptem annis [55] poſtquam conſul fuiſſet: ſed [56] notandam putavi libidinem. Ille enim cum eſſet conſul, in Gallia exoratus in convivio a ſcorto eſt, ut ſecuri feriret aliquem eorum, qui in vinculis eſſent damnati rei capitalis. Hic Tito fratre ſuo cenſore, (qui proximus ante me fuerat) elapſus eſt: mihi vero & [57] Flacco neutiquam probari potuit tam flagitioſa & tam perdita libido, quæ cum probro privato conjungeret imperii dedecus.

XIII. Sæpe audivi a majoribus natu, qui ſe porro pueros a ſenibus audiſſe dicebant; mirari ſolitum C. Fabricium, quod, cum apud regem Pyrrhum legatus eſſet, audiſſet a Theſſalo [58] Cinea, [59] eſſe quendam Athenis, qui ſe ſapientem profiteretur: eumque dicere, omnia, quæ faceremus, ad voluptatem eſſe referenda. Quod ex eo audientes M'. Curium & T. Coruncanium optare ſolitos, ut id Samnitibus, ipſique Pyr-

54 *In amicitia populi Romani permanſerat*] Antiqua formula: quæ in fragmento Theoriæ legis, cujus ſupra meminimus, ita reperitur: *Quei eorum in amicitia populi Romani bello Poinicio proximo manſerunt*. Et in vetuſtiſſimo apud me ſenatus conſulto Græce ſcripto, quod M. Lepido, Q. Catulo coſſ. in æs inciſum fuit; *τὸν δεῖ τέλος ἐν τῇ φιλίᾳ τῷ δήμῳ τῶν ῥωμαίων μεμενηκότων*. *Urſinus*.

55 *Septem annis*] *Octo annis* habet antiquus liber. *Idem*.

56 *Notandam*] Al. *Notandum*. Cato, cum Cenſor eſſet, ignominia L. Flamininum notavit, & Senatu movit. Cauſſas refert Livius l. 39. c. 42. & ſeq. *Facc.*

57 *Flacco*] L. Valerius Flaccus, qui M. Porcii Catonis collega erat. *Idem*.

58 *Cinea*] qui fuit diſcipulus Demoſthenis, in primis facundus, Pyrrho carus, ejuſque nomine ad populum Romanum Legatus, ut eſt apud Juſtinum lib. 18. c. 2. *Idem*.

59 *Eſſe quemdam*] Epicurum, qui voluptatem vocabat extremum bonorum. *Idem*.

Pyrrho persuaderetur: quo facilius vinci possent, cum se voluptatibus dedissent. Vixerat M'. Curius cum P. Decio, qui, quinquennio ante eum consulem, se pro republica quarto consulatu devoverat. Norat eundem Fabricius, norat Coruncanius: qui cum ex ea sua vita, tum ex ejus, quem dico, P. Decii facto, judicabant esse profecto aliquid natura pulchrum atque præclarum, quod sua sponte peteretur, quodque spreta & contempta voluptate optimus quisque sequeretur.

Quorsum igitur tam multa de voluptate? quia non modo vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quod ea voluptates nullas magnopere desiderat. Caret epulis, exstructisque mensis, & frequentibus poculis? caret ergo etiam vinolentia, & cruditate, & insomniis [60]. Sed si aliquid dandum est voluptati, quoniam ejus blanditiis non facile obsistimus, (divine enim Plato *escam malorum* voluptatem appellat, quod ea videlicet homines capiantur, ut hamo pisces) quanquam immoderatis epulis careat senectus, [61] modicis tamen conviviis delectari potest. C. [62] Duillium, M. filium, qui Pœnos classe primus devicerat, redeuntem a cœna senem sæpe videbam puer: delectabatur crebro funali [63] & tibicine, quæ

60 *Insomniis*] Libris omnibus invitis emendo, *insomnia*. *Insomniam* autem interpretor ἀγρυπνίαν, id est, somni capiendi difficultatem, seu potius, somni privationem: quo nomine utitur & Terentius in Eunucho: *Nam aut jam revertere: aut mox noctu te adiget horsum insomnia*. Non est autem dubium, quin vinolentiæ, & cruditatis comes sit insomnia. Senes autem quamvis non sint admodum somnolenti, sed levisomni potius, ut loquitur Lucretius, dormiunt tamen facile, & tranquille propter continentiam, & moderationem, quam adhibent in cibo, & potione. Juvenes contra propter cruditates ex vinolentia, & edacitate natas, noctes insomnes, & doloris, ac molestiæ plenas traducunt, *Lambinus*. Sed ego Langium & cæteros omnes tum Mss. tum excusos malo sequi, qui habent *insomniis*. Primum enim ἀγρυπνία, vitium est senibus peculiare, a quo senectutem vindicare Cato non potest. Deinde cum objecisset Cato, *caret senex epulis, extructisque mensis, & frequentibus poculis*, nihil respondere poterat commodius, quam senem carere quoque incommodis, quæ illa commoda sequi solent. Caret ergo vinolentia, & cruditate, & insomniis. Neque enim vel in ebrietatis turpitudinem delabitur, vel ferculorum varietate valetudinem corrumpit, vel horribilibus insomniis infestatur. Arctiorem enim somnum insomnia consequi solent. Arctius autem dormire potos quam sobrios, nemo negat. Vulgo certe dici solet, Qui bene bibit, bene dormit. *Suffridus Petrus*. Insomnia ista Plinius vocat furiales somnos. *Facc.*

61 *Modicis conviviis*] Quidam tollunt vocem *Conviviis* nec sine caussa. *Idem*.

62 *Duillium*] Al. *Duilium*, al. *Duelium*. Postea *Bellius* dictus est, ut scribit Cicero in Orat. cap. 45. *Idem*.

63 *Crebro funali*] Sic habent libri omnes manuscripti: & ita edidit Langius: cui assentior. Nam (ut ait idem) non dicit M. Tullius Duillium uno funali delectari solitum, sed multo & crebro. Si quis tamen malet legi, *cereo*, quod alii substituerunt, non pugna-

quæ ſibi nullo exemplo privatus ſumpſerat: tantum licentiæ dabat gloria.

Sed quid ego alios? ad me ipſum jam revertar. Primum habui ſemper ſodales. Sodalitates autem me quæſtore conſtitutæ ſunt [64], ſacris Idæis magnæ Matris acceptis. Epulabar igitur cum ſodalibus omnino modice: ſed erat quidam fervor ætatis: qua progrediente, omnia fient in dies mitiora. Neque enim ipſorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis, quam cœtu amicorum & ſermonibus metiebar. Bene enim majores noſtri accubationem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, *convivium* nominarunt: melius, quam Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant: ut, quod in eo genere minimum eſt, id maxime probare videantur.

XIV. Ego vero propter ſermonis delectationem tempeſtivis quoque conviviis [65] delector, nec cum æqualibus ſolum, qui pauci admodum reſtant; ſed cum veſtra etiam ætate, atque vobiſcum: habeoque ſenectuti magnam gratiam, quæ mihi ſermonis aviditatem auxit [66], potionis & cibi ſuſtulit. Quod ſi quem etiam iſta delectant, (ne omnino bellum indixiſſe

videar

gnabo: teſtabor tamen hanc eſſe ſcripturam antiquam, & (ut arbitror) rectam & veram, *Lambin.* Sed *J. F. Gronovius*, Obſerv. II. 6. *crebro*, interpretatur *denſo*. De re ipſa vide Lipſium Cent. IV. miſcell. epiſt. 3. & Caſaubonum in Suetonii Cæſarem cap. 37. *Græv.*

64 *Sodalitates autem me quæſtore conſtitutæ ſunt*] M. Cato quæſtor Africano fuit, Tuditano & Cethego coſſ. anno ab U. C. DXLIX. de qua re ſuperius plura. *Sodalitates* vocat τὰ συσσίτια. Trogus lib. xxxvIII. de Mithridate; *Hieme*, inquit, *deinde intunicate*, *non in convivio, ſed in campo; non in vacationibus, ſed in exercitationibus; nec inter ſodales, ſed inter æquales, aut equo aut curſu aut viribus contendebat*. De *ſodalitiis* & *ſodalitiariis epulis* multa Ariſtoteles in Politicis. *Langius*. Vocabantur Græcis *ſodales* Θιασῶται. Collegium enim ſeu ſocietas inſtituta in honorem alicujus dei, & ad ſacra ejus celebranda vocabatur Θίασος, vide Harpocrat. & Θιασῶται ſocietatis ejus conſortes, Latinis *ſodales* vulgo *confratriæ*. Differebant Θιασῶται a συσσίτοις. Hi ſemper una veſcebantur, illi certis tantum diebus cum ſacra facerent. *Salmaſ.* Obſervat. ad Jus Atticum & Rom. cap. 4. ubi vide plura.

65 *Tempeſtivis conviviis*] Recte ſic libri omnes. *Tempeſtiva convivia* ſunt, quæ & ante legitimam conviviorum horam ineuntur, & in multam noctem protrahuntur, ut erudite oſtendit maximus Salmaſius in Vopiſcum. Nihil certius, ut nihil falſius, quod huic opinioni rejiciendæ poſtea docti viri oppoſuerunt. *Græv.* *Tempeſtivis* ad modum temporis pertinet. Quæ nec ante inciperent, nec ſerius deſinerent, quam opus erat. *Manut.*

66 *Quæ mihi ſermonis aviditatem auxit*] Plato, de Rep. Ὡς εὖ ἴσθι &c. Id eſt: *Profecto quanto magis me corporis voluptates deficiunt, tanto cupiditas confabulandi, & voluptas quam ex ea re capio, augetur*. Hic eſt fons, unde iſta hauſit Cicero. Anaxandrides apud Stobæum:

Ἐσθλοῦ γὰρ ἀνδρὸς γῆρας ἀπροσήγορον.
Boni viri ſenectus facilis eſt in colloquio.

videar voluptati, cujus est etiam fortasse quidam naturalis modus [67]) non intelligo, ne in istis quidem voluptatibus ipsis, carere sensu senectutem. Me vero & magisteria delectant [68] a majoribus instituta: & is sermo, qui more majorum a summo adhibetur in poculis [69] & pocula, sicut in sympofio Xenophontis, minuta atque [70] rorantia, & refrigeratio æstate, & vicissim aut sol, aut ignis hibernus. Quæ quidem in Sabinis etiam persequi soleo, conviviumque vicinorum quotidie compleo: quod ad multam noctem, quam maxime possumus, vario sermone producimus.

At non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus. Credo: sed ne desideratio quidem. Nihil autem molestum, quod non desideres. Bene Sophocles, cum ex eo quidam jam affecto ætate quæreret, utereturne rebus venereis: Dii meliora [71], inquit; libenter vero istinc, tanquam a domino agresti ac furioso profugi. Cupidis enim rerum talium, odiosum & molestum est fortasse carere: satiatis vero, & expletis, jucundius est carere, quam frui. Quanquam non caret is, qui non desiderat. Ergo hoc non desiderare, dico esse jucundius, quam frui.

Quod

67. *Quidam naturalis modus*] Socrates docet apud Platonem in Protagora, usurpandam esse artem, quam *μετρητικὴν dimetiendi* appellat, quæ ostendat quando molestia bona, & voluptas mala sit, & vice versa, hoc est quæ docet, ut Cicero hic dicit, qui sit *naturalis modus voluptatis*. De his pluribus disputat Gassendus, cui & hæc debentur, in libris de Philosophia morali Epicuri. *Grævius*. *Modus* al. *Motus*. Recedit autem paullum a doctrina Stoica, si voluptatem modo aliquam admittit. Icciro addit *fortasse*. Ceterum Stoicus voluptatibus abstinet, Peripateticus utitur, Epicureus fruitur. *Facc.*

68 *Me vero & magisteria delectant*] In omni convivio legebatur plerumque sorte magister convivii, qui convivis cæteris leges ferebat bibendi. Varroni *modimperator*, Horatio *arbiter*, Plauto *dictator*, Græcis *συμποσίαρχος*, *βασιλεὺς*, vel *στρατηγὸς*, qua postrema voce usus est etiam Plautus Sticho:

Strategum te facio huic convivio.

Vulgatius *magister*. Lampridius in Elegabalo: *Perfectum urbicum sæpe post cænam ad potandum vocabat, adhibitis & præfectis prætorio, ita ut si recusarent, magistri eas cogerent*. Lipsius.

69 *A summo adhibetur in poculis*] *A summo bibere* Græcis est *ἐν κύκλῳ πίνειν*, ab eo conviva videlicet, qui summus accumbit, ad imum. Mos hic solemnis in omni convivio Romanis fuit, cum paulo hilarius invitare se vellent. Plautus Persa:

Age puere
A summo septenis cyathis committe hos ludos.

Asinaria:

Da puere ab summo, age tu interibi ab infimo da suavium. Idem.

70 *Rorantia*] Quæ leviter irrorant convivas; ideoque parum vini capiunt. *Facc.*

71 *Dii meliora*] Locus est statim initio lib. I. de Rep. quem si interpretatum Ciceronem dicamus, *die meliora*, non *dii meliora*, legendum sit. Ut Græcum verbum *εὐφημεῖν* exprimatur, quod Latini dicunt *bona verba dicere*, aliquando *linguis favere*. Sed sic & locutus est Philipp. 10. *Ac permitto ut de tribus Antoniis eligas quem velis. Dii meliora, inquies*. Langius.

Quod si istis ipsis voluptatibus bona ætas fruitur libentius; primum [a] parvulis fruitur rebus, ut diximus: deinde iis, quibus senectus, si non abunde potitur, non omnino caret. Ut [72] Turpione Ambivio magis delectatur, qui in prima cavea spectat, delectatur tamen etiam qui in ultima: sic adolescentia, voluptates prope intuens, magis fortasse lætatur: sed delectatur etiam senectus, procul eas spectans tantum, quantum sat est.

At illa quanti sunt, animum tanquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium secum esse, secumque (ut dicitur) vivere? Si vero habet aliquod tanquam pabulum studii atque doctrinæ, nihil est otiosa senectute jucundius. Mori videbamus in studio dimetiendi pæne cæli atque terræ [73] C. Gallum, familiarem patris tui, Scipio. Quoties illum lux noctu aliquid describere ingressum, quoties nox oppressit, cum mane cœpisset? quam delectabat eum defectiones solis & lunæ multo nobis ante prædicere?

Quid in levioribus studiis, sed tamen acutis? quam gaudebat bello suo Punico Nævius! quam Truculento Plautus! quam Pseudolo! Vidi etiam senem Livium: qui cum [b] sex annos ante quam ego natus sum, fabulam docuisset, Centone Tuditanoque consulibus, usque ad adolescentiam meam processit ætate. Quid de P. Licinii Crassi & pontificii, & civilis juris studio loquar? aut de hujus P. Scipionis, qui his paucis diebus pontifex maximus factus est? Atqui eos omnes, quos commemoravi, his studiis flagrantes senes vidimus. M. vero Cethegum, quem recte *Suadæ medullam* dixit Ennius, quanto studio exerceri in dicendo videbamus, etiam senem? Quæ sunt igitur epularum, aut ludorum, aut scortorum voluptates

a Lamb. *pravis fruitur rebus*

72 *Turpione*] Actore scenico, qui cum Roscio conjungitur in dialogo de Oratoribus c. 20. *Facc.*

73 *Mori videbamus in studio dimetiendi pæne cæli*] Aliter hæc verba locantur in meo codice: *videbamus in studio dimetiendi pæne mori cæli atque terræ*. Non dubito *pæne* suo excidisse loco. Pertinet ad *mori*, quod omnes norunt. Quam absurde autem, & contra rationem & usum Latine loquentium ponatur inter *dimetiendi* & *cæli* nemo non videt. Ciceronem credo scripsisse, *Mori pæne videbamus in studio dimetiendi cæli & terræ C. Gallum*. Sed hoc leve. *Græv.*

b Man. *septem annis*

cum his voluptatibus comparandæ? Atque hæc quidem ſtudia doctrinæ. Quæ quidem prudentibus & bene inſtitutis pariter cum ætate creſcunt: ut honeſtum illud Solonis ſit, quod ait verſiculo quodam, ut, ante dixi, ſeneſcere ſe multa in dies addiſcentem: qua voluptate animi nulla certe poteſt eſſe major.

XV. Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector: quæ nec ulla impediuntur ſenectute, & mihi ad ſapientis vitam proxime videntur accedere. Habent enim rationem cum terra, quæ nunquam recuſat imperium, nec unquam ſine uſura reddit, quod accepit: ſed alias minore, plerumque majore cum fœnore. Quanquam me quidem non fructus modo, ſed etiam ipſius terræ vis ac natura delectat: quæ cum gremio mollito ac ſubacto [74] ſemen ſparſum excepit; primum id occæcatum cohibet [75]; ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata eſt: deinde tepefactum vapore & compreſſu ſuo diffindit, & [76] elicit herbeſcentem ex eo viriditatem: quæ nixa fibris ſtirpium, ſenſim adoleſcit; culmoque erecta geniculato [77], vaginis jam quaſi pubeſcens includitur; e quibus cum emerſerit, fundit frugem ſpici, ordine ſtructam, & contra avium minorum morſus munitur vallo ariſtarum.

Quid ego vitium ſatus, ortus, incrementa commemorem? Satia-

74 *Gremio mollito ac ſubacto*] Eadem tralatione utitur Virgilius II. Georg.

Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt, &c. Idem.

75 *Occæcatum*] Sic in ſcriptis & excuſis olim legitur. Theodorus Gaza vero legit *occatum*, quod & poſtea Faernus probavit, & multi editores poſteriores. Sed Cicero originem vocis *occare* aperire, ac docere voluit unde *occatio* dicta eſſet. Nimitum *occare* factum eſſe per ſyncopen ab *occæcare*. Hanc opinionem Ciceronis fuiſſe ex aliorum quoque antiquorum teſtimonio intelligimus, in primis autem Sex. Pompeji eruditi ſcriptoris, qui inquit, *Occare & occationem Verrius putat ab occædendo, quod cædat grandes glebas terræ, cum Cicero venuſtiſſime dicat ab occæcando fruges ſatas*. Sed etiam Nonii Marcelli: *Occationem ab occæcatis ſeminibus, qua id efficitur, dici M. Tullius voluit de Senectute*. Eſt autem *occæcare* operire terra. Verrii etymologiam probat Varro I. de Re Ruſtica: *Vineas novellas fodere, aut arare, & poſtea occare, id eſt, comminuere, ne ſit gleba, quod ita occidunt, occare dicunt*. Ille igitur dictum putat ab *occidendo*. P. Victorius Var. Lect. lib. II. cap. 23. & lib. xxiv. cap. 12.

76 *Elicit*] Quidam legere malunt *ejicit*, nec ratione carent. *Facc.*

77 *Culmoque erecta geniculato*] *Genicula* ſunt nodi in caulibus, & culmis, quibus diſtinguuntur. Plin. xviii. cap. 7. *Genicula ſunt tritico quaterna, farri ſena, hordeo octona*. In eodem capite: *Milium & panicum in culmum geniculatum, & concavum; ſeſamum vero in ferulaceum ſc. faſtigatur*. Sic *geniculatum incrementum* apud eundem xvi. cap. 25. *Sic fit ut primo cacumina* (germinantium arborum) *impelli ſecutis appareat, geniculato incremento*. Hos nodos vocant etiam *articulos*. Columella II. cap. 12. *Cum ſeges in articulum ierit*, hoc eſt in nodum ſurgere cœperit. *Græv.*

Satiari delectatione non possum, ut meæ senectutis requietem oblectamentumque noscatis. Omitto enim vim ipsam omnium, quæ generantur e terra: quæ ex fici tantulo grano, aut ex acino vinaceo [78], aut cæterarum frugum ac stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreat. Malleoli, plantæ, sarmenta, viviradices, propagines, nonne ea efficiunt, ut quemvis cum admiratione delectent? Vitis quidem quæ natura caduca est, & nisi fulta sit, ad terram fertur; eadem, ut se erigat, claviculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur: quam serpentem multiplici lapsu & erratico, ferro amputans coercet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis, & in omnes partes nimia fundatur. Itaque ineunte vere in iis, quæ relicta sunt, exsistit tanquam ad articulos sarmentorum ea quæ gemma dicitur, a qua oriens uva sese ostendit: quæ & succo terræ, & calore solis augescens primo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit; vestitaque pampinis, nec modico tepore caret, & nimios solis defendit ardores. Qua quid potest esse tum fructu lætius, tum adspectu pulchrius? cujus quidem non utilitas me solum, ut ante dixi, sed etiam cultura, & ipsa natura delectat: adminiculorum ordines, capitum jugatio, religatio, & propagatio vitium; sarmentorumque, ea, quam dixi, aliorum amputatio, [79] aliorum immissio.

Quid ego irrigationes? quid fossiones agri, repastinationesque proferam, quibus fit multo terra fœcundior? Quid de utilitate loquar stercorandi? Dixi in eo libro, quem de rebus rusticis scripsi: de qua doctus Hesiodus ne verbum quidem fecit, cum de cultura agri scriberet. At Homerus, qui multis, ut mihi videtur, ante seculis fuit, Laertem lenientem desiderium, quod capiebat e filio, colentem agrum, & eum stercoran-

78 *Ex acino vinaceo*] Negat Isaacus Casaubonus ὁ πάνυ ad Suetonii Augustum cap. 76. *acinum* notare Latinis veteribus, *nucleum*, qui Græcis dicatur τὸ γίγαρτον: acinum esse ipsam baccam sive granum uvæ, cujus partes sint folliculus, succus, caro, nucleus: nucleum autem non *acinum* appellari in uvis. Columellam & eum secutum Palladium nucleos etiam *vinacia* vocare nove, cum vinacia potius sint στέμφυλα. Acinum quidem pro nucleo usurpari quoque, sed mutata vetere Latinitate. Idque probat testimonio Hieronymi in Esaiæ caput primum. *Idem*.

79 *Aliorum immissio*] Cum virga edita a matre sulco committitur, ut ait Columella de Arboribus c. 7. *Facc.*

corantem facit [80]. Nec vero segetibus solum, & pratis, & vineis, & arbustis res rusticæ lætæ sunt; sed etiam hortis & pomariis: tum pecudum pastu, apium examinibus, florum omnium varietate. Nec consitiones modo delectant, sed etiam insitiones: quibus nihil invenit agricultura solertius.

XVI. Possum persequi multa oblectamenta rerum rusticarum: sed ea ipsa, quæ dixi, fuisse sentio longiora. Ignoscetis autem. Nam & studio rerum rusticarum provectus sum, & senectus est natura loquacior: ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare. Ergo in hac vita M'. Curius, cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus ætatis: cujus quidem villam ego contemplans (abest enim non longe a me) admirari satis non possum vel hominis ipsius continentiam, vel temporum disciplinam [81]. Curio, ad focum sedenti, magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati ab eo sunt. Non enim aurum habere, præclarum sibi videri dixit; sed iis, qui haberent aurum, imperare. Poteratne tantus animus non jucundam efficere senectutem?

Sed venio ad agricolas, ne a me ipso recedam. In agris erant tum senatores, & iidem senes. Siquidem aranti L. Quintio Cincinnato nuntiatum est, eum dictatorem esse factum: cujus dictatoris jussu magister equitum C. Servilius Ahala Sp. Mælium regnum appetentem, occupatum interemit [82]. A villa in senatum arcessebantur & Curius, & cæteri senes, ex quo, qui eos arcessebant, *viatores* nominati sunt. Num igitur eorum senectus miserabilis fuit, qui se agri cultione oblecta-

80 *Stercorantem facit*] Non stercorantem, ἀλλὰ λιτρεύοντα καὶ ἀμφιλαχαίνοντα τὸ φυτόν. hoc est, *purgantem & ablaqueantem arbores*, inducit Laertem Odyss. ω̃. Memoriæ lapsus; nisi & seni & Catoni, ut illo seculo, rerum Græcanicarum ignorationem aliquam concedamus. Vel certe aliter in Homero lectum fuerit, quam nostra nunc habent exemplaria. *Langius*. Vide de hoc loco disputantem Guilielmum Budæum lib. V. de Asse, Brodæum Miscellan. VI. 13. & Victorium XXVIII. Var. Lect. 4. qui Ciceronem tuetur.

81 *Temporum disciplinam*] Hoc est, temporum illorum rationem, consuetudinem, & quasi legem, quæ ab omnibus servabatur. Hæc non fuissent annotata, nisi viris doctis aquam hic hæsisse constaret. *Grævius*.

82 *Occupatum interemit*] *Occupare*, est præcipere, prævenire. III. de Rep. *Quid si vita ejus in periculum veniet, ut eum aliquando necesse sit, aut occupare, aut mori?* Hujusmodi etiam protrita video annotanda esse; quia hoc qui ignorabant, locum corruperunt. *Langius*.

ctabant? Mea quidem sententia haud scio, an ulla vita beatior esse possit [83], neque solum officio, quod hominum generi universo cultura agrorum est salutaris; sed & delectatione, quam dixi, & saturitate copiaque omnium rerum, quæ ad victum hominum, ad cultum etiam deorum pertinent: ut, quoniam hæc quidam desiderant, in gratiam jam cum voluptate redeamus. Semper enim boni assiduique domini referta cella vinaria, olearia, etiam penaria est, villaque tota locuples est: abundat porco, hædo, agno, gallina, lacte, caseo, melle. Jam hortum ipsi agricolæ succidiam alteram appellant: tum conditiora facit hæc, supervacanei etiam operis [84], aucupium atque venatio.

Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum, olivetorumque specie dicam? Brevi præcidam [85]. Agro bene culto nil potest esse, nec usu uberius, nec specie ornatius: ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat atque allectat senectus. Ubi enim potest illa ætas, aut calescere vel apricatione melius, vel igni: aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius? Sibi igitur habeant arma, sibi equos [86], sibi hastas, sibi clavam, sibi pilam, sibi natationes & cursus: nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant, & tesseras: id ipsum tamen ut lubebit: quoniam sine his beata esse senectus potest.

XVII. Multas ad res, perutiles Xenophontis libri sunt. Quos

83 *An ulla* vita *beatior*] Omittunt *vita* Langius, Gruterus, Grævius: apud quos *ulla miserior* refertur ad τὸ *senectus*. Utrumvis elige:

84 *Supervacanei operis*] Id est, cui servimus tempore quasi subsicivo, cum justo & legitimo sumus defuncti opere, seu labore; quem agri cultura poscit. *Græv.*

85 *Brevi præcidam*] Sic Academic. IV. *Præcide, inquit, statue aliquando quod lubet.* VIII. ad Att. *Nunquam reo cuiquam tam humili, tam sordido, tam nocenti, tam alieno, tam præcise negavi, quam hic mihi plane sine ulla exceptione præcidit.* Fortassis dictio, *brevi*, expungi possit, ut adulterina. *Lang.* Qui præmittunt *brevi*, non capiunt vim verbi *præcido*. Alii leg. *Breviter dicam*, al. *Brevi expediam:* quæ sunt Grammaticorum explicationes in contextum traductæ. *Facc.*

86 *Sibi igitur habeant arma, sibi equos* &c.] Hæc exercitationum genera omnibus intellectu facilia sunt, præterquam quod *clava* ista nobis caput obtundit, & cerebrum excutit. Sed militaris genus exercitationis commemorari existimo, quo se ad palum gravi clava numeros omnes armaturæ implentes exercebant. Itaque milites Romani servos clavigeros habebant, qui apud comicum Plautum in Rudente, Act. III. Sc. 5. & in Mercatore, Act. V. Sc. 2. *clavatores* appellantur. Illius exercitationis ita meminit lib. I. cap. II. Vegetius: Festus quoque lib. III. Hæc & plura *Turn.* Advers. XXII. 6.

Quos legite, quæso, studiose, ut facitis. Quam copiose ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui est de tuenda re familiari, qui Œconomicus inscribitur? Atque ut intelligatis, nihil ei tam regale videri, quam studium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo, Cyrum minorem, regem Persarum, præstantem ingenio atque imperii gloria, cum Lysander Lacedæmonius, [87], vir summæ virtutis, venisset ad eum Sardis, eique dona a sociis attulisset: & cæteris in rebus comem erga Lysandrum, atque humanum fuisse [88], & ei quendam conseptum agrum, diligenter consitum ostendisse. Cum autem admiraretur Lysander & proceritates arborum, & directos [89] in quincuncem ordines, & humum subactam atque puram, & suavitatem odorum, qui afflarentur e floribus: tum eum dixisse, mirari se non modo diligentiam, sed etiam solertiam ejus, a quo essent illa dimensa atque descripta: & ei Cyrum respondisse: Atqui ego omnia ista sum dimensus; mei sunt ordines, mea descriptio; multæ etiam istarum arborum mea manu sunt satæ. Tum Lysandrum intuentem ejus purpuram, [90] & nitorem corporis, ornatumque Persicum multo auro, multisque gemmis, dixisse: Recte vero te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta est [91].

Hac

87 *Vir summæ virtutis*] Nepos non virtutem ejus laudat, sed felicitatem. Facit præterea avarum, perfidum, crudelem.

88 *Comem erga Lysandrum atque humanum fuisse*] Meus antiquissimus & Pithœan. *Communem erga Lysandrum atque humanum fuisse.* Nec dubito id in aliis quoque codicibus reperiri, sed neglectum ab eruditis fuisse, cum tamen nihil certius sit, hanc esse Tullii manum. *Communis* enim est comis, humanus, benignus, facilis erga se inferiores. Suet. in Claud. cap. 21. *Neque ullo spectaculi genere communior aut remissior erat.* Et in Vespas. cap. 22. *super cœnam autem & semper aliàs communissimus multa joco transigebat.* Utroque in loco ex libris optimis hanc scripturam asseruit Casaubonus, cum in vulgatis sit *comior* & *comissimus*, allato etiam Servii loco: *communemque vocate deum, humanum, beneficum, φιλάνθρωπον, unde & communes homines diximus.* Cicero IV. ad Fam. 9. *Eum magis communem censemus in victoria futurum fuisse, quam incertis rebus fuisset.* Vide quæ ibi notavi. Nam & hunc locum sollicitarant viri eruditi. Sic & Græcis *κοινός*. Isocrates ad Demon. *φιλόκαλός τε ἦν & μεγαλοπρεπής, & τοῖς φίλοις κοινός. Erat elegans, & splendidus, & erga amicos communis.* Græv.

89 *In quincuncem*] Arbores quincunciali ordine dispositæ, undecumque spectentur, figuram referunt illius notæ, quæ apud Latinos quinque significat, V. Ordo hic in arboribus conserendis ab omnibus rei rusticæ scriptoribus summopere laudatur. *Facc.*

90 *Et nitorem corporis*] Verba hæc abesse a veteri editione monet Manutius, neque legi in Xenophonte. Parum certe venustatis habent. *Idem.*

91 *Quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta est*] Mallem, *quoniam fortunæ tuæ virtus conjuncta est.* Philosopho erit hæc sententia dignior. Ac mihi quidem sic dicendum videtur Tullio, si Græcum interpretari voluit. *Passerat.*

Hac igitur fortuna frui licet senibus : nec ætas impedit, quo minus & cæterarum rerum, & in primis agri colendi studia teneamus usque ad ultimum tempus senectutis. M. quidem Valerium Corvum accepimus ad centesimum annum [a] perduxisse [92], cum esset acta jam ætate in agris, eosque coleret : cujus inter primum & sextum consulatum [b] sex & quadraginta anni interfuerunt. Itaque quantum spatium ætatis majores nostri ad senectutis initium esse voluerunt [93], tantus illi cursus honorum fuit. Atque ejus extrema ætas hoc beatior, quam media, quod auctoritatis plus habebat, laboris vero minus. Apex autem senectutis est auctoritas.

Quanta fuit in L. Cæcilio Metello ? quanta in Atilio Calatino ? in quem illud elogium unicum [94] : PLURIMÆ CONSENTIUNT GENTES, POPULI PRIMARIUM FUISSE VIRUM. Notum est totum carmen, incisum in sepulcro. Jure igitur gravis, cujus de laudibus omnium esset fama consentiens. Quem virum P. Crassum, nuper pontificem maximum ? quem postea M. Lepidum eodem sacerdotio præditum vidimus ? Quid de Paulo, aut Africano loquar ? aut, ut jam ante, de Maximo ? quorum non in sententia solum, sed etiam in nutu residebat

a Vict. *vitam produxisse*

92 *M. quidem Valerium Corvum accepimus ad centesimum annum perduxisse*] Possunt quærere qui in hac lectione non acquiescunt, quid hic tandem M. Valerius ad centesimum annum perduxerit. Facilis est responsio : Perduxit *agri colendi studia*, de quibus agitur. Nemini suborta esset vel mendi suspicio, vel cogitatio emendandi, si scripsisset Cicero : *illa perduxisse*. At enim pronomen si popularibus linguis assuetæ aures desiderant, sæpe boni latinitatis auctores prætermittunt. Quæ prætermissio multas peperit, ex intelligendi difficultate, & scribendi varietates, & emendandi. Etsi enim emendatores male de scriptoribus librariis sint soliti dicere, in eadem tamen utrique sunt navi, ut mutent quæ non intelligunt. Simillima hujus & gemina est phrasis, de Amicit. 10. *Atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat ineuntis ætatis, quod summi puerorum amores sæpe una cum prætexta ponerentur. Sin autem ad adolescentiam perduxissent : dirimi tamen interdum contentione*, &c. Quid enim *perduxissent ?* amores. Quid *dirimi ?* amores. Quæ vox ex antecedente phrasi est repetenda & intelligenda. *Olivetus*.

b Lamb. *acta & quadraginta*

93 *Quantum spatium ætatis majores nostri ad senectutis initium esse voluerunt*] Varro apud Censorinum de natali die : *In tertio gradu qui erant usque ad 45. annos, juvenes appellatas, eo quod remp. in re militari possunt juvare. In quarta autem ad usque sexagesimum annum, seniores esse vocitatas, quod tunc primum senescere corpus incipiat*. Græv.

94 *In quem illud elogium unum*] *Unicum* est singulare elogium sive inscriptio. *Unicus magister* apud Sueton. in Valer. Catone, est singularis & præstantissimus, & *unicus imperator*, apud eundem in Vespas. & *unice amare* Ciceroni, mirifice, præ aliis singulariter amare. *Elogium* est quævis inscriptio sive tabulæ, sive statuæ, titulus sepulchralis, epigramma. Sic inferius cap. 20. *Solonis quidem sapientis elogium est*. Hoc est, Solonis sepulchri hæc est inscriptio. *Idem*.

auctoritas. Habet senectus honorata præsertim, tantam auctoritatem, ut ea pluris sit, quam omnes adolescentiæ voluptates.

XVIII. Sed in omni oratione mementote, eam me laudare senectutem, quæ fundamentis adolescentiæ constituta sit; ex quo id efficitur, quod ego magno quondam cum assensu omnium dixi: Miseram esse senectutem, quæ se oratione defenderet. Non cani, non rugæ repente auctoritatem arripere possunt: sed honeste acta superior ætas fructus capit auctoritatis extremos.

Hæc enim ipsa sunt honorabilia, quæ videntur levia atque communia, salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, reduci, consuli: quæ & apud nos, & in aliis civitatibus, ut quæque optime morata, ita diligentissime observantur. Lysandrum Lacedæmonium, cujus modo mentionem feci, dicere ajunt solitum, Lacedæmone esse honestissimum domicilium senectutis. Nusquam enim tantum tribuitur ætati, nusquam est senectus honoratior. Quin etiam memoriæ proditum est, cum Athenis, [95] ludis, quidam in theatrum grandis natu venisset, in magno consessu locum ei a suis civibus nusquam datum: cum autem ad Lacedæmonios accessisset, qui legati cum essent, in loco certo consederant, consurrexisse omnes, & senem illum sessum recepisse. Quibus cum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex iis quendam, Athenienses scire, quæ recta essent, sed facere nolle. Multa in nostro collegio præclara: sed hoc, de quo agimus, in primis, quod, ut quisque ætate antecellit, ita sententiæ principatum tenet: neque solum honore antecedentibus, sed iis etiam, qui cum imperio sunt, majores natu augures anteponuntur. Quæ sunt igitur voluptates corporis cum auctoritatis præmiis comparandæ? quibus qui splendide usi sunt, ii mihi videntur fabulam ætatis peregisse, nec, tanquam inexercitati histriones, in extremo actu corruisse.

At sunt morosi, & anxii, & iracundi, & difficiles senes: si quærimus, etiam avari. Sed hæc, morum vitia sunt, non sene-

95 *Ludis*] Panathenaicis. *Facc.*

fenectutis. Ac morofitas tamen, & ea vitia, quæ dixi, habent aliquid excufationis, non illius quidem juftæ, fed quæ probari poffe videatur. Contemni fe putant, defpici, illudi. Præterea in fragili corpore odiofa omnis offenfio eft. Quæ tamen omnia dulciora fiunt & moribus bonis, & artibus: idque tum in vita, tum in fcena intelligi poteft ex iis fratribus, qui in Adelphis funt. Quanta in altero duritas [96], in altero comitas! Sic fe res habet. Ut enim non omne vinum, fic non omnis ætas vetuftate coacefcit. Severitatem in fenectute probo, fed eam (ficut alia) modicam: acerbitatem nullo modo. Avaritia vero fenilis quid fibi velit, non intelligo. Poteft enim quidquam effe abfurdius, quam, quo minus viæ reftat, eo plus viatici quærere?

XIX. Quarta reftat caufa, quæ maxime angere atque follicitam habere noftram ætatem videtur, appropinquatio mortis: quæ certe a fenectute non poteft longe abeffe. O miferum fenem, qui mortem contemnendam effe in tam longa ætate non viderit! quæ aut plane negligenda eft, fi omnino extinguit animum; aut etiam optanda, fi aliquo eum deducit, ubi fit futurus æternus. Atqui tertium certe nihil inveniri poteft. Quid igitur timeam, fi aut non mifer poft mortem, aut beatus etiam futurus fum?

Quanquam quis eft tam ftultus, quamvis fit adolefcens, cui fit exploratum, fe ad vefperum effe victurum? Quin etiam ætas illa multo plures, quam noftra, mortis cafus habet. Facilius in morbos incidunt adolefcentes; gravius ægrotant; triftius curantur. Itaque pauci veniunt ad fenectutem: quod ni ita accideret, melius & prudentius viveretur. Mens enim, & ratio, & confilium, in fenibus eft: qui fi nulli fuiffent, nullæ omnino civitates fuiffent. Sed redeo ad mortem impendentem. Quod illud eft crimen fenectutis, cum il-

 lud

96 *Quanta in altero duritas*] *Diritas*, ex Nonio repofui, *Lang. Diritas* edendum curavit Lampius, Nonium fecutus: & item ego olim. Sed liceat mihi dejerare, me in novem codicibus veteribus plane reperiffe fcriptum, *duritas*. idque mihi longe magis placet, quam, *diritas*: recteque opponitur *comitati*: non item, *diritas*. Præterea parciores & feveriores in filios patres, duri & ferrei dicuntur, non, *diri*. Lambin. Non improbanda effet *diritas*, nifi abnuerent omnes fere MSS. pauciffimis exceptis. Vide Victorium Var. Lect. lib. II. cap. ult. *Græv.*

lud videatis cum adolescentia esse commune? Sensi ego tum in optimo filio meo, tum in exspectatis ad amplissimam dignitatem fratribus tuis, Scipio, omni ætati mortem esse communem.

At sperat adolescens, diu se victurum: quod sperare idem senex non potest. Insipienter sperat. Quid enim stultius, quam incerta pro certis habere, falsa pro veris? Senex ne quod speret quidem habet. At est [97] eo meliore conditione, quam adolescens: cum id, quod ille sperat, hic jam consecutus est. Ille vult diu vivere: hic diu vixit. Quanquam, o dii boni! quid est in hominis vita diu? Da enim supremum tempus: exspectemus Tartessiorum regis ætatem: fuit enim (ut scriptum video) Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnavit annos, [98] centum & viginti vixit. Sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum. Cum enim id advenit; tunc illud, quod præteriit, effluxit: tantum remanet, quod virtute & recte factis consecutus sis. Horæ quidem cedunt, & dies, & menses, & anni: nec præteritum tempus unquam revertitur: nec, quid sequatur, sciri potest. Quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet esse contentus. Neque enim histrioni, ut placeat, peragenda est fabula, modo, in quocumque fuerit actu, probetur: neque sapienti usque ad *Plaudite* vivendum.

Breve enim tempus ætatis, satis est longum ad bene honesteque vivendum. Sin processeris longius, non magis dolendum est, quam agricolæ dolent, præterita verni temporis suavitate, æstatem autumnumque venisse. Ver enim, tanquam adolescentiam significat, ostenditque fructus futuros: reliqua tempora demetendis fructibus, & percipiendis accommodata sunt. Fructus autem senectutis est (ut sæpe dixi) ante partorum bonorum memoria & copia. Omnia vero, quæ secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis. Quid est autem tam secundum naturam, quam senibus emori? quod idem contingit adolescentibus, adversante & repugnante natura. Itaque adole-

97 *Eo meliore*] Fortasse particula *eo* irrepsit: non tamen movere ausim. *Facc.*

98 *Centum & viginti*] Herodotus, Lucianus, & Silius Italicus numerum augent. *Idem.*

adolefcentes mori fic mihi videntur, ut cum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur: fenes autem, ficut fua fponte, nulla adhibita vi, confumptus ignis extinguitur. Et quafi poma, ex arboribus, fi cruda funt, vi avelluntur; fi matura & cocta, decidunt: fic vitam adolefcentibus vis aufert, fenibus maturitas: quæ mihi quidem tam jucunda eft, ut, quo propius ad mortem accedam, quafi terram videre videar, aliquandoque in portum ex longa navigatione effe venturus.

XX. Omnium ætatum [99] certus eft terminus: [1] fenectutis autem nullus certus eft terminus: recteque in ea vivitur, quoad munus officii exfequi & tueri poffis; & tamen mortem contemnere. Ex quo fit, ut animofior etiam fenectus fit, quam adolefcentia, & fortior. Hoc illud eft, quod Pififtrato tyranno a Solone refponfum eft: cum illi quærenti, Qua tandem fpe fretus, fibi tam audaciter obfifteret; refpondiffe dicitur, Senectute. Sed vivendi finis eft optimus, cum integra mente, cæterifque fenfibus [2], opus ipfa fuum eadem, quæ coagmentavit, natura diffolvit. Ut navem, ut ædificium idem deftruit facillime, [3] qui conftruxit: fic hominem eadem optime, quæ conglutinavit, natura diffolvit. Jam omnis conglutinatio recens, ægre: inveterata, facile divellitur. Ita fit, ut illud breve vitæ reliquum nec avide appetendum fenibus, nec fine caufa deferendum fit: vetatque Pythagoras injuffu imperatoris, id eft, dei, de præfidio & ftatione vitæ decedere. Solonis quidem fapientis elogium eft, quo fe negat velle fuam mortem dolore amicorum & lamentis vacare. Vult, credo, fe effe carum fuis. Sed haud fcio, an melius Ennius: *Nemo*

99 *Certus eft terminus*] Habes ætatum omnium terminos, variafque de iis opiniones apud Cenforinum c. 14. Senectuti affignari non poteft, nifi tempus fignetur, quo moriendum eft. *Idem.*

1 *Senectutis autem nullus*] Olivetus & alii addunt: *certus eft terminus*: quæ explicatio non eft Ciceronis fed alicujus interpretis. *Idem.*

2 *Cæterifque fenfibus*] Manutius & Lambinus ediderunt, *certifque*. Nos, *cæteris*, cum Victorio & Grutero. Nam fi quis miretur hic *mentem* in *fenfuum* numero haberi, meminerit hanc fuiffe Stoicorum fententiam, ut patet ex Lucullo, cap. 10. *Mens ipfa, quæ fenfuum fons eft, atque etiam ipfa fenfus eft.* Olivet.

3 *Qui conftruxit*] Hic vulgo adfuitur membrum: *fic hominem eadem optime, quæ conglutinavit, natura diffolvit*. Itaque & illud interpolatores fibi fumunt, ad recte omnia colliganda, ut poft particulam *ut* addant *enim*; & *jam* vertant in *nam*. *Facc.*

Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
[4] Faxit.

Non censet lugendam esse mortem, quam immortalitas consequatur.

Jam sensus moriendi si aliquis esse potest, is ad exiguum tempus, præsertim seni: post mortem quidem sensus aut optandus, aut nullus est. Sed hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem ut negligamus: sine qua meditatione, tranquillo esse animo nemo potest. Moriendum enim certe est: & id incertum, an eo ipso die. Mortem igitur omnibus horis impendentem timens, qui poterit animo consistere? De qua non ita longa disputatione opus esse videtur, cum recorder, non solum L. Brutum, qui in liberanda patria est interfectus: non [5] duos Decios, qui ad voluntariam mortem cursum equorum incitaverunt: non M. Atilium, qui ad supplicium est profectus, ut fidem hosti datam conservaret: non duos Scipiones, qui iter Pœnis vel corporibus suis obstruere voluerunt: non avum tuum L. Paulum, qui morte luit collegæ in Cannensi ignominia temeritatem: non M. Marcellum, cujus interitum ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturæ carere passus est: sed legiones nostras (quod scripsi in Originibus) in eum sæpe locum profectas alacri animo & erecto, unde se nunquam redituras arbitrarentur. Quod igitur adolescentes, & ii quidem non solum indocti, sed etiam rustici contemnunt, id docti senes extimescent?

Omnino (ut mihi quidem videtur) studiorum omnium satietas, vitæ facit satietatem. Sunt pueritiæ certa studia: num igitur ea desiderant adolescentes? Sunt & ineuntis adolescentiæ: num ea jam constans requirit ætas, quæ media dicitur? Sunt etiam hujus ætatis: ne ea quidem quæruntur a senectute. Sunt extrema quædam studia senectutis: ergo, ut superiorum ætatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis.

Quod

4 *Faxit*] Columna in Fragm. p. 161. ex vetustissimo scribendi modo ita legit versum hunc: *Faesit. quur? volito vivo' per ora virum.* Vide Tuscul. 1. cap. 15. *Idem.*

5 *Duos Decios*] Duos facit etiam Valerius Max. in lib. 5. cap. 16. & Cicero ipse in lib. 3. Offic. cap. 4. & in Tuscul. 1. cap. 46. Attamen in eadem Tuscul. 1. cap. 37. in l. 2. de Finib. cap. 19. & alibi tres memorat, Patrem, Filium, & Nepotem. *Idem.*

Quod cum evenit, ſatietas vitæ tempus maturum mortis afſert.

XXI. Equidem non video, cur quid ipſe ſentiam de morte, non audeam vobis dicere: quod eo melius mihi cernere videor, quo ab ea propius abſum. Ego veſtros patres, P. Scipio, tuque, C. Læli, viros clariſſimos, mihique amiciſſimos, vivere arbitror: & eam quidem vitam, quæ eſt ſola vita nominanda. Nam, dum ſumus in his incluſi compagibus corporis, munere quodam neceſſitatis, & gravi opere perfungimur. Eſt enim animus cæleſtis ex altiſſimo domicilio depreſſus, & quaſi demerſus in terram, locum divinæ naturæ, æternitatique contrarium. Sed credo, deos immortales ſparſiſſe animos in corpora humana, ut eſſent, qui terras tuerentur, quique cæleſtium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitæ modo atque conſtantia. Nec me ſolum ratio ac diſputatio impulit, ut ita crederem: ſed nobilitas etiam ſummorum philoſophorum, & auctoritas.

Audiebam Pythagoram, Pythagoreoſque, [6] incolas pæne noſtros, qui eſſent Italici philoſophi quondam nominati, nunquam dubitaſſe, quin ex univerſa mente divina delibatos animos haberemus. Demonſtrabantur mihi præterea, quæ Socrates ſupremo vitæ die de immortalitate animorum diſſeruiſſet, is, qui eſſet omnium ſapientiſſimus oraculo Apollinis judicatus. Quid multa? Sic mihi perſuaſi, ſic ſentio, cum tanta celeritas animorum ſit, tanta memoria præteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tantæ ſcientiæ, tot inventa, non poſſe eam naturam, quæ res eas contineat, eſſe mortalem. Cumque ſemper agitetur animus [7], nec principium motus habeat, quia ſe ipſe moveat; ne finem quidem habiturum eſſe motus, quia nunquam ſe ipſe ſit relicturus. Et, cum ſimplex animi natura eſſet, neque haberet in ſe quidquam admiſtum diſpar ſui, atque diſſimile, non poſſe eum divi-

6 *Incolas*] Incoluerunt enim Magnam Græciam. *Idem*.

7 *Cumque ſemper agitetur animus*] Ex Phædro Platonis hoc ſumptum eſt. Hunc locum perſequitur fuſius ſub finem Somnii Scipionis, & I. Tuſcul. Vide Macrobium cap. 3. lib. II. in Somnium Scipionis, ubi hæc argumenta Platonis copioſe declarat, Ariſtotelis contraria diſſolvit argumenta. *Balduinus*.

dividi : quod si non possit, non posse interire. Magnoque esse argumento, homines scire pleraque ante quam nati sint [8], quod jam pueri, cum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci & recordari. Hæc Platonis fere.

XXII. Apud Xenophontem autem moriens Cyrus major, hæc dicit. „ Nolite arbitrari, o mihi carissimi filii, me, „ cum a vobis discessero, nusquam, aut nullum fore. Nec „ enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis: sed „ eum esse in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam, in„ telligebatis. Eundem igitur esse creditote, etiam si nullum „ videbitis.

„ Nec vero clarorum virorum post mortem honores per„ manerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quo „ diutius memoriam sui teneremus [9]. Mihi quidem nunquam „ persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mor„ talibus, vivere: cum exissent ex iis, emori: nec vero tum „ animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasis„ set: sed cum omni admixtione corporis liberatus, purus „ & integer esse cœpisset, tum esse sapientem. Atque etiam, „ cum hominis natura morte dissolvitur, cæterarum rerum „ perspicuum est, quo quæque discedant: abeunt enim illuc „ omnia, unde orta sunt: animus autem solus, nec cum „ adest, nec cum discedit, apparet. Jam vero videtis, nihil „ esse morti tam simile, quam somnum. Atqui dormientium „ animi maxime declarant divinitatem suam [10]. Multa enim, „ cum remissi & liberi sunt, futura prospiciunt. Ex quo in„ telligitur, quales futuri sint, cum se plane corporis vincu„ lis relaxaverint. Quare, si hæc ita sunt, sic me colitote

„ ut

8 *Homines scire pleraque*] Idem hoc docet fusius in Tusculana prima ex Menone & Phædone Platonis. *Idem*.

9 *Quo diutius memoriam sui teneremus*] Non videtur hæc Ciceronis manus esse: illa scripsisset, *quo diutius memoriam eorum teneremus*, nimirum clarorum virorum, & quæ animi eorum efficiunt. In uno manuscripto codice Gulielmius invenit, *quo justius memoriam sui tuerentur*. Procul dubio *tuerentur* genuinum est. Elegantiam vocis non videntur interpolatores cepisse. Nihil tamen Ciceroni frequentius, quam *tueri* pro conservare. *Græv.*

10 *Dormientium animi maxime declarant divinitatem suam*] De his pluribus disputat. I. de Divinat. *Idem*.

„ ut deum [11]. Sin una est interiturus animus cum corpore, „ vos tamen deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem „ tuentur & regunt, memoriam nostri pie inviolateque ser- „ vabitis. Cyrus quidem hæc moriens. Nos, si placet, no- „ stra videamus.

XXIII. Nemo unquam mihi, Scipio, persuadebit, aut patrem tuum Paulum, aut duos avos, Paulum & Africanum, aut Africani patrem, aut patruum, aut multos præstantes viros, quos enumerare non est necesse, tanta esse conatos, quæ ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo [12] cernerent, posteritatem ad se pertinere. An censes (ut de me ipso aliquid more senum glorier) me tantos labores diurnos nocturnosque domi militiæque suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, essem terminaturus? Nonne melius multo fuisset, otiosam ætatem, & quietam, sine ullo labore aut contentione traducere? Sed nescio quomodo animus erigens se, posteritatem semper ita prospiciebat, quasi, cum excessisset e vita, tum denique victurus esset. Quod quidem ni ita se haberet, ut animi immortales essent, haud optimi cujusque animus maxime ad immortalem gloriam niteretur.

Quid, quod sapientissimus quisque æquissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo? Nonne vobis videtur animus is, qui plus cernat & longius, videre, se ad meliora proficisci: ille autem, cujus obtusior sit acies, non videre? Equidem efferor studio patres vestros, quos colui & dilexi, videndi; neque vero eos solum convenire aveo, quos ipse cognovi; sed illos etiam, de quibus audivi, & legi, & ipse conscripsi. Quo quidem me proficiscentem haud sane quis facile retraxe-

11 *Sic me colitote ut deum*] Sapientissimus rex Cyrus, cum multa cum filiis suis de regni administratione egisset, eos ad perpetuam inter se pacem concordiamque cohortatus, tandem eos rogat, uti vel animum ipsius, tanquam immortalem reveriti, ea omnia quæ admonuerat observarent; & ut ad se etiam vita functum eam rem pertinere ostenderet, animorum immortalitatem ipsis conatur persuadere. Αἰδεῖσθαι autem, quo verbo usus est ibi Xenophon, *venerari* est, & *honore afficere*. Quis autem Cyro tribuat tam barbaram de se opinionem, ut se velit pro deo coli, atque eo loco esse, quo qui hominibus summa omnia dare potest? Sed hic ita Cicero locutus est ut in Somnio Scipionis: *Deum te igitur scito esse*, hoc est, immortalem. *Langius*.

12 *cernerent*] Iis, qui Latino sermoni dant operam, tempus hoc observandum est. *Facc.*

rit, neve tanquam Peliam recoxerit [13]: & si quis deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam, & in cunis vagiam, valde recusem: nec vero velim, quasi decurso spatio, ad carceres a calce revocari.

Quid enim habet vita commodi? quid non potius laboris? Sed habeat sane: habet certe tamen, aut satietatem, aut modum. Non libet enim mihi deplorare vitam, quod multi, & ii docti, sæpe fecerunt. Nec me vixisse pœnitet: quoniam ita vixi, ut non frustra me natum existimem: & ex hac vita ita discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit.

O præclarum diem, cum ad illud divinum animorum concilium cœtumque proficiscar, cumque ex hac turba & colluvione discedam! Proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi; sed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate præstantior: cujus a me corpus crematum est; quod contra decuit ab illo meum. Animus vero non me deserens, sed respectans, in ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum. Quem ego meum casum fortiter ferre visus sum: non quod æquo animo ferrem: sed me ipse consolabar, existimans, non longinquum inter nos digressum & discessum fore.

His mihi rebus, Scipio, (id enim te cum Lælio admirari solere dixisti) levis senectus, nec solum non molesta, sed etiam jucunda. Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, libenter erro: nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo. Sin mortuus

(ut

13 *Tanquam Peliam recoxerit*] Hoc vult Cato dicere: Non facile passurum se, ubi de vita migrandum sit, ut cum quisquam de via reprehendat atque reducat, etiam si juventutem redditum iri caverit: sed si etiam ad infantiam revocare quis velit, valde repugnaturum. *Tanquam*, pro quemadmodum, frequens est: ut in Lælio, *Ut tanquam in herbis non fallacibus* fructus appareat. Ergo tanquam *Peliam*, id est, quemadmodum Pelias fuit recoctus. Fabulam refert Diodorus lib. IV. Non admodum diversa est de Æsone Jasonis patre, quem Medea herbarum decocto juventuti reddidit. Ab his *recoctos* pro veteratoribus & callidis dicimus. *Langius*. Vide Muret. Var. Lect. VI. 10. Quidam accusant oblivionis Ciceronem, Plautum, Catullum, & Anthologiæ auctorem, quod Peliæ tribuant, quod alii de Æsone scibunt: quasi vero in fabula veritas quærenda sit. *Facc.*

(ut quidam minuti philosophi censent) nihil sentiam : non vereor, ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant. Quod si non sumus immortales futuri, tamen extingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura, ut aliarum omnium rerum, sic vivendi modum. Senectus autem, peractio ætatis est, tanquam fabulæ : cujus desatigationem fugere debemus, præsertim adjuncta satietate.

Habui hæc, de senectute quæ dicerem : ad quam utinam perveniatis, ut ea, quæ ex me audistis, re experti probare possitis.



LÆLIUS,

SIVE

DE AMICITIA.

DIALOGUS.

AD TITUM POMPONIUM ATTICUM.

I. QUINTUS Mucius augur [1] multa narrare de C. Lælio, socero suo [2] memoriter & jucunde solebat, nec dubitare, illum in omni sermone appellare sapientem. Ego autem a patre ita eram deductus ad Scævolam, sumpta virili toga, ut, quoad possem, & liceret, a senis latere nunquam discederem. Itaque multa ab eo prudenter disputata, multa etiam breviter & commode dicta, memoriæ mandabam: fierique studebam ejus prudentia doctior. Quo mortuo, me ad pontificem Scævolam contuli [3]: quem unum nostræ civitatis & ingenio, & justitia præstantissimum audeo dicere. Sed de hoc alias: nunc redeo ad augurem. Cum sæpe multa, tum memini domi in hemicyclio sedentem [4], ut solebat, cum & ego essem una & pauci admodum familiares, in eum sermonem illum incidere, qui tum fere omnibus erat in

1 *Q. Mucius*] Q. Mucius Scævola, de quo in Bruto, cap. 26. Auguris sacerdotium erat perpetuum: iccirco additur tamquam cognomen. Est autem hic Q. Mucius Scævola, qui Consul fuit anno U. C. DCXXXVII. Duxerat uxorem Læliam paternæ eloquentiæ æmulam. *Facc.*

2 *C. Lælio socero suo*] Duxerat enim ejus filiam Læliam, de qua Fabius & Cicero multis locis. Eam patris tinctam elegantia fuisse Cicero est auctor. Hæc fuit socrus Crassi oratoris, reddidisseque fertur paternam eloquentiam in dicendo elegantiorem, ut ait Fabius. *Roverius.*

3 *Ad pontificem Scævolam*] Fuit is jurisconsultus, pontifex maximus, & consul anno U. C. 658. *Grævius.*

4 *In hemicyclio*] *Hemicyclia* dicebantur mensæ semicirculares, aut etiam sedes semirotundæ, plurium sellarum capaces, in quibus solebant sedere confabulantes, in primis seniores. *Idem.*

in ore. Meministi enim, Attice, & eo magis, quod P. Sulpicio utebare multum, cum is tribunus plebis capitali odio a Q. Pompejo, qui tum erat consul [5] dissideret, quocum conjunctissime & amantissime vixerat, quanta hominum esset vel admiratio, vel querela. Itaque tum Scævola, cum in eam ipsam mentionem incidisset, exposuit nobis sermonem Lælii de amicitia, habitum ab illo secum, & cum altero genero C. Fannio, M. filio, paucis diebus post mortem Africani.

Ejus disputationis sententias memoriæ mandavi: quas in hoc libro exposui meo arbitratu. Quasi enim ipsos induxi loquentes, ne, *inquam*, &, *inquit*, sæpius interponeretur: atque ut, tanquam a præsentibus, coram haberi sermo videretur. Cum enim sæpe mecum ageres, ut de amicitia scriberem aliquid, digna mihi res cum omnium cognitione, tum nostra familiaritate, visa est. Itaque feci non invitus, ut prodessem multis tuo rogatu. Sed, ut in Catone Majore, qui est scriptus ad te de senectute, Catonem induxi senem disputantem, quia nulla videbatur aptior persona, quæ de illa ætate loqueretur, quam ejus, qui & diutissime senex fuisset, & in ipsa senectute præ cæteris floruisset: sic, cum accepissemus a patribus maxime memorabilem C. Lælii, & P. Scipionis familiaritatem fuisse [6], idonea mihi Lælii persona visa est, quæ de amicitia ea ipsa dissereret, quæ disputata ab eo meminisset Scævola.

Genus autem hoc sermonum, positum in hominum veterum auctoritate, & eorum illustrium, plus, nescio quo pacto, videtur habere gravitatis. Itaque ipse mea legens, sic afficior interdum, ut Catonem, non me, loqui existimem. Sed ut tum ad senem senex de senectute, sic hoc libro ad amicum amicissimus de amicitia scripsi. Tum est Cato locutus, quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo pruden-

5 *A Q. Pompeio, qui tum erat consul*] Cum L. Cornelio Sylla, anno U.C. DCLXV. Vide de hoc odio Vellejum Paterculum lib. II. cap. 18. & 19. De ipso Sulpicio plura leges apud Plutarchum in Sylla, & Mario. *Idem*.

6 *Memorabilem C. Lælii & P. Scipionis familiaritatem*] Vide Cic. II. de Orat. VI. Valerat. Max. VIII. 2. Vell. Paterc. II. 127. Horat. II. Sat. I. 72. *Idem*.

dentior: nunc Lælius & ſapiens (ſic enim eſt habitus) & amicitiæ gloria excellens, de amicitia loquitur. Tu velim animum a me parumper avertas, Lælium loqui ipſum putes. [7] C. Fannius, & Q. Mucius ad ſocerum veniunt poſt mortem Africani: ab his ſermo oritur: reſpondet Lælius: cujus tota diſputatio eſt de amicitia, quam legens tu te ipſe cognoſces.

II. FANNIUS. Sunt iſta, Læli. Nec enim [8] melior vir fuit Africano quiſquam, nec clarior. Sed exiſtimare debes, omnium oculos in te eſſe conjectos: unum te ſapientem & appellant & exiſtimant. Tribuebatur hoc modo M. Catoni. Scimus L. Atilium apud patres noſtros appellatum eſſe ſapientem. Sed uterque alio quodam modo: Atilius, quia [9] prudens eſſe in jure civili putabatur: Cato, quia multarum rerum uſum habebat, multaque ejus & in ſenatu, & in foro vel proviſa prudenter, vel acta conſtanter, vel reſponſa acute ferebantur: propterea quaſi cognomen jam habebat in ſenectute ſapientis. [10] Te autem alio quodam modo, non ſolum natura & moribus, verum etiam ſtudio & doctrina eſſe ſapientem: nec ſicut vulgus, ſed ut eruditi ſolent appellare ſapientem, qualem in reliqua Græcia neminem [11], (nam qui ſeptem appellantur, eos, qui iſta ſubtilius quærunt, in numero ſapientium non habent) Athenis unum accepimus,

&

7 C. *Fannius &c.*] Verba hæc uſque ad *quam legens*, videntur addita argumenti loco. Poſtea, ut Ciceronis ea eſſe appareret, adjecta ſunt illa quoque, *quam legens tu te ipſe cognoſces*; quæ quidem in nonnullis codicibus deſunt, in aliis variant. *Facc.*

8 *melior vir*] Alii tollunt *vir*. Idem.

9 *prudens*] Adhiberi pro ſciente ſolet, præſertim cum de rebus agitur, quarum eſt magis peritia, quam ſcientia. *Idem*.

10 *Te autem &c.*] Pendet a ſuperiori verbo *exiſtimant*. Nam quæ interjiciuntur, ſunt veluti parentheſi concluſa. Scioli verba alia ſuffeceeunt. Sic legendum reor: *Te autem non ſolum natura & moribus, verum etiam ſtudio & doctrina ſapientem: nec ſicut &c.* Idem.

11 *In reliqua Græcia neminem*] Hic mire variant codices. In quodam ſcriptum eſt *inveni in Græcia*. In aliis *reliqui in Græcia neminem*: quæ lectio aſpernanda non videtur. Nam Fannius, ut tradit Cicero in Bruto, ex inſtituto Lælii ſoceri ſui Panætium Athenis audierat. P. Balduinus. *Reliqua* non poteſt de magna Græcia dici, nec omnem, aut univerſam Græciam ſignificare, quæ Rogerii eſt ſententia. In Pithæano fuit: *qualem in tota Græcia reliqui neminem*. Eſt *reliqui* inculcatum a ſciolo, qui neſciebat a præcedentibus *qualem* & *neminem* pendere. Inanibus ſciolorum pannis, quos huic purpuræ intexuerunt reciſis, lectionem optimi Pithœanei codicis (*qualem in tota Græcia neminem*) ſecutus ſum. Nam quamvis Platoni aliiſque ſæpe Homerus, Sappho, Anacreon dicantur *σοφοὶ*, nulli tamen conſenſu totius populi hoc nomen peculiariter fuit datum, uti Lælio apud Romanos, aut nomen juſti Ariſtidi apud Græcos. *Grævius*.

& eum quidem etiam Apollinis oraculo sapientissimum judicatum. Hanc esse in te sapientiam existimant, ut omnia tua in te posita esse ducas, humanosque casus virtute inferiores putes. Itaque ex me quærunt, credo item ex te, Scævola, quonam pacto mortem Africani feras: eoque magis, quod his proximis Nonis [12], cum in hortos D. Bruti auguris [13], commentandi causa, ut assolet, venissemus, tu non affuisti: qui diligentissime semper illum diem, & illud munus solitus esses obire.

SCÆVOLA. Quærunt quidem, C. Læli, multi, ut est a Fannio dictum: sed ego id respondeo, quod animadverti, te dolorem, quem acceperis cum summi viri, tum amicissimi morte, ferre moderate: nec potuisse non commoveri, nec fuisse id humanitatis tuæ. Quod autem his Nonis in nostro collegio non affuisses, [14] invaletudinem causæ, non mœstitiam fuisse.

LÆLIUS. Recte tu quidem, Scævola, & vere. Nec enim ab isto officio, quod semper usurpavi, cum valerem, abduci incommodo meo debui: nec ullo casu arbitror hoc constanti homini posse contingere, ut ulla intermissio fiat officii. Tu autem, Fanni, qui mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnosco, nec postulo, facis amice: sed, ut mihi videris, non recte judicas de Catone. Aut enim nemo, quod quidem magis credo, aut, si quisquam, ille sapiens fuit. Quomodo enim (ut alia omittam) mortem filii tulit? Memineram Paulum, videram Gallum: sed hi in pueris [15]; Cato

12 *His proximis Nonis*] Cic. I. de Divinat. ait, augures Romæ commentandi, atque inter se colloquendi causa Nonis quondam congregari solitos. *Rog.* Apparet, Augures nonis adesse in collegio consuevisse; ut de rebus ad id munus pertinentibus commentarentur, non tamen certum habuisse locum, in quem convenirent. *Facc.*

13 *D. Bruti*] Videtur fuisse D. Brutus Callaicus a Gallæcis in Hispania victis cognominatus. Triumphavit enim e Gallæcia & Lusitania. *Grævius.*

14 *invaletudinem causæ*] Ita ex more loquendi Tulliano. Alii leg. *valetudinem causam.* *Facc.*

15 *Sed hi in pueris: Cato*] L. Paulus Æmilius Macedonicus cum duos filios haberet, prætextatos eos amisit, unum paucis diebus ante quam de Perse triumphavit, alterum paucioribus post. Refert Livius lib. XLV. & idem eorum mortem quanto animo tulerit. Eadem fere ætate C. Sulpicius Gallus, vir consularis & triumphalis, filio privatus est: ut hic indicat, & lib. IV. Epistolarum ad Ser. Sulpicium. *Nam & Q. Maximus*, inquit, *qui filium consularem clarum virum & magnis rebus gestis amisit; & L. Paulus, qui duos septem diebus; & noster Gallus & M. Cato,* qui,

to in perfecto & spectato viro. Quamobrem cave Catoni anteponas, ne istum quidem ipsum, quem Apollo, ut ais, sapientissimum judicavit. Hujus enim facta, illius dicta laudantur. De me autem (ut jam cum utroque loquar) sic habetote.

III. Ego, si Scipionis desiderio me moveri negem, quam id recte faciam, viderint sapientes: sed certe mentiar. Moveor enim tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo unquam erit: &, ut confirmare possum, nemo certe fuit. Sed non egeo medicina: me ipse consolor: & maxime illo solatio, quod eo errore careo, quo amicorum decessu plerique angi solent. Nihil enim mali accidisse Scipioni puto. Mihi accidit, si quid accidit. Suis autem incommodis graviter angi, non amicum, sed se ipsum amantis est.

Cum illo vero quis neget actum esse praeclare? Nisi enim, quod ille minime putabat, immortalitatem optare vellet, quid non est adeptus, quod homini fas esset optare? Qui summam spem civium, quam de eo jam puero habuerant [16], continuo adolescens incredibili virtute superavit. Qui consulatum petivit nunquam, factus est consul bis; primum ante tempus [17]: iterum sibi, suo tempore; reipubli-

qui, summo ingenio, summa virtute filium perdidit; iis temporibus fuerunt, ut eos tum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex rep. consequebantur. Hic est Gallus, quem primo libro de Offic. astrologiae studiosum tradidit. Fuit autem Laelii familiaris; & quidem natu major, ut postea videbitur, & expresse testatur Sueton. libro de Illustribus Poetis. Laelius igitur *Paulum* & *Gallum* hoc aequiore animo tulisse mortem filiorum interpretatur; quod etiam tum pueri essent, & ad remp. capessendam nondum utiles. Cato autem filium perdidit jam praetorem design. & maxima spe: cum etiam nobilissimi & fortissimi viri Pauli Macedonici filiam uxorem duxisset; in ipso videlicet limine honorum. *Laurius*.

16 *Qui summam spem civium, quam de eo jam puero habuerant*] Causa, cur tantam de illo spem conceperit populus Romanus, fuit, quod pudore, cum mores juventutis tum essent corruptissimi, omnes aequales superaret. Polybius in excerptis Peirescianis, quae Hadrianus Valesius edidit & Latine vertit, lib. xxxi. cum descripsisset depravationem juventutis illius aetatis dicit: πλὴν ὅγε Σκιπίων &c. Hoc est, vertente Henrico Valesio: P. *Scipio diversam vivendi rationem secutus, cunctisque cupiditatibus adversatus, atque in reliquo victu eundem tenorem servans, sibique ipse consentiens, pervulgatam apud omnes modestiae & continentiae laudem est adeptus priore illo quinquennio*, quo scilicet togam puram induerat. *Graevius*.

17 *Primum ante tempus*] P. Cornel. Scipio juvenis avita virtute, primum in Africa trib. mil. deinde legatus in Hispania, egregium de se specimen ediderat. Itaque in oculis coepit esse. Demum bello Punico tertio, Ignavia Imperatorum extracto, annum agens xxxvi. aedilitatem petens suo quidem tempore, consul factus est non suo. Nam curulem magistratum cum ante annum xxxvi. aetatis gerere lege annali non liceret, & gra-

blicæ [18], pæne fero. Qui, duabus urbibus eversis, inimicissimis huic imperio, non modo præsentia, verum etiam futura bella delevit. Quid dicam de moribus facillimis? de pietate in matrem [19]? liberalitate in sorores [20]? bonitate in suos [21]? justitia in omnes? Hæc nota sunt vobis. Quam autem civitati carus fuerit, mœrore funeris indicatum est. Quid igitur hunc paucorum annorum accessio juvare potuisset [22]?

gradatim magistratus peterentur, essetque necesse biennium inter singulos intercedere (quæ omnia ex oratione pro L. Manilia, & Philipp. V. colliguntur) etiam si tum ædilis factus esset, & triennio post prætor, non poterat ante annum XLII. consulatum petere. Contracta iterum per Mancini fœdus gravi populo Romano ignominia, dum quæstoriis comitiis suffragator Q. Fabio fratris sui filio, in campum descendisset, eum populus iterum cos. reduxit, inquit Valerius. Consul igitur factus est *bis*, *& quidem absens*, id est non candidatus: primum facta gratia ætatis: iterum *sibi quidem suo tempore*, hoc est sine ullo privilegio, interjectis plus XII. annis a priore consulatu. Nam cautum lege Cornelia erat, ne quis eundem magistratum ante annos decem caperet, de quo Livius lib. VII. *Reip. vero pene fero*, propter Numantinum dedecus. Hæc eo prolixius retuli, quod videam non modo hodie, sed ne olim quidem bene intellecta. De morte ejus vide Paterculum lib. II. & Jul. Maternum. *Longius*.

18 *pæne fero*] Compescuit populum furentem ex cæde Gracchi. Sed si antea Consul fuisset, poterat compescere Gracchum ipsum. *Facc.*

19 *De pietate in matrem*] Pietatem istam pulcherrime Polybius iisdem in excerptis memoriæ prodidit: πρῶτο αὐτῷ &c. Id est: *Cum mater patris ipsius adoptivi excessisset e vita, quæ Æmilii naturalis patris soror, Scipionis autem Africani cognomento majoris conjux fuerat, ipse locupletissima ejus mulieris hereditate adita, primum animi sui specimen tum edere cœpit. Quippe ante dicta mulier maximo omnis generis apparatu, in solemni matronarum pompa uti solita erat, ut quæ in Scipionis Africani matrimonio & fortuna vixisset. Nam præter muliebrem mundum, pilentique ipsius ornatum, & canistra, & pocula, ac cætera ad sacrificium necessaria, partim aurea, partim argentea, in maximis solemnitatibus circumferebat; ancillarum quoque ac servorum comitatus haudquaquam dispar erat. Universum hunc apparatum statim ab obitu Æmiliæ, id enim nomen mulieri fuit, Scipio matri suæ donavit; quæ jam pridem a L. Æmilio repudiata, arctiorem quam pro splendore generis rem familiarem habebat. Proinde cum ante a solemni pompa abesse consuevisset, tum forte publico ac celebri sacrificio progressa, cum apparatu Æmiliæ, iisdem pilento, bigis, ac mulionibus, reliquas mulieres advertit: quæ Scipionis pietatem, animique magnitudinem collaudantes, sublatis in cœlum manibus universæ P. Scipioni fausta omnia apprecabantur. Atque id cum ubique præclarum, tum Romæ admirabile videtur esse, qua in urbe nemo sponte alteri de suo quicquam donat.* Grævius.

20 *Liberalitate in sorores*] Hanc quoque in eodem loco non passus est posteros ignorare idem scriptor præstantissimus: Μετήλλαξεν ἡ μήτηρ &c. Id est: *Mater Scipionis decessit. Ex cujus bonis ille ea, quæ olim donaverat, de quibus superius dixi, non modo non recepit, sed & ea omnia, & universam matris hereditatem sororibus remisit, tametsi nulla pars hereditatis legibus ad eas pertineret. Proinde cum Scipionis sorores rursus cum ornatu paratuque Æmiliæ in solemni matronarum pompa procederent, iterum ejus in suos pietas ac magnitudo animi in memoriam famamque revocata est. His ab ineunte ætate studiis usus Scipio, modestiæ & elegantiæ famam est consecutus.* Græv.

21 *Bonitate in suos*] Hujus bonitatis in Scipionis Africani majoris filias, patris adoptivi sorores, quarum altera Tiberio Graccho, altera Scipioni Nasicæ nupserat, ut & in Fabium fratrem, exempla vide ibidem perpulchra, & Scipione dignissima. *Græv.*

22 *Quid igitur hunc paucorum annorum accessio juvare potuisset*] Mortuus est anno ætatis quinquagesimo sexto, C. Sempronio Tuditano, & M. Aquilio coss. anno U. C. DCXXIV. *Græv.*

Senectus enim, quamvis non sit gravis, ut memini Catonem anno ante quam mortuus est, mecum & cum Scipione disserere, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiam tunc erat Scipio.

Quamobrem vita quidem talis fuit, vel fortuna, vel gloria, ut nihil posset accedere: moriendi autem sensum celeritas abstulit. Quo de genere mortis difficile dictu est: quid homines [23] suspicentur, videtis. Hoc tamen vere licet dicere, P. Scipioni, ex multis diebus, quos in vita celeberrimos lætissimosque viderit, illum diem clarissimum fuisse, cum, senatu dimisso, domum reductus ad vesperum est a patribus conscriptis, a populo Romano, a sociis, & Latinis, pridie quam excessit e vita: ut ex tam alto dignitatis gradu, ad superos videatur potius, quam ad inferos pervenisse [24]. Neque enim assentior iis, qui hæc [25] nuper disserere cœperunt, cum corporibus simul animos interire, atque omnia morte deleri.

IV. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt [26]; quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur: vel eorum, qui in hac terra fuerunt, magnamque Græciam (quæ nunc quidem deleta est, tum florebat) institutis & præceptis suis erudierunt: vel ejus, qui Apollinis oraculo sapientissimus est judicatus; qui non tum hoc, tum illud, ut in plerisque, sed idem dicebat semper, animos hominum esse divinos; iisque, cum e corpore excessissent, reditum in cælum patere, optimoque & justissimo cuique expeditissimum.

Quod item Scipioni videbatur: qui quidem quasi præsagiret, perpaucis ante mortem diebus, cum & Philus [27], & Ma-

23 *suspicentur*] Suspicabantur veneno sublatum, vel vi oppressum & necatum. Victor cap. 58. Livii Epitome l. 59. *Facc.*

24 *Ad superos videatur potius*] Libri vet. omnes, *ad superos videatur deos potius, quam ad inferos pervenisse*. Langius. Sic & Pall. sex (nec non Pith.) Horat. I. Od. 10. de Mercurio: *Superis deorum Gratus & imis*. Gruterus.

25 *nuper disserere*] Hujusmodi quæstiones per otium & luxuriam excitari solent. Ineunte autem sæculo U. C. septimo ad nimiam quamdam felicitatem Roma pervenerat, excisa Carthagine. *Facc.*

26 *Qui mortuis tam religiosa jura*] Vide II. de Legibus.

27 *Philus*] Fuit is P. Furius Philus, qui cum S. Atilio Serrano consul fuit anno U. C. DCXVII. *Gravius*.

Manilius [28] adeſſent, & alii plures, tuque etiam, Scævola, mecum veniſſes, triduum diſſeruit de republica: cujus diſputationis [29] fuit extremum fere de immortalitate animorum: quæ ſe in quiete per viſum ex Africano audiſſe dicebat. Id ſi ita eſt, ut optimi cujuſque animus in morte facillime evolet, tanquam e cuſtodia vinculiſque corporis: cui cenſemus curſum ad deos faciliorem fuiſſe, quam Scipioni? Quocirca mœrere hoc ejus eventu, vereor, ne invidi magis, quam amici ſit. Sin autem illa veriora, ut idem interitus ſit animorum, & corporum, nec ullus ſenſus maneat; ut nihil boni eſt in morte, ſic certe nihil mali. Senſu enim amiſſo, fit idem, quaſi natus non eſſet omnino: quem tamen eſſe natum & nos gaudemus, & hæc civitas, dum erit, lætabitur.

Quamobrem cum illo quidem (ut ſupra dixi) actum optime eſt; mecum incommodius: quem fuerat æquius, ut prius introieram, ſic prius exire de vita. Sed tamen recordatione noſtræ amicitiæ ſic fruor, ut beate vixiſſe videar, quia cum Scipione vixerim: quocum mihi conjuncta cura de re publica, & de privata fuit; quocum & domus, & militia communis; & id, in quo eſt omnis vis amicitiæ, voluntatum, ſtudiorum, ſententiarum ſumma conſenſio. Itaque non tam iſta me ſapientiæ, quam modo Fannius commemoravit, fama delectat, falſa præſertim, quam quod amicitiæ noſtræ memoriam ſpero ſempiternam fore. Idque mihi eo magis eſt cordi, quod ex omnibus ſeculis vix tria, aut quatuor nominantur paria amicorum: quo in genere ſperare videor Scipionis & Lælii amicitiam, notam poſteritati fore.

FANNIUS. Iſtud quidem, Læli, ita neceſſe eſt: ſed, quoniam amicitiæ mentionem feciſti, & ſumus otioſi, pergratum mihi feceris, (ſpero item Scævolæ) ſi, quemadmodum ſoles, de cæteris rebus, cum ex te quæruntur; ſic de amicitia diſputaris, quid ſentias, qualem exiſtimes, quæ præcepta des.

 SCÆ-

28 *Manilius*] Fuit is M'. Manilius, juriſconſultus inſignis, cujus meminit Pomponius de Origine Juris. Conſul fuit anno U. C. DCIV. cum L. Marcio Cenſorino. *Idem*.

29 *Cujus diſputationis*] Fragmentum illud extat: cui titulus, *Somnium Scipionis*, hoc ipſo Tomo.

SCÆVOLA. Mihi vero pergratum erit: atque, id ipſum cum tecum agere conarer, Fannius antevertit. Quamobrem utrique noſtrum gratum admodum feceris.

V. LÆLIUS. Ego vero non gravarer, ſi mihi ipſe confiderem. Nam & præclara res eſt, & ſumus, ut dixit Fannius, otioſi. Sed quis ego ſum? aut quæ in me eſt facultas? Doctorum eſt iſta conſuetudo, eaque Græcorum, ut iis ponatur, de quo diſputent, quamvis ſubito. Magnum opus eſt, egetque exercitatione non parva. Quamobrem quæ diſputari de amicitia poſſunt, ab eis cenſeo petatis, qui iſta profitentur. Ego vos hortari tantum poſſum, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis. Nihil eſt enim tam naturæ aptum, tam conveniens ad res vel ſecundas, vel adverſas.

Sed hoc primum ſentio, niſi in bonis amicitiam eſſe non poſſe. Neque id ad vivum reſeco, ut illi, qui hæc ſubtilius diſſerunt: fortaſſe vere, ſed ad communem utilitatem parum. Negant enim, quemquam virum bonum eſſe, niſi ſapientem. Sit ita ſane. Sed eam ſapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo eſt conſecutus. Nos autem ea, quæ ſunt in uſu, vitaque communi, non ea, quæ finguntur, aut optantur, ſpectare debemus. Nunquam ego dicam, C. Fabricium, M'. Curium, T. Coruncanium, quos ſapientes noſtri majores judicabant, ad iſtorum normam fuiſſe ſapientes. Quare ſibi habeant ſapientiæ nomen & invidioſum, & obſcurum: concedantque, ut hi boni viri fuerint. Ne id quidem facient. Negabunt, id, niſi ſapienti, poſſe concedi.

Agamus igitur pingui Minerva, ut ajunt. Qui ita ſe gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, [30] æqualitas, liberalitas; nec ſit in illis ulla cupiditas, libido, audacia; ſintque magna conſtantia, ut ii fuerunt, modo quos nominavi: hos viros bonos, ut habiti ſunt, ſic etiam appellandos putemus; quia ſequantur (quantum homines poſſunt) naturam, optimam bene vivendi ducem. Sic enim mihi perſpicere videor, ita natos eſſe nos, ut inter omnes eſſet ſocie-

tas

30 *æqualitas*] Ideſt æquabilitas; qua ſignificatione eſt etiam apud Tacitum lib. 3. Ann. c. 26. Niſi forte legendum eſt, *æquitas*, ut quidam malunt. *Facc.*

tas quædam: major autem, ut quisque proxime [31] accederet. Itaque cives potiores, quam peregrini; & propinqui, quam alieni. Cum his enim amicitiam natura ipsa peperit: sed ea non satis habet firmitatis. Namque hoc præstat amicitia propinquitati quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest. Sublata enim benevolentia amicitiæ nomen tollitur, propinquitatis manet. Quanta autem vis amicitiæ sit, ex hoc intelligi maxime potest, quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta res est, & adducta in angustum, ut omnis caritas aut [32] inter duos, aut inter paucos jungeretur.

VI. Est autem amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia, & caritate summa consensio. Qua quidem haud scio, an, excepta sapientia, quidquam melius homini sit a diis immortalibus datum. Divitias alii præponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates. Belluarum hoc quidem extremum est: illa autem superiora, caduca & incerta, posita non tam in nostris consiliis, quam in fortunæ temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, præclare illi quidem: sed hæc ipsa virtus amicitiam & gignit, & continet: nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest.

Jam virtutem ex consuetudine vitæ sermonisque nostri interpretemur: nec eam, ut quidam docti, verborum magnificentia metiamur: virosque bonos eos, qui habentur, numeremus, Paulos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos. His communis vita contenta est. Eos autem omittamus, qui omnino nusquam reperiuntur. Tales igitur inter viros, amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere.

Principio, cui potest esse *vita vitalis*, ut ait Ennius, qui non in amici mutua benevolentia conquiescat? Quid dulcius, quam habere, quicum omnia audeas sic loqui, ut tecum? Quis

31 *accederet*] Al. *adhæreret*. Id ego libentius acciperem, si illud quoque liceret, pro *maxime* legere *magis*. Facc.

32 *inter duos*] Quæ a veteribus Græcis celebrantur amicitiæ, sunt inter duos tantum, Thesei & Pirithoi, Achillis & Patrocli, Orestis & Pyladis, Damonis & Phintiæ, Pelopidæ & Epaminondæ. V. Plutarchum περὶ πολυφιλίας. Facc.

Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æque, ac tu ipse, gauderet? Adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam, quam tu, ferret. Denique cæteræ res, quæ expetuntur, opportunæ sunt singulæ rebus fere singulis: divitiæ, ut utare: opes, ut colare: honores, ut laudere: voluptates, ut gaudeas: valetudo, ut dolore careas, & muneribus fungare corporis: amicitia res plurimas continet: quoquo te verteris, præsto est: nullo loco excluditur: nunquam intempestiva, nunquam molesta est. Itaque non aqua, non igni, ut ajunt, pluribus locis utimur, quam amicitia. Neque ego nunc de vulgari, aut de mediocri, (quæ tamen ipsa & delectat, & prodest) sed de vera & perfecta loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit. Nam & secundas res, splendidiores facit amicitia, & adversas partiens communicansque, leviores.

VII. Cumque plurimas & maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum præstat omnibus, quod bona spe prælucet in posterum [33]: nec debilitari animos, aut cadere patitur. [34] Verum etiam amicum qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur sui. Quocirca & absentes adsunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, &, quod difficilius dictu est, mortui vivunt: tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum. Ex quo illorum beata mors videtur: horum vita laudabilis. Quod si exemeris ex natura rerum benevolentiæ vinctionem; nec domus ulla, nec urbs stare poterit: ne agri quidem cultus permanebit. Id si minus intelligitur; quanta vis amicitiæ concordiæque sit, ex dissensionibus atque ex discordiis percipi potest. Quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma civitas est, quæ non odiis atque dissidiis funditus possit everti? Ex quo, quantum boni sit in amicitia, judicari potest.

Agrigentinum quidem [35], doctum quendam virum, carminibus

33 *Quod bona spe prælucet in posterum*] Ita Vict. Manut. & Grut. Sed Lambinus & Grævius, *Quod bonam spem prælucet*, ut sit translatum ab iis, qui lucem alicui præferunt, & ut Lucretius, I. 145. *præpandere lumina*.

34 *Verum etiam*] Pro *etiam* reponendum puto *enim*, quia redditur ratio cur amicus ab amico in posterum bene speret. *Facc.*

35 *Agrigentinum*] Vide Sextum Empiricum, lib. IX. adversus Physicos, cap. I.

nibus Græcis [36] vaticinatum ferunt: quæ in rerum natura totoque mundo constarent, quæque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. Atque hoc quidem omnes mortales & intelligunt, & re probant. Itaque, si quando aliquod officium exstitit amici in periculis aut adeundis, aut communicandis, quis est, qui id non maximis efferat laudibus? Qui clamores tota cavea nuper in hospitis & amici mei M. Pacuvii nova fabula! cum, ignorante rege uter eorum esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur: Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret. [37] Stantes plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera fuisse facturos? Facile indicabat ipsa natura vim suam: cum homines, quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero judicarent.

Hactenus mihi videor, de amicitia quod sentirem, potuisse dicere. Si qua præterea sunt, (credo autem esse multa) ab iis, si videbitur, qui ista disputant, quæritote.

FANNIUS. Nos autem a te potius: quanquam etiam ab istis sæpe quæsivi & audivi, non invitus equidem: sed aliud [b] quoddam expetimus filum orationis tuæ. SCÆVOLA. Tum magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, cum est de Republica disputatum, affuisses. Qualis tum patronus justitiæ fuit contra accuratam orationem Phili! FANNIUS. Facile id quidem fuit, justitiam justissimo viro defendere. SCÆVOLA. Quid amicitiam? nonne facile ei, qui ob eam summa fide, constantia, justitiaque servatam, maximam gloriam ceperit?

VIII. LÆLIUS. Vim hoc quidem est afferre. Quid enim refert, qua me [38] ratione cogatis? Cogitis certe. Studiis enim generorum, præsertim in re bona, cum difficile est, tum ne æquum quidem, obsistere. Sæpissime igitur mihi de ami-

36 *Carminibus Græcis*] Extant apud Sextum Empiricum lib. I. adversus Physicos, cap. 1.

37 *Stantes*] Al. *stantes autem*: al. *flentes*. Significat animi corporisque commotionem: ideoque ad eum locum surgebant, standoque plaudebant. *Facc.*

b Man. *quoddam expetimus filum*. Deest in aliquo veteri codice verbum hoc, nec sane est necessarium: in aliis est *expectamus*: in aliis *petimus*. Facc.

38 *ratione*] Al. *rogatione*. Et fortasse melius atque urbanius: quia leges dicebantur *rogationes* a modo quo ferebantur. *Facc.*

amicitia cogitanti, maximo illud considerandum videri solet: num propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia; [39] ut dandis recipiendisque meritis, quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio, vicissimque redderet: an esset hoc quidem proprium amicitiæ; sed antiquior, & pulchrior, & magis a natura ipsa profecta alia causa: Amor enim (ex quo amicitia nominata [40],) princeps est ad benevolentiam conjungendam. Nam utilitates quidem etiam ab iis percipiuntur sæpe, qui simulatione amicitiæ coluntur & observantur causa temporis. In amicitia autem nihil fictum, nihil simulatum; &, quidquid in ea est, id est verum & voluntarium.

Quapropter a natura mihi videtur potius, quam ab indigentia, orta amicitia, & applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis esset habitura. Quod quidem quale sit, etiam in bestiis quibusdam animadverti potest: quæ ex se natos ita amant ad quoddam tempus, & ab eis ita amantur, ut facile earum sensus appareat. Quod in homine multo est evidentius. Primum ex ea caritate, quæ est inter natos & parentes: quæ dirimi, nisi detestabili scelere, non potest [41]. Deinde, cum similis sensus exstitit amoris, si aliquem nacti sumus, cujus cum moribus & natura congruamus, quod in eo quasi lumen aliquod probitatis & virtutis perspicere videamur.

Nihil est enim amabilius virtute: nihil, quod magis alliciat homines ad diligendum: quippe cum propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodam modo diligamus [42]. Quis est, qui C. Fabricii, M'. Curii

non

39 *ut dandis recipiendisque*] Glossema est quod ex margine migravit in contextum: legendum *ut quod quisque minus* &c. *Facc.*

40 *Amor enim, ex quo amicitia*] Vide Cic. de Finibus, II. 24.

41 *Quæ dirimi nisi detestabili scelere*] Perduellionis, majestatis: ut Sp. Cassius pater filium, regni affectatorem accusavit. Brutus filios, proditores patriæ, hostes judicavit. Orestes matrem occidit ob id, quod ipsa occiderat patrem. Sic Hippolytus a Phædra apud Theseum patrem, falso incestus delatus, in gravissimum patris odium venit. Sic Cluentii in matrem odium. Vide Ciceronis Orationem pro Cluentio. *Betulejus.*

42 *Quos nunquam vidimus, quodam modo diligamus*] Negat Aristoteles hoc esse amicitiam, nisi tacitam, quæ a nobis solum proficiscatur. Esse autem benevolentiam, quæ cito nascatur, principiumque esse amicitiæ. Hoc ipsum quoque sensit Cicero. Hinc dicit, *quodam modo diligimus*. Grævius.

non cum caritate aliqua & benevolentia memoriam usurpet, quos nunquam viderit? Quis autem est, qui Tarquinium Superbum, qui Sp. Cassium [43], Sp. Mælium [44] non oderit? Cum duobus ducibus de imperio in Italia decertatum est, Pyrrho & Annibale. Ab altero, propter probitatem ejus, non nimis alienos animos habemus: alterum propter crudelitatem semper hæc civitas oderit.

IX. Quod si tanta vis probitatis est, ut eam vel in eis, quos nunquam vidimus, vel, quod majus est, in hoste etiam diligamus: quid mirum, si animi hominum moveantur, cum eorum, quibuscum usu conjuncti esse possunt, virtutem & bonitatem perspicere videantur? Quanquam confirmatur amor & beneficio accepto, & studio perspecto, & consuetudine adjuncta: quibus rebus ad illum primum motum animi & amoris adhibitis, admirabilis quædam exardescit benevolentiæ magnitudo: quam si qui putant ab imbecillitate proficisci, ut sit per quem quisque assequatur, quod desideret; humilem sane relinquunt, & minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiæ, quam ex inopia atque indigentia natam volunt.

Quod si ita esset; ut quisque minimum in se esse arbitraretur, ita ad amicitiam esset aptissimus: quod longe secus est. Ut enim quisque sibi plurimum confidit, & ut quisque maxime virtute & sapientia sic munitus est, ut nullo egeat, suaque omnia in se ipso posita judicet: ita in amicitiis expetendis colendisque maxime excellit. Quid enim Africanus indigens mei? Minime hercle. Ac ne ego quidem illius. Sed ego admiratione quadam virtutis ejus: ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit. Auxit benevolentiam consuetudo. Sed quanquam utilitates multæ & magnæ consecutæ sunt, non sunt tamen ab earum spe causæ diligendi profectæ.

[45] Ut enim benefici liberalesque sumus, non ut exigamus

43 *Sp. Cassium*] Viscellinum, de quo infra cap. 2.

44 *Sp. Mælium*] Quem novis rebus studentem Q. Servilius Ahala occidit. De quo Cicero alias non semel.

45 *Ut enim benefici &c.*] Argumentum hoc a comparatione Amicitiæ cum liberalitate reprehenditur tamquam ambiguum apud Gellium l. 17. c. 5. & defenditur. *Facc.*

gratiam, (neque enim beneficium fœneramur) ſed natura propenſi ad liberalitatem ſumus: ſic amicitiam, non ſpe mercedis adducti, ſed quod omnis ejus fructus in ipſo amore ineſt, expetendam putamus.

[46] Ab iis, qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longe diſſentimus; nec mirum: nihil enim altum, nihil magnificum ac divinum ſuſpicere poſſunt, qui ſuas omnes cogitationes abjecerunt in rem tam humilem, tamque contemptam. Quamobrem hos quidem ab hoc ſermone removeamus: ipſi autem intelligamus, natura gigni ſenſum diligendi, & benevolentiæ caritatem, facta ſignificatione probitatis: quam qui appetiverunt, applicant ſeſe & propius admovent, ut & uſu ejus, quem diligere cœperunt, fruantur, & moribus: ſintque pares in amore, & æquales: propenſioreſque ad bene merendum, quam ad repoſcendum. Atque hæc inter eos ſit honeſta certatio. Sic & utilitates ex amicitia maximæ capientur: & erit ejus ortus a natura, quam ab imbecillitate, & gravior, & verior. Nam ſi utilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata diſſolveret. Sed quia natura mutari non poteſt, idcirco veræ amicitiæ ſempiternæ ſunt. Ortum quidem amicitiæ videtis, niſi quid ad hæc forte vultis.

FANNIUS. Tu vero perge, Læli. Pro hoc enim, qui minor eſt natu, meo jure reſpondeo. SCÆVOLA. Recte tu quidem. Quamobrem audiamus.

X. LÆLIUS. Audite ergo, optimi viri, ea quæ ſæpiſſime inter me & Scipionem de amicitia diſſerebantur. Quanquam ille quidem nihil difficilius eſſe dicebat, quam amicitiam uſque ad extremum vitæ permanere. Nam, vel ut non idem expediret utrique, incidere ſæpe: vel ut de republica non idem ſentirent: mutari etiam mores hominum ſæpe dicebat, alias adverſis rebus, alias ætate ingraveſcente. Atque earum rerum exemplum ex ſimilitudine capiebat ineuntis ætatis,

46 *Ab iis &c.*] vix colligi ſententia aliqua poteſt. Legendum *At ii* &c. *longe diſſentiunt*. Ita reſtitui locum hunc ex duobus MSS. Florentinis in Bibliotheca S. Mariæ Monach. Benedictinorum. *Idem.*

tatis, quod summi puerorum amores sæpe una cum prætexta ponerentur.

Sin autem ad adolescentiam perduxissent: dirimi tamen interdum contentione, vel [47] uxoriæ conditionis, vel commodi alicujus, quod idem adipisci uterque non posset. Quod si qui longius in amicitia provecti essent, tamen sæpe labefactari, si in honoris contentionem incidissent: pestem enim majorem esse nullam in amicitiis, quam in plerisque pecuniæ cupiditatem: in optimis quibusque honoris certamen, & gloriæ: ex quo inimicitias maximas sæpe inter amicissimos exstitisse. Magna etiam dissidia, & plerumque justa nasci, cum aliquid ab amicis, quod rectum non esset, postularetur: ut aut libidinis ministri, aut adjutores essent ad injuriam. Quod qui recusarent, quamvis honeste id facerent, jus tamen amicitiæ deserere arguerentur ab iis, quibus obsequi nollent: illos autem, qui quidvis ab amico auderent postulare, postulatione ipsa profiteri, omnia se amici causa esse facturos. Eorum querela inveterata non modo familiaritates extingui solere [48], sed etiam odia gigni sempiterna. Hæc ita multa, quasi fata, impendere amicitiis, ut omnia subterfugere non modo sapientiæ, sed etiam felicitatis diceret sibi videri.

XI. Quamobrem id primum videamus, si placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat. Num, si Coriolanus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuere? num Viscellinum [49] amici regnum appetentem, num Sp. Mælium debuerunt juvare?

Tib. quidem Gracchum rempublicam vexantem, a Q. Tuberone [50], æqualibusque amicis derelictum videbamus. At

 C. Blo-

47 *uxoriæ*] cupiditate ejusdem uxoris. Ante Turnebum legebatur, *vel luxuriæ, vel conditionis*. Fortasse ipsa quoque vox *uxoriæ* addita est ad explicandum. Nam *conditio* satis significat uxorem, ut est apud Plautum Trucul. 4. 3. 75. *Idem.*

48 *Eorum querela inveterata non modo familiaritates*] Quid est *querela inveterata*? Omnino legendum, quod in Palatino secundo invenitur, nec sibi displicere Gruterus ait, *inveteratas familiaritates*, hoc est longo usu firmatas & stabilitas. *Grævius.*

49 *Viscellinum*] Sp. Cassius Viscellinus post tertium consulatum affectati regni damnatus, de saxo Tarpejo datus est. *Langius.* Varie scribitur hoc nomen: quo modo recte, quis dixerit? Nos sequimur Sigonium, & ita est in Fastis Cuspinianis. Vide ad an. CCLI.

50 *Q. Tuberone*] De quo in Bruto, cap. 30.

C. Blosius [51], Cumanus, hospes familiæ vestræ, Scævola, cum ad me, qui aderam Lænati & Rupilio consulibus in consilio, deprecatum venisset, hanc, ut sibi ignoscerem, caussam afferebat, quod tanti Tib. Gracchum fecisset, ut, quidquid ille vellet, sibi faciendum putaret; Tum ego, Etiamne, si te in Capitolium faces ferre vellet? *Nunquam*, inquit, *voluisset id quidem*. Sed, si voluisset? *Paruissem*. Videtis, quam nefaria vox. Et hercle ita fecit, vel plus etiam, quam dixit. Non enim paruit ille Tib. Gracchi temeritati, sed præfuit: nec se comitem illius furoris, sed ducem præbuit. Itaque hac amentia, quæstione nova perterritus, in Asiam profugit, [52] ad hostes se contulit, pœnas reipublicæ graves justasque persolvit. Nulla est igitur excusatio peccati, si amici caussa peccaveris. Nam, cum conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si a virtute defeceris.

Quod si rectum statuerimus, vel concedere amicis, quidquid velint, vel impetrare ab iis, quidquid velimus, perfecta quidem sapientia sumus, si nihil habeat res vitii [53]: sed loquimur de iis amicis, qui ante oculos sunt, quos videmus, aut de quibus memoriam accepimus, aut quos novit vita communis. Ex hoc numero nobis exempla sumenda sunt: & eorum quidem maxime, qui ad sapientiam proxime accedunt.

Videmus Papum Æmilium C. Luscino familiarem fuisse (sic a patribus accepimus) bis una consules, & collegas in censura: tum & cum iis, & inter se conjunctissimos fuisse, M'. Curium, & T. Coruncanium, memoriæ proditum est. Igitur ne suspicari quidem possumus, quemquam horum ab amico quippiam contendisse, quod contra fidem, contra jusjurandum, contra rempublicam esset. Nam hoc quidem in talibus viris

quid

51 C. *Blosius*] Fuit Antipatri Tarsensis discipulus. Elapsus quæstiones de Tiberii Gracchi amicis habitas, ad Aristonicum Eumenis filium, Pergami regem fugit: cujus rebus afflictis, mortem sibi conscivit. Hic notandum Nasicæ attribui a Plutarcho, quod Lælius se narrat fecisse. Ciceronem Valer. sequitur libr. IV. *Lang.*

52 *ad hostes*] Ad Aristonicum regis Eumenis filium, cujus rebus afflictis, sibi ipse manum intulit. *Facc.*

53 *Perfecta quidem sapientia sumus, si nihil habeat res vitii*] Canterus libro VII. Novar. Lect. cap. 14. legit valde probabiliter, *si simus, nihil habeat*. Idque secuti sunt Suffridus ac Lambinus; arridebatque Guilielmio, sed contra omnes MSS. tamen; quos propugnat Aldus nepos. *Grut.*

quid attinet dicere? si contendisset, scio impetraturum non fuisse; cum illi sanctissimi viri fuerint: æque autem nefas sit, tale aliquid & facere rogatum, & rogare. At vero Tib. Gracchum [54] sequebantur C. Carbo, C. Cato, & minimus [55] tum quidem Cajus frater, nunc idem acerrimus.

XII. Hæc igitur lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Turpis enim excusatio est, & minime accipienda, cum in cæteris peccatis, tum si quis contra rempublicam se amici causa fecisse fateatur. Etenim eo loco, Fanni & Scævola, locati sumus, ut nos longe prospicere oporteat futuros casus reipublicæ. Deflexit enim jam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo majorum. Tib. Gracchus regnum occupare conatus est, vel regnavit is quidem paucos menses. Num quid simile populus Romanus audierat, aut viderat? Hunc etiam post mortem secuti amici & propinqui, quid in P. Scipionem effecerint [56], sine lacrymis non

54 *At vero Tib. Gracchum*] Martialis Rogerius censet hæc verba hic non convenire, sed collocanda esse post *derelictum videbamus*, pag. 483. lin. 28. Itaque sic legit: *derelictum videbamus. Sequebantur C. Carbo, C. Cato, minime tunc quidem C. fratri, nunc idem acerrimus inimicus. At vero C. Blosius* &c.

55 *Minimus*] Locus corruptus. Dant Vict. Man. & Lamb. *minime*, quod Grævius probat, & sic interpretatur. Cajus, inquit Cicero, fratrem minime sequebatur tum, cum occideretur, (ut egregie ex antiquis monumentis docet Laugius) ideoque in voculas populi incurrebat: sed nunc idem Cajus est acerrimus partium fratris propugnator. Tribunus plebis factus est, ut etiam docet Langius, an. U. C. DCXXX. quo anno hic sermo habitus fingitur a Lælio. Gruterus vero edidit, *minimus*, hoc est, si Gulielmum audias, lenissimus, minime vehemens. Hic per ἐποχὴν comprobo. *Olivetus*. Gulielmium fefellerat ellipsis in locutione, quam Victorii habet editio. Sic enim dedit Victorius: *& minimo tunc quidem Caius frater, nunc idem acerrimus inimicus*. Hæc igitur sententia est: *Tib. Gracchum sequebantur C. Carbo, C. Cato, & Cajus frater, tunc quidem minime inimicus* (reip.) *nunc idem inimicus acerrimus*. Quæ sententia nihil habet non apprime cum historica veritate consentiens. Fuit quidem Cajus in triumviratu agraria lege constituto collega Tiberii; non tamen inimicus reipublicæ: *Obtinet crebra fama*, inquit Plutarchus in Gracchorum vita, ubi de Cajo, *impotentem eum populi ducem, & longe Tiberio ad auram popularem captandam fuisse acriorem. Cæterum non ita se res habet. Imo apparet invitum potius incidisse in reip. tractationem, quam consilio. Siquidem Cicero est auctor, omnem honorem declinanti Caio, vitamque sectanti otiosam, oblatum in somnis fratrem*. Appianus, lib. 1. B.C. narrat Cajum post fratris necem quievisse diu, atque ad petitionem tribunatus venisse demum, postea quam se intellexit ab optimatibus & senatu negligi. Quievit sane *diu*, ut Græce dicit Appianus; non *aliquantisper*, ut Latinus reddidit interpres. Si quidem tribunatum petiit anno U. C. 629. cum Tiberius periisset 620. Dixi Cajum, si triumvir fuit agris dividundis, non continuo fuisse hostem & inimicum reip. Legem enim agrariam Tiberius, ut omnes consentiunt historici, non suo ipse arbitrio conceperat, sed de sententia principum civitatis, qui sapientia & amore publicæ rei excellere credebantur. *Odinus*. Quid si, omisso *inimicus*, legas? *nunc idem fraterrimus*. Anonymus.

56 *Quid in P. Scipionem effecerint*] P. Cornelius Nasica Serapio privatus T. Gracchum occi-

non queo dicere. Nam Carbonem quoquo modo potuimus, propter recentem pœnam Tib. Gracchi [57], sustinuimus. De C. Gracchi autem tribunatu, quid exspectem, non libet augurari: serpit enim deinde res, quæ proclivius ad perniciem, cum semel cœpit, labitur. Videtis in tabella jam ante quanta sit facta labes [58], primo Gabinia lege, biennio autem post, Cassia. Videre jam videor populum a senatu disjunctum, multitudinisque arbitrio res maximas agi. Plures enim discent, quemadmodum hæc fiant, quam quemadmodum his resistatur.

Quorsum hæc? quia sine sociis nemo quidquam tale conatur. Præcipiendum est igitur bonis, ut, si in ejusmodi amicitias ignari casu aliquo inciderint, ne existiment, ita se alligatos, ut ab amicis, in magnam aliquam rem peccantibus, non discedant. Improbis autem pœna statuenda est: nec vero minor iis, qui secuti erunt alterum, quam iis, qui ipsi fuerint impietatis duces. Quis clarior in Græcia Themistocle? quis potentior? qui cum imperator bello Persico servitute Græciam liberasset, propterque invidiam in exilium pulsus esset, ingratæ patriæ injuriam non tulit, quam ferre debuit. Fecit idem, quod xx annis ante apud nos fecerat Coriolanus. His adjutor contra patriam inventus est nemo. Itaque mortem sibi uterque conscivit.

Quare talis improborum consensio non modo excusatione amicitiæ tegenda non est, sed potius omni supplicio vindicanda: ut ne quis sibi concessum putet, amicum, vel bellum patriæ inferentem, sequi. Quod quidem, ut res cœpit ire, haud scio, an aliquando futurum sit. Mihi autem non minori curæ est, qualis respublica post mortem meam futura sit, quam qualis hodie sit.

XIII. Hæc igitur prima lex amicitiæ sanciatur, ut ab amicis

occidit, & de sociis ejus quæsivit, si Plutarcho credimus: in vincula eo nomine conjectus est a P. Curiatio trib. pleb. *Cicero* in Bruto & III. de Legibus. Tandem, libera legatione in Asiam concessa, Pergami obiit. *Langius*.

57 *Propter recentem pœnam T. Gracchi*] Hoc est, ne plebs ex recente Gracchi interitu illius cæde nimium exasperaretur. *Grævius*.

58 *In tabella jam quanta sit facta labes*] *Quis non sentit*, inquit III. de Leg. cap. 16. *auctoritatem omnem optimatium tabellariam legem abstulisse?* quod multis declarat, ibid. & cap. 16. *Idem*.

micis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus. [59] Ne expectemus quidem, dum rogemur: studium semper adsit, cunctatio absit. Consilium vero * dare gaudeamus libere. Plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas: eaque adhibeatur ad monendum non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulabit: & adhibitæ pareatur.

Nam quibusdam, quos audio sapientes habitos in Græcia, placuisse opinor mirabilia quædam; sed nihil est, quod illi non persequantur suis argutiis: partim fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus: satis superque esse sibi suarum cuique rerum: alienis nimis implicari molestum esse: commodissimum esse, quam laxissimas habenas habere amicitiæ; quas vel adducas, cum velis, vel remittas. Caput enim esse ad beate vivendum, securitatem, qua frui non possit animus, si tanquam parturiat unus pro pluribus.

Alios autem dicere ajunt multo etiam inhumanius, (quem locum breviter perstrinxi paulo ante) præsidii adjumentique causa, non benevolentiæ, neque caritatis amicitias esse expetendas. Itaque ut quisque minimum firmitatis habeat, minimumque virium, ita amicitias appetere maxime. Ex eo fieri, ut mulierculæ magis amicitiarum præsidia quærant, quam viri: & inopes, quam opulenti: & calamitosi, quam ii, qui putantur beati.

O præclaram sapientiam! Solem enim e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt: qua a diis immortalibus nihil melius habemus, nihil jucundius. Quæ est enim ista securitas? specie quidem, blanda, sed reapse multis locis repudianda. Neque enim est consentaneum, ullam honestam rem, actionemve, ne sollicitus sis, aut non suscipere, aut susceptam deponere. Quod si curam fugimus, virtus fugienda est: quæ necesse est, cum aliqua cura res sibi contrarias adspernetur atque oderit; ut bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignaviam fortitudo. Itaque videas rebus injustis ju-

stos

59 *Nec expectemus*] Turbatum est aliquid in his membris: fortasse etiam unius aut alterius explicatio recepta est in contextum. *Facc.*

* *Dare*] Joannes Clericus *dari*.

ſtos maxime dolere, imbecillibus fortes, flagitioſis modeſtos. Ergo hoc proprium eſt animi bene conſtituti, & lætari bonis rebus, & dolere contrariis.

Quamobrem ſi cadit in ſapientem animi dolor, (qui profecto cadit, niſi ex ejus animo exſtirpatam humanitatem arbitremur) quæ cauſa eſt, cur amicitiam funditus tollamus e vita, ne aliquas propter eam ſuſcipiamus moleſtias? Quid enim intereſt, motu animi ſublato, non dico inter hominem & pecudem, ſed inter hominem & ſaxum, aut truncum, aut quidvis generis ejuſdem? Neque enim ſunt iſti audiendi, qui virtutem duram, & quaſi ferream eſſe quandam volunt: quæ quidem eſt cum multis in rebus, tum in amicitia, tenera atque tractabilis: ut & bonis amici quaſi diffundantur, & incommodis contrahantur. Quamobrem angor iſte, qui pro amico ſæpe capiendus eſt, non tantum valet, ut tollat e vita amicitiam: non plus, quam ut virtutes, quia nonnullas curas & moleſtias afferunt, repudientur.

XIV. Cum autem contrahat amicitiam (ut ſupra dixi) ſi qua ſignificatio virtutis eluceat, ad quam ſe ſimilis animus applicet & adjungat; id cum contingit, amor exoriatur neceſſe eſt. Quid enim tam abſurdum, quam delectari multis inanibus rebus, ut honore, ut gloria, ut ædificio, ut veſtitu cultuque corporis: animo autem virtute prædito, eo, qui vel amare, vel (ut ita dicam) redamare poſſit, non admodum delectari? Nihil eſt enim remuneratione benevolentiæ, nihil viciſſitudine ſtudiorum officiorumque jucundius.

Quod ſi etiam illud addimus, quod recte addi poteſt, nihil eſſe, quod ad ſe rem ullam tam alliciat, tam attrahat, quam ad amicitiam ſimilitudo: concedetur profecto verum eſſe, ut bonos boni diligant, adſciſcantque ſibi quaſi propinquitate conjunctos, atque natura. Nihil eſt enim appetentius ſimilium ſui, nihil rapacius, quam natura. Quamobrem hoc quidem, Fanni & Scævola, conſtat, (ut opinor) bonis inter bonos quaſi neceſſariam benevolentiam eſſe: qui eſt amicitiæ fons a natura conſtitutus. Sed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet. Non eſt enim inhumana virtus, neque

que * immunis [60], neque ſuperba : quæ etiam populos univerſos tueri, eiſque optime conſulere ſoleat : quod non faceret profecto, ſi a caritate vulgi abhorreret.

Atque etiam mihi quidem videntur, qui utilitatis cauſa fingunt amicitias, amabiliſſimum nodum amicitiæ tollere. Non enim tam utilitas parta per amicum, quam amici amor ipſe delectat : tumque illud fit, quod ab amico eſt profectum, jucundum, ſi cum ſtudio eſt profectum : tantumque abeſt, ut amicitiæ propter indigentiam colantur, ut ii, qui opibus & copiis, maximeque virtute præditi, in qua plurimum eſt præſidii, minime alterius indigeant, liberaliſſimi ſint, & beneficentiſſimi. Atque haud ſcio, an ne opus ſit quidem, nihil unquam omnino deeſſe amicis. Ubi enim ſtudia noſtra viguiſſent, ſi * nunquam conſilio, nunquam opera noſtra, nec domi nec militiæ Scipio eguiſſet ? Non igitur utilitatem amicitia, ſed utilitas amicitiam conſecuta eſt.

XV. [61] Non ergo erunt homines deliciis diffluentes audiendi, ſi quando de amicitia, quam nec uſu, nec ratione habent cognitam, diſputabant. Nam quis eſt, pro deum fidem, atque hominum ! qui velit, ut neque diligat quemquam, nec ipſe ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia vivere ? Hæc enim eſt tyrannorum vita ; in qua nimirum nulla fides, nulla caritas, nulla ſtabilis benevolentiæ poteſt eſſe fiducia : omnia ſemper ſuſpecta, atque ſollicita : nullus locus amicitiæ.

Quis enim aut eum diligat, quem metuit ; aut eum, a quo ſe metui putat ? Coluntur tamen ſimulatione duntaxat ad tempus. Quod ſi forte (ut fit plerumque) ceciderint : tum intelligitur, quam fuerint inopes amicorum. Quod Tarquinium dixiſſe ferunt, tum exulantem ſe intellexiſſe, quos fidos amicos habuiſ-

* Lamb. *inmanis*

60 *Immunis*] Expers munerum civilium, nihil conferens ad communem utilitatem. *VVolfius*. Significat : non eſt otioſa, & ſuis tantum commodis intenta, alios non curans; ſed negotioſa eſt, & extenditur, hoc enim eſt *pertinet*, & late diffunditur ad totum populum. *Grævius*. *Immunem* dixit, quod abhorreat a communi functione vitæ, quemadmodum olim philoſophi, & hodie monachi quidam. *Eraſmus*.

* Man. Lamb. *nunquam ſtudio*, *nunquam conſilio*,

61 *Non ergo &c.*] Periodus hæc, quæ incipit ut ſuperior, concluſio quædam eſt veteris Grammatici margini adſcripta, ut mihi videtur. *Facc.*

habuisset, quos infidos, cum jam neutris gratiam referre posset. Quanquam miror, illa superbia & importunitate si quemquam habere potuit. Atque ut hujus, quem dixi, mores, veros amicos parare non potuere: sic multorum opes prӕpotentium excludunt amicitias fideles. Non enim solum ipsa fortuna cӕca est, sed eos etiam plerumque efficit cӕcos, quos complexa est. Itaque efferuntur illi fere fastidio & contumacia: neque quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest.

Atque hoc quidem videre licet, eos, qui antea commodis fuerunt moribus; imperio, potestate, prosperis rebus immutari, spernique ab iis veteres amicitias, indulgere novis [62]. Quid autem stultius, quam, cum plurimum copiis, facultatibus, opibus possint, cӕtera parare, quӕ parantur pecunia, equos, famulos, vestem egregiam, vasa pretiosa: amicos non parare, optimam & pulcherrimam vitӕ, ut ita dicam, supellectilem? Etenim cӕtera cum parant, cui parent, nesciunt, nec cujus causa laborent. Ejus enim est istorum quidque, qui vincit viribus: amicitiarum sua cuique permanet stabilis & certa possessio: ut, etiam si illa maneant, quӕ sunt quasi dona fortunӕ, tamen vita inculta & deserta ab amicis non possit esse jucunda. Sed hӕc hactenus.

XVI. Constituendi autem sunt, qui sint in amicitia fines, & [63] quasi termini diligendi: de quibus tres video sententias ferri; quarum nullam probo. Unam, ut eodem modo erga amicum affecti simus, quo erga nosmet ipsos. Alteram, ut nostra in amicos benevolentia, illorum erga nos benevolentiӕ pariter ӕqualiterque respondeat. Tertiam, ut, quanti quisque se ipse facit, tanti fiat ab amicis.

Harum trium sententiarum nulli prorsus assentior. Nec enim illa prima vera est, ut, quemadmodum in se quisque, sic in amicum sit animatus. Quam multa enim, quӕ nostra causa nunquam faceremus, facimus causa amicorum? precari

ab

62 *Indulgere novis*] Ita Victorius & Gruterus. Erunt fortasse qui malint, quod est a Manutio & Lambino editum, *indulgeri novis*.

63 *Quasi termini*] excusat metaphoram; quӕ fuit Latinӕ linguӕ Ciceronis ӕvo verecundia. *Facc.*

ab indigno, supplicare: tum acerbius in aliquem invehi, insectarique vehementius: quæ in nostris rebus non satis honeste, in amicorum fiunt honestissime. Multæ quoque res sunt, in quibus de suis commodis viri boni multa detrahunt, detrahique patiuntur, ut iis amici potius, quam ipsi, fruantur.

Altera sententia est, quæ definit amicitiam paribus officiis ac voluntatibus. Hoc quidem est nimis exigue & exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum & datorum. Divitior mihi, & affluentior videtur esse vera amicitia: nec observare restricte, ne plus reddat, quam acceperit. Neque enim verendum est, ne quid excidat, aut ne quid in terram defluat, aut ne plus æquo quid in amicitiam congeratur.

Tertius vero ille finis deterrimus, ut, quanti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis. Sæpe enim in quibusdam aut animus abjectior est, aut spes amplificandæ fortunæ fractior. Non est igitur amici, talem esse in eum, qualis ille in se est: sed potius eniti & efficere, ut amici jacentem animum excitet, inducatque in spem cogitationemque meliorem.

Alius igitur finis veræ amicitiæ constituendus est, si prius, quid maxime reprehendere Scipio solitus sit, edixero. Negabat ullam vocem inimiciorem amicitiæ potuisse reperiri, quam ejus, qui dixisset, ita amare oportere, ut si aliquando esset osurus. Nec vero se adduci posse, ut hoc, quemadmodum putaretur, a [64] Biante esse dictum crederet, qui sapiens habitus esset unus e septem; sed impuri cujusdam, aut ambitiosi, aut omnia ad suam potentiam revocantis esse sententiam. Quonam enim modo quisquam amicus esse poterit, cui se putabit inimicum esse posse? Quin etiam necesse erit cupere & optare, ut quam sæpissime peccet amicus, quo plures det sibi tanquam ansas ad reprehendendum: rursum autem recte factis commodisque amicorum necesse erit angi, dolere, invidere.

Quare hoc quidem præceptum, cujuscumque est, ad tollendam amicitiam valet. Illud potius præcipiendum fuit, ut eam

Qqq 2 dili-

64 *Biante*] Gellius l. 1. c. 3. id tribuit Chiloni, qui ipse quoque unus ex septem habitus est. Sed multis tribuitur dictum hoc ex veteribus & Poetis & Philosophis. Refertur etiam ab Aristotele in l. Rhet. 2. *Facc.*

diligentiam adhiberemus in amicitiis comparandis, ut ne quando amare inciperemus eum, quem aliquando odisse possemus. Quin etiam si minus felices in deligendo fuissemus, ferendum id Scipio potius, quam inimicitiarum tempus cogitandum, putabat.

XVII. His igitur finibus utendum arbitror, ut cum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum, sine ulla exceptione communitas: ut etiam si qua fortuna acciderit, ut minus justæ amicorum voluntates adjuvandæ sint, in quibus eorum aut caput agatur, aut fama, declinandum sit de via [65], modo [66] ne summa turpitudo sequatur. Est enim quatenus amicitiæ dari venia possit. Nec vero negligenda est fama: nec mediocre telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium: quam blanditiis & [67] assentationibus colligere turpe est. Virtus, quam sequitur caritas, minime repudianda est.

Sed sæpe (redeo enim ad Scipionem, cujus omnis sermo erat de amicitia) querebatur, quod omnibus in rebus homines diligentiores essent; ut capras & oves quot quisque haberet, dicere posset: amicos quot haberet, non posset dicere: & in illis quidem parandis [68] adhibere curam, in amicis eligendis negligentes esse: nec habere quasi signa quædam, & notas, quibus eos, qui ad amicitiam essent idonei, judicarent. Sunt igitur firmi, & stabiles, & constantes eligendi; cujus generis est magna penuria: & judicare difficile est sane, nisi expertum. Experiendum autem est in ipsa amicitia. Ita præcurrit amicitia judicium, tollitque experiendi potestatem.

Est

65 *Declinandum sit de via*] Sic Cicero declinavit de via, cum Milonem amicum suum defendit, quem sciebat ea voluntate fuisse, ut Clodium occideret, si se Lanuvium ituro in via offerret: eum tamen probavit insidias non fecisse. Sic M. Antonius orator C. Norbanum, qui tribunus plebis seditionem excitarat, contra P. Sulpicium, qui majestatis eum accusavit, defendit, quia amicus ejus erat. Vide & Ciceronem in Orat. pro Murena, cap. 3. copiose de hac amicitiæ lege & jure disputantem. *Græv.*

66 *ne summa turpitudo*] Quid si non summa? Vide, ne Cicero nimio plus concedat. Gravius & serius in lib Offic. 3. cap. 10. de hac ipsa controversia. *Facc.*

67 *Assentationibus*] Al. *assentando*. Hac via colligere benevolentiam non licet, virtute licet: sed benevolentia virtute collecta melius dicitur caritas. *Idem*.

68 *Adhibere*] Subaudi verbum *ajebat*; nisi vis, infinitum hoc pendere a *querebatur*. Addo etiam, ab aliis legi *posse*, pro *posset*: qua ratione constructionis ordo & natura probabilior videtur. *Idem*.

Est igitur prudentis, sustinere, ut currum, sic impetum benevolentiæ: quo utamur * quasi equis tentatis [69], sic amicitiis, aliqua parte [70] periclitatis moribus amicorum. Quidam sæpe in parva pecunia perspiciuntur, quam sint leves: quidam, quos parva movere non potuit, cognoscuntur in magna. Sin vero erunt aliqui reperti, qui pecuniam præferre amicitiæ, sordidum existiment: ubi eos inveniemus, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes amicitiæ non anteponant? ut, cum ex altera parte proposita hæc sint, ex altera jus amicitiæ, non multo illa malint? Imbecilla enim natura est ad contemnendam potentiam: quam etiam si neglecta amicitia consecuti sunt, * obscuratum iri [71] se arbitrantur, quia non sine magna causa sit neglecta amicitia.

Itaque veræ amicitiæ difficillime reperiuntur in iis, qui in honoribus reque publica versantur. Ubi enim istum invenias, qui honorem amici anteponat suo? Quid? hæc ut omittam, quam graves, quam difficiles plerisque videntur calamitatum societates? ad quas non est facile inventu, qui descendat. Quanquam Ennius recte:

Amicus certus in re incerta cernitur:

tamen hæc duo levitatis & infirmitatis plerosque convincunt; aut si in bonis rebus contemnunt, aut si in malis deserunt.

XVIII. Qui igitur utraque in re gravem, constantem, stabilem se in amicitia præstiterit, hunc ex maxime raro hominum genere judicare debemus, & pæne divino. Firmamentum autem stabilitatis constantiæque ejus, quam in amicitia quærimus, fides est. Nihil enim stabile est, quod infidum est. Sim-

* Vict. Man. *quasi aquis tentatis* Grut. *equis temperatis*

69 *Equis tentatis*] Inepte quidam, *aquis tentatis*, legunt. *Equum tentamus*, id est, ad cursum & alia summittimus: ut periclitemur si cursu valet, si sessorem patitur, si ore contumaci non est, si versuras faciles præbet, si valet cursu, si succussor non est, & alia ejusmodi, quibus cognitis eo vel utamur, vel ipsum repudiemus. Sic amicorum mores periclitandi. *Langius*. Theognides in sententiis, ubi de eadem re, de qua hic Cicero disputat, agit, eadem usus est translatione, ut nullus dubitandi locus sit, ex illo fonte Ciceronem hoc hausisse. *Grævius*.

70 *Periclitatis*] *Probatis*. Sic restituo ex Codice Vaticano MDLXXIV. & duobus Florentinis. *Facc.*

* Vict. Lamb. *excusatum iri* Man. *excusari se*

71 *Obscuratum iri*] Putant culpam neglectæ amicitiæ honores, magistratus, potentiam obscuratura esse, & infamiam illam extinctura, quia res magni sit, propter quam amicitiam negligi non habeatur indecorum. *Græv.* Lege *excusatum*. Facc.

Simplicem præterea, & [72] communem, & consentientem, qui rebus iisdem moveatur, eligi par est: quæ omnia pertinent ad fidelitatem. Neque enim fidum potest esse multiplex ingenium, & tortuosum. Neque vero, qui non iisdem rebus movetur, & natura consentit, aut fidus, aut stabilis potest esse.

Addendum eodem est, ut ne criminibus aut inferendis delectetur, aut credat oblatis: quæ omnia pertinent ad eam, quam jamdudum tracto, constantiam. Ita fit verum illud, quod initio dixi, amicitiam, nisi inter bonos, esse non posse. Est enim boni viri (quem eundem sapientem licet dicere) hæc duo tenere in amicitia: primum, ne quid fictum sit, neve simulatum: aperte enim vel odisse, magis ingenui est, quam fronte occultare sententiam. Deinde non solum ab aliquo allatas criminationes repellere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum, semper aliquid existimantem ab amico esse violatum.

Accedat huc suavitas quædam oportet sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ. Tristitia autem, & in omni re severitas, habet illa quidem gravitatem: sed amicitia remissior esse debet, & liberior, & dulcior, & ad omnem comitatem facilitatemque proclivior.

XIX. Exsistit autem hoc loco quædam quæstio subdifficilis: num quando amici novi, digni amicitia, veteribus sint anteponendi, ut equis vetulis teneros anteponere solemus. Indigna homine dubitatio. Non enim amicitiarum esse debent, sicut aliarum rerum, satietates. Veterrima quæque (ut ea vina, quæ vetustatem ferunt) esse debent suavissima: verumque illud est, quod dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiæ munus expletum sit. Novitates autem, si spem afferunt, ut, tanquam in herbis non fallacibus, fructus appareat, non sunt illæ quidem repudiandæ: vetustas tamen suo loco conservanda est. Maxima est enim vis vetustatis & consuetudinis. Atqui in ipso equo, cujus modo mentionem feci, si nulla res impediat, nemo est, qui non eo, quo consue-

72 *Communem*] Itali dicunt *uomo alla* *Communis infimis, par principibus*. Facc. *mano, converscvole*. Nepos in Att. c. 3.

suevit, libentius utatur, quam intractato & novo: nec modo in hoc, quod est animal, sed in iis etiam, quæ sunt inanimata, consuetudo valet: cum locis etiam ipsis montuosis delectemur, & silvestribus, in quibus diutius commorati sumus.

Sed maximum est in amicitia, superiorem parem esse inferiori. Sæpe enim excellentiæ quædam sunt: qualis erat Scipionis in nostro, ut ita dicam, grege. Nunquam se ille Philo, nunquam Rupilio, nunquam Mummio antepofuit, nunquam inferioris ordinis amicis. Q. vero Maximum fratrem, egregium virum, omnino sibi nequaquam parem, quod is anteibat ætate, tanquam superiorem colebat; suosque omnes per se esse ampliores volebat. Quod faciendum imitandumque est omnibus: ut, si quam præstantiam virtutis, ingenii, fortunæ consecuti sunt, impertiant eam suis, communicentque cum proximis: ut, si parentibus nati sint humilibus, si propinquos habeant imbecilliores vel animo, vel fortuna, eorum augeant opes, eisque honori sint & dignitati: ut in fabulis, qui aliquamdiu propter ignorationem stirpis & generis in famulatu fuerint, cum cogniti sunt, & aut deorum, aut regum filii inventi, retinent tamen caritatem in pastores, quos patres multos annos esse duxerunt. Quod quidem est multo profecto magis in veris patribus certisque faciendum. Fructus enim ingenii & virtutis, omnisque præstantiæ, tum maximus capitur, cum in proximum quemque confertur.

XX. Ut igitur ii, qui sunt in amicitiæ conjunctionisque necessitudine superiores, exæquare se cum inferioribus debent: sic inferiores non dolere, se a suis amicis aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate superari. Quorum plerique aut queruntur semper aliquid, aut etiam exprobrant: eoque magis, si aliquid habere se putant, quod officiose, & amice, & cum labore aliquo suo factum queant dicere. Odiosum sane genus hominum, officia exprobrantium: quæ meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit.

Quamobrem ut ii, qui superiores sunt, summittere se debent in amicitia; sic quodam modo inferiores extollere. Sunt enim quidam, qui molestas amicitias faciunt, cum ipsi se con-

contemni putant: quod non fere contingit, nisi iis, qui etiam contemnendos se arbitrantur; qui hac opinione non modo verbis, sed etiam opere levandi sunt.

Tantum autem cuique tribuendum est, primum, quantum ipse efficere possis: deinde etiam, quantum ille, quem diligas atque adjuves, sustinere. Non enim tu possis, quantumvis licet excellas, omnes tuos ad honores amplissimos perducere: ut Scipio P. Rutilium potuit consulem efficere, fratrem ejus Lucium non potuit. Quod si etiam possis quidvis deferre ad alterum, videndum est tamen, quid ille possit sustinere.

Omnino amicitiæ, corroboratis jam, confirmatisque & ingeniis, & ætatibus, judicandæ sunt. Nec, si qui ineunte ætate venandi, aut pilæ studiosi fuerint, eos habere necessarios oportet, quos tum eodem studio præditos dilexerunt. Isto enim modo nutrices & pædagogi jure vetustatis plurimum benevolentiæ postulabunt: qui negligendi quidem non sunt, sed alio quodam modo colendi. [73] Aliter amicitiæ stabiles permanere non possunt. Dispares enim mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias: nec ob aliam causam ullam boni improbis; improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum studiorumque distantia.

Recte etiam præcipi potest in amicitiis, ne intemperata quædam benevolentia (quod persæpe fit) impediat magnas utilitates amicorum. Nec enim (ut ad fabulas redeam) Trojam Neoptolemus [74] capere potuisset, si Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lacrymis iter suum impedientem, audire voluisset. Et sæpe incidunt magnæ res, ut disce-

73 *Aliter*] nisi judicentur ingeniis confirmatis in quæ morum mutatio cadere nequeat. *Facc.*

74 *Trojam Neoptolemus*] Quod de *Neoptolemo* Lælius ait, omnes de *Achille* narrant. Itaque vel errat per memoriam Cicero: vel, quod potius credo, de industria Lælio, ut illa ætate, Græcanicarum fabularum ignorationem concedit: quod etiam in Catone Majore factum videmus; tametsi iste jam senex Græcis literis sedulam operam navaverit. Paulo post, *desiderium* significat absentiam: sed hoc protritum est. *Langius*. Achilles cum filio Neptolemo abductus est a Lycomede Ulyssis artibus. Sed fortasse scripsit Cicero *Neoptolemi p.* idest Neoptolemi pater. Id librarii non intelligentes ex *ip* fecerunt *us*. Ceterum Neoptolemus dumtaxat inter eos fuit, qui Trojam cepere: nam Achilles antea perierat. *Facc.*

discedendum sit ab amicis: quas qui impedire vult, quod desiderium non facile ferat, is & infirmus est mollisque natura, & ob eam ipsam causam in amicitia parum justus. Atque in omni re considerandum est, &, quid postules ab amico, & quid patiare a te impetrari.

XXI. Est etiam quasi quædam calamitas in amicitiis dimittendis nonnunquam necessaria: jam enim a sapientium familiaritatibus ad vulgares amicitias oratio nostra delabitur. Erumpunt sæpe vitia amicorum cum in ipsos amicos, tum in alienos; quorum tamen ad amicos redundet infamia. Tales igitur amicitiæ sunt remissione usus eluendæ, & (ut Catonem dicere audivi) dissuendæ magis, quam discindendæ: nisi quædam admodum intolerabilis injuria exarserit, ut neque rectum, neque honestum sit, neque fieri possit, ut non statim alienatio disjunctioque facienda sit.

Sin autem morum, aut studiorum commutatio quædam (ut fieri solet) facta erit, aut in reipublicæ partibus dissensio intercesserit, (loquor enim, ut paulo ante dixi, non de sapientium, sed de communibus amicitiis) cavendum erit, ne non solum amicitiæ depositæ, sed inimicitiæ etiam susceptæ videantur. Nihil enim turpius, quam cum eo bellum gerere, quicum familiariter vixeris. Ab amicitia Q. Pompeji meo nomine se removerat (ut scitis) Scipio: propter dissensionem autem, quæ erat in republica, alienatus est a collega nostro Metello [75]. Utrumque egit graviter, auctoritate, & offensione animi non acerba.

Quamobrem primum danda opera est, ne qua amicorum

75 *A collega nostro Metello*] Q. Cæcilius Metellus Macedonicus cum Q. Pompejo Rufo inimicitias acerrimas gessit. Rebus itaque in Hispania pene a se confectis, cum audisset Q. Pompejum successorem sibi mitti, victoriæ jam propemodum adeptæ palmam atque gloriam sibi præcepturum, omnes commeatum missionemque petentes dimisit, nec causis excussis: horreis custodes ademit, arcus Cretenses frangi abjiicique jussit, elephantis cibaria dari vetuit, inquit Valer. Id factum Scipionem, opinor, offendit studiosissimum reip. quod privatam simultatem in necem reip. derivasset. A Pompeji vero amicitia recessit Lælii gratia, ut hic dicitur. Cum esset enim Scipioni persamiliaris, eique promisisset pro Lælio consulatus candidato prensaturum, pro se ipse prensavit. Refert Plutarch. in Apophthegm. Id Scipionem ægre habuit, ut est simile veri. *Collegam* autem & Scipionis & suum vocat *Metellum*, quia augur erat. *Lang.*

[76] dissidia fiant. Sin tale aliquid evenerit; [77] ut extinctæ potius amicitiæ, quam oppressæ esse videantur. Cavendum vero est, ne etiam in graves inimicitias convertant se amicitiæ: e quibus jurgia, maledicta, contumeliæ gignuntur. Quæ tamen si tolerabiles erunt, ferendæ sunt, & hic honos veteri amicitiæ tribuendus est, ut is in culpa sit, qui faciat, non qui patiatur injuriam. Omnino omnium horum vitiorum atque incommodorum una cautio est, atque una provisio, ut ne nimis cito diligere incipiamus, neve indignos.

Digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis inest causa, cur diligantur. Rarum genus, (& quidem omnia præclara rara) nec quidquam difficilius, quam reperire, quod sit omni ex parte in suo genere perfectum. Sed plerique neque in rebus humanis quidquam bonum norunt, nisi quod fructuosum sit: & amicos, tanquam pecudes, eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos. Ita pulcherrima illa & maxime naturali carent amicitia, per se & propter se expetenda: nec ipsi sibi exemplo sunt, hæc vis amicitiæ qualis & quanta sit. Ipse enim se quisque diligit, non ut aliquam a se ipso mercedem exigat caritatis suæ, sed quod per se sibi quisque carus est. Quod nisi idem in amicitiam transferatur, verus amicus nunquam reperietur. Est enim is quidem tanquam alter idem.

Quod si hoc apparet in bestiis, volucribus, nantibus, agrestibus, cicuribus, feris, primum ut se ipsæ diligant: (id enim pariter cum omni animante nascitur) deinde ut requirant, atque appetant, ad quas se applicent, ejusdem generis animantes: idque faciunt cum desiderio, & cum quadam similitudine amoris humani: quanto id magis in homine fit natura, qui & se ipse diligit, & alterum anquirit, cujus animum ita cum suo commisceat, ut efficiat pæne unum ex duobus?

XXII. Sed plerique perverse, ne dicam impudenter, amicum habere talem volunt, quales ipsi esse non possunt: quæque ipsi non tribuunt amicis, hæc ab iis desiderant. Par est

autem,

76 *Dissidia*] Al. *discidia*, ut sit a verbo discindo. *Facc.*

77 *Ut extinctæ*] Res extinguuntur natura sua, opprimuntur vi. Similitudo ducitur ab igne; eaque usus est etiam in cap. 19. de Senectute. *Idem.*

autem, primum ipſum eſſe virum bonum, tum alterum ſimilem ſui quærere. In talibus ea, quam jamdudum tractamus, ſtabilitas amicitiæ confirmari poteſt: cum homines benevolentia conjuncti, primum cupiditatibus iis, quibus cæteri ſerviunt, imperabunt: deinde æquitate juſtitiaque gaudebunt, omniaque alter pro altero ſuſcipiet: neque quidquam unquam niſi honeſtum & rectum alter ab altero poſtulabit: neque ſolum colent inter ſe, ac diligent, ſed etiam verebuntur. Nam maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam.

Itaque in iis pernicioſus eſt error, qui exiſtimant, libidinum peccatorumque omnium patere in amicitia licentiam. Virtutum amicitia adjutrix a natura data eſt, non vitiorum comes: ut, quoniam ſolitaria non poſſet virtus ad ea, quæ ſumma ſunt, pervenire, [78] conjuncta & conſociata cum altera perveniret; quæ ſi quos inter ſocietas aut eſt, aut fuit, aut futura eſt, eorum eſt habendus ad ſummum naturæ bonum optimus beatiſſimuſque comitatus.

Hæc eſt, inquam, ſocietas, in qua omnia inſunt, quæ putant homines expetenda, honeſtas, gloria, tranquillitas animi, atque jucunditas: ut, cum hæc adſint, beata vita ſit, & ſine his eſſe non poſſit. Quod cum optimum maximumque ſit, ſi id volumus adipiſci, virtuti opera danda eſt: ſine qua neque amicitiam, neque ullam rem expetendam conſequi poſſumus. Ea vero neglecta, qui ſe amicos habere arbitrantur, tum ſe denique erraſſe ſentiunt, cum eos gravis aliquis caſus experiri cogit.

Quocirca (dicendum eſt enim ſæpius) cum judicaveris, diligere oportet: non cum dilexeris, judicare. Sed cum multis in rebus negligentia plectimur: tum maxime in [79] amicis & deligendis & colendis. Præpoſteris enim utimur conſiliis, & acta agimus, quod vetamur veteri proverbio. Nam implicati ultro & citro, vel uſu diuturno, vel etiam officiis, repente

78 *Conjuncta & conſociata*] Vulgo legitur *ſociata*. Conſociata autem non diſplicet, modo expellantur duæ illæ voces *cum altera*. Idem.

79 *Amicis*] Malim *amicitiis*. Si Cicero *amicis* ſcripſiſſet, non addidiſſet *colendis*. Idem.

in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione, dirumpimus.

XXIII. Quo etiam magis vituperanda est rei maxime necessariæ tanta incuria. Una est enim amicitia in rebus humanis de cujus utilitate omnes uno ore consentiunt. [80] Quanquam a multis ipsa virtus contemnitur, & venditatio quædam atque ostentatio esse dicitur: multi divitias despiciunt, quos parvo contentos tenuis victus cultusque delectat: honores vero, quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita contemnunt, ut nihil inanius, nihil levius esse existiment! itemque cætera, quæ quibusdam admirabilia videntur, permulti sunt, qui pro nihilo putent. De amicitia omnes ad unum idem sentiunt: & ii, qui ad rempublicam se contulerunt: & ii, qui rerum cognitione doctrinaque delectantur: & ii, qui suum negotium gerunt otiosi: postremo ii, qui se totos tradiderunt voluptatibus, sine amicitia vitam esse nullam sentiunt, si modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere. Serpit enim nescio quomodo per omnium vitam amicitia: nec ullam ætatis degendæ rationem patitur esse expertem sui.

Quin etiam si quis ea asperitate est, & immanitate naturæ, congressus ut hominum fugiat atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus: tamen is pati non possit, ut non anquirat aliquem [81], apud quem evomat virus acerbitatis suæ. Atque hoc maxime judicaretur, si quid tale posset contingere, ut aliquis nos deus ex hac hominum fre-

80 *Quanquam*] Minus recte. Reddit enim rationem cur dixerit unam esse amicitiam, de cujus utilitate omnes uno ore consentiunt. Legendum, *Namque*. Idem.

81 *Ut non anquirat aliquem*] Malo hic legi, *non acquirat*, seu *non adquirat*, quam, ut Langius edidit, *non anquirat*. Hoc enim significat, hominem quantumvis a societate, & congressu hominum abhorrentem, non passurum, ut non sibi aliquem concilient, comparet, adjungat, asciscat, quicum omnia sua consilia conferat, & communicet. *Anquirere* autem aliud est: est enim undique & quoquo versus quærere. Quod minus ad hunc locum, atque ad hanc sententiam, meo quidem judicio, quadrat. *Lambinus*. Recte sane hic sensit Langius: perinde enim est ac si dixisset: Is tamen pati seu durare non posset, ut non quærat aliquem, in quem evomat acerbitatis suæ virus. Pro quo dixit in cap. 21. *requirere & appetere aliquem*, & ibidem *alterum anquirit*. Sed *acquirere aliquem*, pro comparare, seu adjungere sibi aliquem, nemo Latine doctus dixerit, nedum Tullius. Omnino igitur legendum *anquirat*, quod vulgo minus tritum vocabulum ubique fere a librariis & sciolis mutatum est in *acquirat*. Gravius.

frequentia tolleret, & in solitudine uspiam collocaret, atque ibi suppeditans omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam & copiam, hominis omnino adspiciendi potestatem eriperet. Quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo?

Verum ergo illud est, quod a Tarentino Archyta, ut opinor, dici solitum, nostros senes commemorare audivi, ab aliis senibus auditum: „ Si quis in cælum ascendisset, naturamque mundi, & pulchritudinem siderum perspexisset, insuavem illam admirationem ei fore; quæ jucundissima fuisset, si aliquem, cui narraret, habuisset. Sic natura solitarium nihil amat, semperque ad aliquod tanquam adminiculum annititur: quod in amicissimo quoque dulcissimum est.

XXIV. Sed cum tot signis eadem natura declaret, quid velit, anquirat, ac desideret, obsurdescimus tamen nescio quomodo; nec ea, quæ ab ea monemur, audimus. Est enim varius & multiplex usus amicitiæ, multæque causæ suspicionum offensionumque dantur: quas tum evitare, tum elevare, tum ferre, sapientis est. Una illa sublevanda offensio est [82], ut & * utilitas in amicitia [83], & fides retineatur. Nam & monendi

82 *Una illa sublevanda offensio est*] Illa offensio, quæ necessario suscipienda est in amicitia, cum liberius monendi sunt & objurgandi amici, qui monitiones tamen ferre non possunt, sed iis offenduntur, ut & utilitatem illam capiamus ex amicitia, quam nobis illa promittit, & ut fidi simus amici, non adulatores, est minuenda. Illa autem ut sublevanda & minuenda sit, docet non longe post; nimirum, si *monitio acerbitate, objurgatio* careat *contumelia*. Cicero Orat. pro Cluentio, *Pater adolescentis, quem propter animi dolorem pertenuis suspicio potuisset ex illo loco testem in Aulum Cluentium constituere, is hunc suo testimonio sublevat*. Sic locus hic potest explicari. Ut tamen ingenue dicam, quid sentiam, videtur is non esse purus. Nam *sublevanda*, præsertim cum modo præcesserit *elevanda*, locum habere vix videtur, etsi commoda interpretatione quadam possit quasi molliri. Dein quæ est illa una offensio, quæ est sublevanda? Nusquam ejus mentio fit. In sequentibus rationem reddit, cur sit illa offensio sublevanda, uti patet ex subjecta particula *nam*. *Nam*, inquit *& monendi amici sunt*. Vereor ne aliquid exciderit vitio librariorum, neve id sine meliorum codicum ope possit restitui. *Idem*. Legendum *subeunda*, non *sublevanda* quæ vox si retineri velit, sententia laborat. Nam ceteræ offensiones, inquit Cicero, vitandæ sunt; illa subeunda, quæ oritur ex veritate, & fide. *Faie*.

* Lamb. *veritas*

83 *Ut & utilitas in amicitia*] Haud secus editiones omnes ante Lambinum, qui invitis libris substituit *veritas*. Non recte. Ceteræ, ait, offensiones vitandæ: una retinenda, quæ ex monitionibus suscipienda erit, ne fides & utilitas, quæ maxime hac in re consistunt, ab amicitia exsulent. Ea tamen sublevanda est, hoc est, mitiganda, & quod potest, lenienda comitate quadam. Hæc hujus loci sententia. *Guilielm*. Rectius Lambinus, præsertim cum duo Aldi Manutii *veritas* quoque probent. Nam sine veritate, ut in sequen-

di amici ſæpe ſunt, & objurgandi: & hæc accipienda amice, cum benevole fiunt.

Sed neſcio quomodo verum eſt, quod in Andria familiaris meus dicit:

[84] *Obſequium amicos, veritas odium parit.*

Moleſta veritas eſt, ſiquidem ex ea naſcitur odium (quod eſt venenum amicitiæ) ſed obſequium multo moleſtius, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum ferri ſinit. Maxima autem culpa in eo eſt, qui & veritatem adſpernatur, & in fraudem obſequio impellitur. Omni igitur hac in re habenda ratio & diligentia eſt: primum, ut monitio acerbitate, deinde objurgatio contumelia careat: in obſequio autem (quoniam Terentiano verbo lubenter utimur [85]) comitas adſit: aſſentatio, vitiorum adjutrix, procul amoveatur: quæ non modo amico, ſed ne libero quidem digna eſt. Aliter enim cum tyranno, aliter cum amico vivitur.

Cujus autem aures veritati clauſæ ſunt, ut ab amico verum audire nequeat, hujus ſalus deſperanda eſt. Scitum eſt enim illud * Catonis: „ Multo melius de quibuſdam acerbos „ inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: „ illos verum ſæpe dicere, hos nunquam. Atque illud abſurdum eſt, quod ii, qui monentur, eam moleſtiam, quam debent capere, non capiunt: eam capiunt, qua debent vacare. Peccaſſe enim ſe non anguntur, objurgari moleſte ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, correctione gaudere.

XXV. Ut igitur & monere, & moneri, proprium eſt veræ amicitiæ: & alterum libere facere, non aſpere; alterum patienter accipere, non repugnanter: ſic habendum eſt, nullam in amicitiis peſtem eſſe majorem, quam adulationem, blanditiam,

ſequente capite oſtendit, *amicitiæ nomen valere non poteſt*, quia ſimulatio eſt peſtis amicitiæ veræ. *Tollit enim judicium veri, idque adulterat*. Simulamus vero, ſi laudamus amicum peccantem, cum aliter animus ſentit de ejus factis, ac os præ ſe fert. *Græv.*

84 *Obſequium*] Sumitur fere pro indulgentia, *compiacenza*. Minus ſignificat apud Latinos, quam obſervantia. *Facc.*

85 *Terentiano verbo lubenter utimur*] Reprehendit Tullium Donatus, quod id verbum tribuat Terentio, tamquam primo ejus auctori, cum ante Terentium eo uſus ſit Plautus & Nævius, quamvis in Ciceronis ſententiam hoc loco inductus ſit quoque Quintilianus VIII. Inſtitut. Orat. cap. 3. Sed recte Cicero defenditur a Joachimo Camerario in notis ad primam Tuſculanam, & Parrhaſio in epiſt. 58. *Græv.*

* Lamb. Grut. *Catonis, ut multa: Melius*

ditiam, assentationem. Quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum, levium hominum atque fallacium, ad voluptatem loquentium omnia, nihil ad veritatem.

Cum autem omnium rerum simulatio est vitiosa, (tollit enim judicium veri, idque adulterat) tum amicitiæ repugnat maxime: delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest. Nam cum amicitiæ vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: qui id fieri poterit, si ne in uno quidem quoque unus animus erit, idemque semper; sed varius, commutabilis, multiplex? Quid enim potest esse tam flexibile, tam devium [86], quam animus ejus, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur?

Negat quis? nego. Ait? aio. Postremo imperavi egomet mihi,
Omnia assentari,

ut ait idem Terentius: sed ille sub Gnathonis persona: quod amici genus adhibere, omnino levitatis est. Multi autem Gnathonum similes, cum sint loco [87], fortuna, fama superiores: horum est assentatio molesta, cum ad vanitatem accessit auctoritas.

Secerni autem blandus amicus a vero, & internosci tam potest, adhibita diligentia, quam omnia fucata, & simulata a sinceris atque veris. Concio, quæ ex imperitissimis constat, tamen judicare solet, quid intersit inter popularem, id est, assentatorem & levem civem, & inter constantem, severum & gravem. Quibus blanditiis C. Papirius [88] consul nuper influe-

86 *Tam devium*] Cum hic de animo inconstante; & mutabili, qui cum quovis vento, ut velum, vertitur, loquatur Tullius, quid sibi velit *devius* non video. Qui interpretantur, tortum, multiplex, facile cuivis voci possunt quamvis affingere notionem. Mihi persuasi Ciceronem scripsisse: *Quid enim potest esse tam flexibile, tam tenerum, quam animus ejus, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur?* Plane hanc meam opinionem firmat locus iste in Oratione pro Milone: *Nihil enim est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas erga nos, sensusque civium.* Græv.

87 *Loco*] Dignitate. *Mounius*. Natalibus, genere. *Grævius*.

88 C. *Papirius*] Intelligit Cicero eam orationem quam Carbo habuit, C. Claudio, M. Perpenna coss. decem amplius annis ante suum consulatum, de qua sic in epitome Livii: *Cum C. Carbo tribun. pleb. rogationem tulisset, ut eundem tribun. pleb. quoties vellet, creari liceret, rogationem ejus P. Africanus*

fluebat in aures concionis, cum ferret legem de tribunis reficiendis? Dissuasimus nos. Sed nihil de me: de Scipione dicam libentius. Quanta illa, dii immortales! fuit gravitas? quanta in oratione majestas? Ut facile ducem populi Romani, non comitem diceres [89]. Sed affuistis: & est in manibus oratio. Itaque lex popularis suffragiis populi repudiata est. Atque, ut ad me redeam: meministis, Q. Maximo, fratre Scipionis, & L. Mancino consulibus, quam popularis lex de sacerdotiis [90] C. Licinii Crassi videbatur. Cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur [91]. Atque is primum instituit in forum versus agere cum populo [92]. Tamen illius vendibilem orationem religio deorum immortalium, nobis defendentibus, facile vincebat. Atque id actum est præto-

re

nus gravissima oratione dissuasit: in qua dixit Tib. Gracchum jure cæsum. C. Gracchus contra suasit rogationem: sed Scipio tenuit. Hujus orationis causa Africanum a Carbone occisum nocte sequente, opinio fuit. *Langius.*

89 *Ut facile ducem populi Romani, non comitem diceret*] Pithœanus egregie, inducto imperitorum hominum glossemate: *ut facile ducem populi Romani diceret.* Quid enim est *comes populi Romani? Comites regum, imperatorum*, qui & *imperatorum amici dicebantur*, hoc est consiliarii, noti sunt, ut & post divisionem imperii Romani, variorum generum *comites*: sed qui sit populi Romani comes, fateor me non intelligere. Qui illum locum in hoc libello legit, *neque se comitem hujus furoris, sed ducem præbuit*, huc quoque transtulit hanc vocem, aut ex oratione pro Marcello, *hujus rei ipse dux est & comes*: sed invito Tullio. Assentior codici optimo, in quo hæc verba non habentur. *Græv.*

90 *Lex de sacerdotiis*] Cum ante sacerdotes omnes a suis collegiis cooptarentur, lege Licinia ad populi jus hoc beneficii transferebatur. Sed ea lex Lælio dissuadente antiquata est; donec Cn. Domitius, Mario iterum, & Fimbria coss. eam resuscitavit. *Paterculus & Sueton.* in Nerone. Hæc est Lælii oratio *de Collegiis* inscripta, de qua Cicero in Bruto, cap. 21. Certe lex ista popularis non videbatur, sed omnino erat: multa videlicet in superbiam & tyrannidem nobilium sub specie sacerdotiorum auspicia omnia, atque ita universum rerum statum sibi vindicantium. *Idem.*

91. *Ad populi beneficium transferebatur*] Hoc est, potestas eos creandi in comitiis populo committebatur. Hæc vis est in voce *beneficium*. Hinc magistratus dicitur *beneficium populi*. Grævius.

92 *Versus agere cum populo*] Tributis & curiatis comitiis (nam centuriata in Campo habebantur) qui cum populo agebant, honoris ergo ad senatum & comitium versus faciem convertere, spectareque consueverant. At Crassus trib. pl. ut popularis, ad forum & populum versus constitit: ita hic Ciceronis locus accipiendus. Plutarchus non C. Crassum, sed C. Gracchum id primum ausum scribit. Quod mihi fit verisimilius, qui tantum C. Licinii in senatum contemptum alibi non legerim. De C. Graccho palam est. Facilis & proclivis lapsus Ciceronis ex una litera vel altera. Nam certe librario hic imputari nihil debet. Cicero enim hic omnino de C. Crasso, Plutarchus de C. Graccho. *Langius*. Sed erroris Tullium absolvit Steph. Pighius in Annalibus Romanorum. *Grævius*. De hoc tribuno plebis C. Licinio Crasso, M. Varronem de Re Rust. lib. I. c. a. loqui existimo, cum maxime in annorum supputatione cum Capitolinis Fastis plane consentiat. Ejus verba sunt hæc, ubi de Liciniis loquitur: *Ejusdem gentis C. Licinius tribunus plebis cum esset post reges exactos anno* CCCLXV. *primus populum ad leges accipiundas in septem jugera forensia e Comitio*

ad-

re me, quinquennio ante quam conſul ſum factus. Itaque re magis [93], quam auctoritate cauſa illa defenſa eſt.

XXVI. Quod ſi in ſcena, id eſt in concione [94], in qua rebus fictis & adumbratis loci plurimum eſt, tamen verum valet (ſi modo id patefactum & illuſtratum eſt) quid in amicitia fieri oportet, quæ tota veritate perpenditur? in qua niſi (ut dicitur) apertum pectus videas, tuumque oſtendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas: ne amare quidem, aut amari poſſis, cum id, quam vere fiat, ignores. Quanquam iſta aſſentatio quamvis pernicioſa ſit, nocere tamen nemini poteſt, niſi ei, qui eam recipit, atque ea delectatur. Ita fit, ut is aſſentatoribus patefaciat aures ſuas maxime, qui ipſe ſibi aſſentetur, & ſe maxime ipſe delectet.

Omnino eſt amans ſui virtus. Optime enim ſe ipſa novit, quamque amabilis ſit, intelligit. Ego autem non de virtute nunc loquor, ſed de virtutis opinione. Virtute enim ipſa non tam multi præditi eſſe, quam videri volunt. Hos delectat aſſentatio: his fictus ad ipſorum voluptatem ſermo cum ad-

addurit. Idem etenim omnino, quod Tullius, M. Varro memorat. Nam concionabantur leges ſuaſuri, ante Curiam in Comitio ſitam in Roſtris, quod ſuggeſtum ſive templum erat Comitio ac Romano foro conterminum, &, ut vult Aſcon. Pædianus, Curiæ prope junctum, atque propinquum adeo, ut ſenatus in Curia præſens facile intelligere omnes poſſet. Qui more majorum ſemper facie in Curiam & Comitium verſi verba facientes, cum populo agebant tam in foro, quam Comitio circum Roſtra ſtante. Hic ergo primus C. Licinius popularem legem ſenatui ingratam perferri cupiens, contra morem majorum a Comitio & ſenatu in Curia ſedenti in forum verſus verba fecit: eoque modo plebem audire volentem a Curia avertit, & e Comitio in forum, vel *ſeptem jugera forenſia* duxit, quemadmodum Varro de Re Ruſtica ſcribens, forum Romanum ruſtice vocare voluit, cujus ea tunc amplitudo vel menſura ſine Comitio fuiſſe videtur. Poſſum igitur difficulter pedibus in eorum ſententiam ire, qui volunt Ciceronem errore, quod de C. Graccho legerat, de hoc C. Craſſo tribuno plebis ſcripſiſſe, Plutarchi auctoritate in hanc opinionem ducti. An vero primus omnium Gracchus hoc fecerit, ac non potius fuerit arrogantis iſtius in ſenatum contumeliæ poſt Craſſum imitator, videat Plutarchus, & penes ipſum hominem Græcum fides maneat. *Pighius*.

93 *Re magis*] Pithœanus codex: *Itaque rei veritate magis, quam ſumma auctoritate, cauſa illa defenſa eſt*. Quod valde mihi arridet. *Rei veritas* eſt juſtitia cauſæ; qua magis, quam auctoritate virorum ſummorum ac in republica valde potentium, qui illam cauſam agebant, vicimus. Sane *rei veritate* legendum eſſe ſequentia ſatis declarant. *Grævius*.

94 *Quod ſi in ſcena, id eſt in concione*] Delevit Langius merito in editione ſua, *id eſt in concione*, quod abſurdiſſimum eſt gloſſema, niſi malis fatue dicere, quemvis conventum populi, quacumque de cauſa, dici poſſe concionem. Nullus dubito verum vidiſſe Langium; ſed tamen libris omnibus invitis, nihil auſus ſum immutare. *Idem*. Malim legere *in concione, ideſt in ſcena*: quaſi dicat: quod ſi in concione, quæ eſt veluti ſcena, &c. *Facc.*

adhibetur, orationem illam vanam, testimonium esse laudum suarum putant. Nulla est igitur hæc amicitia, cum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus est. Nec parasitorum in comœdiis assentatio nobis faceta videretur, [95] nisi essent milites gloriosi.

Magnas vero agere gratias Thais mihi?

Satis erat respondere, *magnas*: *ingentes*, inquit. Semper auget assentator id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult esse magnum.

Quamobrem, quamvis blanda ista vanitas apud eos valeat, qui ipsi illam allectant & invitant: tamen etiam graviores constantioresque admonendi sunt, ut animum advertant, ne callida assentatione capiantur. Aperte enim adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors. Callidus ille & occultus ne se insinuet, studiose cavendum est. Nec enim facillime agnoscitur, quippe qui etiam adversando sæpe assentetur: & litigare se simulans, blandiatur, atque ad extremum det manus, vincique se patiatur: ut is, qui illusus sit, plus vidisse videatur. Quid autem turpius, quam illudi? Quod ne accidat, [96] magis cavendum est, ut in Epiclero [97].

Hodie me ante omnes comicos stultos senes
Versaris, atque luseris [98] *lautissime.*

Hæc enim etiam in fabulis stultissima persona est improvidorum

95 *nisi essent*] Assentatores non viderentur faceti, nisi essent milites gloriosi, qui assentationi credulas præberent aures. *Idem*.

96 *magis cavendum*.] Ego sustuli particulam *magis* tum ratione, tum ex fide trium MSS. *Idem*.

97 *in Epiclero*] De comicis senibus vide P. Vict. Var. Lect. VIII. 12. Est autem *Epiclerus* Virgo dotalis, quam inducit in scenam Cæcilius. Hic ipse Comœdiæ titulus est. Alii codices MSS. habent, *ut si hodie &c.* atque ita legendum crediderim. Nam τὸ *in Epiclero* additum videtur ab aliquo enarratore. *Idem*.

98 *Atque luseris*] Ego censeo veram scripturam Pacuvii retinuisse Palatinum primum, *versaris, atque unxeris lautissime*. Utrumque verbum translatum est a piscibus, qui, cum assantur, versantur & unguntur. Accepit a Pacuvio Plautus, aut uterque potius e Græco Comico. Hic sane in Asinar. I. 3. 26.

Quasi piscis, itidem est amator lenæ; nequam est, nisi recens.
Is habet succum, is suavitatem: eum quo vis pacto condias;
Vel patinarium, vel assum: verses, quo pacto lubet.

Exemplum senis, qui versatur & laute ungitur, est in Nicobulo, apud eundem comicum Bacchid. actu IV. idque illi ibidem in scena V. minatur servus:

Versabo ego illum hodie, si vivo, probe.
Tam frictum ego illum reddam, quam frictus est cicer.

Sicut a læna dicitur condiri amator & versari, senex a nequam servo *versari*, & *frigi*; sic hic a Pacuvio senes Comici dicuntur *versari & laute ungi*. Grævius.

rum & credulorum ſenum. Sed neſcio quo pacto ab amicitiis perfectorum hominum, id eſt, ſapientium (de hac dico ſapientia, quæ videtur in hominem cadere poſſe) ad leves amicitias deflexit oratio. Quamobrem ad illa prima redeamus, eaque ipſa concludamus aliquando.

XXVII. Virtus, virtus, inquam, C. Fanni, &, tu, Q. Muci, & conciliat amicitias, & conſervat. In ea eſt enim convenientia rerum, in ea ſtabilitas, in ea conſtantia: quæ cum ſe extulit, & oſtendit lumen ſuum, & idem adſpexit agnovitque in alio; ad id ſe admovet, viciſſimque accipit illud, quod in altero eſt: ex quo eorum exardeſcit ſive amor, ſive amicitia. Utrumque enim dictum eſt ab amando. Amare autem nihil aliud eſt, niſi eum ipſum diligere, quem ames, [99] nulla indigentia, nulla utilitate quæſita: quæ tamen ipſa effloreſcit ex amicitia, etiam ſi tu eam minus ſecutus ſis.

Hac nos adoleſcentes benevolentia ſenes illos L. Paulum [1], M. Catonem [2], C. Gallum [3], P. Naſicam [4], Tib. Gracchum [5], Scipionis noſtri ſocerum, diligimus. Hæc etiam magis elucet inter æquales, ut inter me & Scipionem, L. Furium, P. Rupilium, Sp. Mummium. Viciſſim autem ſenes in adoleſcentium caritate acquieſcimus; ut ego in veſtra, ut in Q. Tuberonis [6]. Equidem etiam admodum adoleſcentis, P. Ru-

99 *nulla indigentia*] Hæc duo verba addidere quidam ad explicationem eorum quæ ſequuntur. *Facc.*

1 *L. Paulum*] Fuit is filius Pauli ejus qui conſul in Cannenſi ignominia periit. *Rogerius.*

2 *M. Catonem*] Is eſt familiæ princeps, conſularis & cenſorius vir, cujus collega fuit Flaccus. *Idem.*

3 *Gallum*] C. Sulpicium Gallum, aſtrologum, qui conſul fuit cum Marcello. *Idem.*

4 *Naſicam*] P. Cornelium Scipionem Naſicam. Ejus filius fuit P. Cornelius Scipio Naſica, his conſul, ob ſapientiam *Corculum* dictus. *Idem.*

5 *Tib. Gracchum*] Fuit hic pater Gracchorum. Pater ejus bis conſulatum geſſit. Duxit Corneliam minorem Africani majoris filiam. *Idem.*

6 *Q. Tuberonis*] Q. Ælius Q. F. Tubero, L. Pauli Macedonici ex filia nepos, vivo avo ſuo præturam petens, repulſam tulit: ut Cicero in Bruto & pro Murena teſtatur, & Valer. lib. VII. Debuit autem per legem annalem tum minimum triginta octo annorum eſſe. Paulus vero eſt mortuus anno poſt U. C. DXC. a quo anno uſque in priorem C. Gracchi tribunatum, de quo hic ſermo habetur, anni ſunt XL. Quomodo igitur adoleſcens Q. Tubero? Viderit Cicero an exacte rationem temporum duxerit. Nam quem alium Q. Tuberonem intelligere poſſit, nondum deprehendi, niſi quis conjiciat hujus aliquem filium Quintum etiam fuiſſe, vel certe pro *Q.* hic *L.* legendum. L. enim Tu-

tilii Virginii [7] familiaritate delector. Quoniamque ita ratio comparata est vitæ, naturæque nostræ, ut alia ætas oriatur; maxime quidem optandum est, [8] ut cum æqualibus possis, quibuscum tanquam e carceribus emissus sis, cum iisdem ad calcem, ut dicitur, pervenire. Sed quoniam res humanæ fragiles caducæque sunt, semper aliqui anquirendi sunt, quos diligamus, & a quibus diligamur. Caritate enim, benevolentiaque sublata omnis est e vita sublata jucunditas. Mihi quidem Scipio, quanquam est subito ereptus, vivit tamen, semperque vivet: virtutem enim amavi illius viri, quæ extincta non est. Nec mihi soli versatur ante oculos, qui illam semper in manibus habui, sed etiam posteris erit clara & insignis. Nemo unquam animo, aut spe majora suscipiet, qui sibi non illius memoriam atque imaginem proponendam putet.

Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna, aut natura tribuit, nihil habeo, quod cum amicitia Scipionis possim comparare. In hac mihi de republicá consensus, in hac rerum privatarum consilium; in eadem requies plena oblectationis fuit. Nunquam illum ne minima quidem re offendi, quod quidem senserim: nihil audivi ex eo ipse, quod nollem. Una domus erat, idem victus, isque communis: neque solum militia, sed etiam peregrinationes, rusticationesque communes. Nam quid ego de studiis dicam cognoscendi semper aliquid, atque discendi, in quibus, remoti ab oculis populi, omne otiosum tempus contrivimus? Quarum rerum recordatio & memoria, si una cum illo occidisset, desiderium conjunctissimi atque amantissimi viri ferre nullo modo possem. Sed nec illa extincta sunt, aluntur que potius & augentur cogitatione & memoria. Et, si illis plane orbatus essem, magnum tamen afferret mihi ætas ipsa solatium: diutius enim jam in hoc desiderio esse non possum. Omnia autem brevia, tolerabilia esse debent, etiam si magna sint.

Hæc


Tubero hujus filius, Græcis & Latinis literis eruditissimus, & antiquitatis peritus habitus est, ut ait Cicero in Bruto. Sed rursus obstat, quod supra *Q. Ælium Tuberonem Tib. Gracchi æqualem* fuisse dixerat. *Langius.*

7 *P. Rutilii Virginii*] Vide Pighium in Fastis, ad ann. DCXXXIV.

8 *ut possis*] *Olivetus* & alii legunt *ut cum æqualibus*, quæ est explicatio totius sententiæ, primum margini abscripta, deinde in contextum recepta. *Facc.*

Hæc habui, de amicitia quæ dicerem. Vos autem hortor, ut ita virtutem locetis [9], ſine qua amicitia eſſe non poteſt, ut, ea excepta, nihil amicitia præſtabilius putetis.

9 *Ut ita virtutem locetis*] *Locare mentem*, *operam*, *tempus in aliquid*, leguntur apud Tullium & alios. Sed *virtutem locare* non memini quenquam dixiſſe, nec quo ſenſu dici poſſit, niſi addatur res, in quam locetur virtus, video. Vereor ne ex literarum trajeƈtione labes orta ſit, quæ hunc locum fœdavit. Legendum ſuſpicor *ita virtutem colatis*. Grævius. Ita ſane eſt in margine codicis MS. Florentini apud Riccardos. *Facc.*



PA-

PARADOXA.

AD M. BRUTUM.

I. ANIMADVERTI, Brute, sæpe Catonem, avunculum tuum [1], cum in senatu sententiam diceret, locos graves ex philosophia tractare, abhorrentes ab hoc usu forensi & publico: sed dicendo consequi tamen, [2] ut illa etiam populo probabilia viderentur. Quod eo majus est illi, quam aut tibi, aut nobis: quia nos ea philosophia plus utimur, quæ peperit dicendi copiam [3], & in qua dicuntur ea, quæ non multum discrepant ab opinione populari [4]. Cato autem perfectus (mea sententia) Stoicus, & ea sentit, quæ non sane probantur in vulgus: & in ea est hæresi [5], quæ nullum sequitur florem orationis, neque dilatat argumentum: minutis interrogatiunculis, & quasi punctis [6], quod proposuit, efficit. Sed nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile: nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione, & tanquam excolatur. Quod

1 *Catonem, avunculum tuum*] Servilia Bruti mater, Catonis minoris soror fuit, ut ait Asconius Pædianus. Scribit Plutarchus hunc Brutum referre genus paternum ad Brutum eum, qui Tarquinios ex urbe ejecit, & maternum ad Servilium Ahalam, quo magistro equitum Sp. Mælius occisus est. *Sylvius.*

2 *ut illa*] Notanda generis variatio per figuram, quæ enallage dicitur. *Facc.*

3 *Ea philosophia plus utimur, quæ peperit dicendi copiam*] Academica scilicet, & Peripatetica. *Sylvius.*

4 *Quæ non multum discrepant ab opinione vulgi*] Peripatetici & Academici corporis & fortunæ bona esse dicunt: negant Stoici quicquam esse bonum præter virtutem. Vitia esse paria hi dicunt, illi negant. Aliaque innumerabilia sunt, de quibus non convenit inter Stoicos, & Academicos, & Peripateticos. In quibus hi (Peripatetici) dicunt ea, quæ non multum discrepant ab opinione populari. *Idem.*

5 *In ea est hæresi*] Id est secta, Stoicorum scilicet. Hæresis accipitur in bonam partem pro secta philosophorum. Vide Luciani dialogum περὶ αἱρέσεων. *Grævius.*

6 *Et quasi punctis*] Hoc est, rebus brevissimis. Punctum enim quod breve admodum est, dicitur a pungendo. Quia spinæ pungunt, orationis genus quo Stoici utuntur, spinosum appellat Cicero in V. de Finibus: & *dumeta*, in Lucullo. *Cum sit campus in quo exultare possit oratio, cur eam in tantas angustias, & Stoicorum dumeta compellimus?* Sylvius. Pith. rectius omissa copula, *minutis interrogatiunculis, quasi punctis*. Ipsas interrogationes puncta dicit, hoc est, acuta & brevia dicta. *Græv. Puncta* hic fœminino genere, pro *punctura* dicitur. *Turnebus*, Advers. XX. 20.

Quod cum ita putarem, feci etiam audacius, quam ille ipse, de quo loquor. Cato enim duntaxat de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude virtutis, de diis immortalibus, de caritate patriæ, Stoice solet, [a] oratoriis ornamentis adhibitis [7], dicere. Ego vero illa ipsa, quæ vix in gymnasiis, & in otio Stoici probant, ludens conjeci in communes locos. Quæ quia sunt admirabilia, contraque opinionem omnium, ab ipsis etiam παράδοξα [8] appellantur. Tentare volui, possentne proferri in lucem, id est, in forum, & ita dici, ut probarentur: an alia quædam esset erudita, alia popularis oratio: eoque scripsi libentius, quod mihi ista παράδοξα quæ appellant, maxime videntur esse Socratica, longeque verissima. Accipies igitur hoc parvum opusculum, lucubratum his jam contractioribus noctibus [9]; quoniam illud majorum vigiliarum munus in tuo nomine apparuit: & degustabis genus hoc exercitationum earum, quibus uti consuevi, cum ea, quæ dicuntur in scholis θετικὰ [10] ad nostrum hoc oratorium transfero dicendi genus. Hoc tamen opus [b] in acceptum [11] ut referas, nihil postulo: non est enim tale, ut in

arce

a Man. Lamb. *nullis oratoriis*.

7 *Oratoriis ornamentis adhibitis*] Plerique cusi præmittebant *nullis*, quod non visitur in melioribus membranis, mirorque agnoscere pro genuino auctoris Lambinum; cum id ipsum spernat ratio; & dicendi artem tribuat Catoni Tullius in Bruto cap. 31. *Gruterus*.

8 Παράδοξα] Id est *mirabilia*, *quæque sunt contra opinionem omnium*. Acad. II. 44. & lib. de Fin. IV. 27. Exponuntur a Cicerone ad quamdam veluti senilem declamationem, ut ipse eam vocat in Tuscul. 1. c. 4. Itaque scribit Suetonius de Clar. Rhetor. c. 1. Ciceronem seniorem quoque declamasse. *Facc.*

9 *Contractioribus noctibus*] Æstate. Vide Mureti *Var. Lect.* XVIII. 13.

10 Θετικὰ] Sæpe audivi quæri, quæ dicerentur a Cicerone θετικὰ in præfatione Paradoxorum. Et Turnebus quidem (*Advers.* XX. 20.) interpretatur ea, quæ de toto aliquo genere disserantur, nullis circumscriptis personis, locis, temporibus. Notum est enim *theseon* nomine, quæstiones infinitas; *hypotheseon*, definitas in scholis rhetorum intelligi. Mihi tamen hoc quidem loco semper probabilius visum est, θετικὰ & παράδοξα eadem esse: ut hoc Cicero dicat, se ea ipsa quæ vix in scholis audiri solent, ita abhorrent ab opinione communi, tentasse numquid dicendo posset efficere, ut in forenses ac senatorias orationes includerentur, & illic etiam ineruditis hominibus probarentur. *Thesis* enim vocatur magni alicujus viri a communi hominum sententia discrepans opinio. Aristoteles primo Topicorum, & primo Physicorum. Ita tamen meam sententiam propono, ut eam Turnebi sententiæ non anteponam. *Muretus*, *Var. Lect.* XVIII. 12.

b Vict. Man. *in apertum*

11 *In acceptum*] Quasi dicat: Tantulum est, ut acceptum ferre non debeas. De Minerva eborea Phidiæ Thucyd. lib. II. & Plutarch. in Pericle. *Langius*.

arce poni possit, quasi illa Minerva Phidiæ; sed tamen, ut ex eadem officina exisse appareat.

PARADOXON I.

Ο῎τι μόνον ἀγαθὸν τὸ καλόν [12].
Quod honestum sit, id solum bonum esse.

I. VEREOR, ne cui vestrum ex Stoicorum hominum disputationibus, non ex meo sensu deprompta hæc videatur oratio: dicam tamen quod sentio: & dicam brevius, quam res tanta dici [b] poscit. Nunquam mehercule ego neque pecunias istorum, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas, quibus maxime adstricti sunt, voluptates in bonis rebus aut expetendis esse duxi: quippe cum viderem, rebus his circumfluentibus [13] ea tamen desiderare maxime, quibus abundarent. Neque enim expletur unquam, nec satiatur cupiditatis sitis: neque solum ea qui habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu. In quo equidem continentissimorum hominum, majorum nostrorum, sæpe requiro prudentiam, qui hæc imbecilla & commutabilia pecuniæ membra [14], verbo BONA putaverunt appellanda, cum re ac factis longe aliter judicavissent. Potestne bonum cuiquam malo esse? aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui ista omnia talia videmus, ut etiam

12 Ο῎τι μόνον ἀγαθὸν, τὸ καλόν] In veteribus exemplaribus inscriptiones nullæ Latinæ extant. Sunt enim axiomata Stoica, quam sectam Græci condiderunt. *Lang.*

b Vict. Lamb. *possit* Man. *potest*

13 *Rebus his circumfluentibus*] Lambinus & Gruterus, *circumfluentes*: sed neuter tamen antiqui codicis auctoritate sic scribi ait, Vereor ut Lambinus, aut eo antiquior ex ingenio hæc sic refinxerit. Nam Pithœan. & alius codex, cujus excerpta penes me sunt, nec non editiones emendatissimæ Langii & Victorii, *rebus his circumfluentibus*, quod est, in magna rerum istarum copia. Id invitis libris veteribus non est immutandum. Illi si addixerint, non refragabimur. Ad *desiderare* autem *istos* ἀπὸ κοινοῦ referendum ex præcedentibus: quod cum non intelligerent correctores, intrusere *homines*. Mirum autem quam in his Paradoxis grassati sint scioli, & interpolatores, quos centones undique assuerint, quia terebamur plurimorum manibus, qui pro captu ingenii & doctrinæ multa immutarunt, multa adjecerunt, quæ ipsis videbantur desiderari. *Grævius.*

14 *Imbecilla & commutabilia pecuniæ membra*] Incertas istas possessiones rerum corporalium, quas fortunæ debemus, quæque facile, ut fortuna, mutari possunt. Pecuniæ nomine omnia intelliguntur, quæ in bonis sunt, præcipue corporalia, quorum multa sunt membra. *Idem.*

etiam improbi habeant, & obſint probis. Quamobrem licet irrideat, ſi quis vult: plus apud me tamen vera ratio valebit, quam vulgi opinio. Neque ego unquam bona perdidiſſe dicam, ſi quis pecus aut ſupellectilem amiſerit: neque non ſæpe laudabo ſapientem illum, Biantem, ut opinor, qui numeratur in ſeptem; cujus cum patriam Prienen cepiſſet hoſtis, cæterique ita fugerent, ut multa de ſuis rebus ſecum aſportarent; cum eſſet admonitus a quodam, ut idem ipſe faceret: *Ego vero*, inquit, *facio. Nam omnia mea porto mecum*. Ille hæc ludibria fortunæ, ne ſua quidem putavit, quæ nos appellamus etiam bona. Quid eſt igitur, quæret aliquis, bonum? Si quid recte fit, & honeſte, & cum virtute, id bene fieri, vere dicitur: &, quod rectum, & honeſtum, & cum virtute eſt, id ſolum opinor Bonum.

II. Sed hæc videri poſſunt obſcuriora, * cum lentius diſputantur. Vita atque factis illuſtranda ſunt ſummorum virorum hæc, quæ verbis ſubtilius, quam ſatis eſt, diſputari videntur. Quæro enim a vobis, num ullam cogitationem habuiſſe videantur ii, qui hanc rempublicam tam præclare fundatam nobis reliquerunt, aut auri, aut [15] argenti ad avaritiam [16], aut amœnitatum ad delectationem, aut ſupellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates? Ponite ante oculos unumquemque regum. Vultis a Romulo [17]? vultis poſt liberam civitatem, ab iis ipſis, qui liberaverunt eam? Quibus tandem gradibus Romulus adſcendit in cælum? iiſne, quæ iſti bona appellant? an rebus geſtis atque virtutibus? Quid? Numæ Pompilii minuſne gratas diis immortalibus capedines [18] ac ficti-

* Man. *cum ſine appoſitione* (Lamb. *expoſitione exemplorum*, *lentius*

15 *argenti*] Hoc eſt pecuniæ. *Olivetus* & vulgo interpretes leg. *auri atque argenti*: veriti, ne vox *argenti* ſatis ſignificet. *Facc.*

16 *Aut auri*, *aut argenti ad avaritiam*] *Aut auri* non haberi in quatuor Mſſ. melioribus, auctores ſunt Guilielmius & Gruterus; nec habetur in Pithœano, jureque abeſt, quod a ſciolo eſt inſertum, qui neſciebat *argentum* apud antiquos uſurpari pro omni pecunia, ſive ſit ærea, ſive argentea, ſive aurea. Terent. Heaut. II. 3. *Argentum*, *quod illi es pollicitus*, *inveniam*. Adelph. III. 4. *Non tu hoc argentum perdis*, *ſed vitam tuam*. Exempla congerere puerilum eſt. *Grævius*.

17 *Vultis a Romulo*] Scilicet exemplum. Plerique, *Vultis* incipiam *a Romulo*; ſed vocem ſecundam neſciunt Victorius, Grævius, &c.

18 *Capedines*] *Capis*, *capeda*, *capula*, *capeduncula*, dicitur vas anſatum ligneum, aut fictile, quo olim in ſacris utebantur, auctore Varrone, lib. IV. de Lingua Latina, aliiſque. *Grævius*.

fictiles urnulas fuisse, quam filicatas aliorum pateras [19] arbitramur? Omitto reliquos: sunt enim omnes pares inter se, præter Superbum. Brutum si quis roget, quid egerit in patria liberanda: si quis item reliquos ejusdem consilii socios, quid spectaverint, quid secuti sint: num quis exsistet, cui voluptas, cui divitiæ, cui denique præter officium fortis & magni viri, quidquam aliud propositum fuisse videatur? Quæ res ad necem Porsennæ C. Mucium impulit, sine ulla spe salutis suæ? Quæ vis Coclitem contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum? Quæ patrem Decium, quæ filium devotavit, atque immisit in armatas hostium copias? Quid continentia C. Fabricii, quid tenuitas victus M'. Curii sequebatur? Quid duo propugnacula belli Punici, Cn. & P. Scipiones, qui Carthaginensium adventum corporibus suis intercludendum putaverunt? Quid Africanus major? quid minor? quid inter horum ætates interjectus Cato? quid innumerabiles alii? nam domesticis exemplis abundamus: cogitasse quidquam putamus in vita sibi expetendum, nisi quod laudabile esse, & præclarum videretur?

III. Veniant igitur isti irrisores hujus orationis ac sententiæ: & jam vel ipsi judicent, utrum se horum alicujus, qui marmoreis tectis, ebore & auro fulgentibus, qui signis, qui tabulis, qui cælato auro & argento, qui Corinthiis [20] operibus abundant, an C. Fabricii, qui nihil eorum habuit, nihil habere voluit, similes esse malint? Atque hæc quidem, quæ modo huc, modo illuc transferuntur, facile adduci solent, ut in rebus bonis esse negent: illud tamen arcte tenent, accurateque defendunt, voluptatem esse summum bonum. Quæ quidem mihi vox pecudum videtur esse, non hominum. Tu, cum tibi sive deus, sive mater (ut ita dicam) rerum omnium, natura, dederit animum, quo nihil est præstantius, neque divinius: sic te ipse abjicies atque prosterster-

19 *Filicatas aliorum pateras*] In quibusdam libris, *delicatas*, legitur: unde quidam, *Deliacas*, scriptum fuisse suspicantur; quorum vasorum mentio est pro Sextio, & in Verrem. Sed plures, *felicatas*, habent: quarum meminit Sex. Pompejus a felice herba, quæ & felix & felicula Catoui. *Lamgius*. Vide Ep. ad Att. VI. 1.

20 *Corinthiis*] Ex ære Corinthio, de quo Muretus, Var. Lect. lib. III. cap. 5.

sternes, ut nihil inter te atque inter quadrupedem aliquam putes interesse? Quidquam bonum est, quod non eum, qui id possidet, meliorem facit? Ut enim quisque est maxime boni particeps, ita & laudabilis maxime: neque est ullum bonum, de quo non is, qui id habeat, honeste possit gloriari. Quid autem est horum in voluptate? melioremne efficit, aut laudabiliorem virum? an quisquam in potiundis voluptatibus gloriando sese, & prædicatione effert? Atqui si voluptas, quæ plurimorum patrociniis defenditur, in rebus bonis habenda non est; eaque, quo est major, eo magis mentem e sua sede & statu dimovet: profecto nihil est aliud bene & beate vivere, nisi honeste & recte vivere.

PARADOXON II.

Ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν.
In quo virtus sit, ei nihil deesse ad beate vivendum.

[21] NEC vero ego M. Regulum ærumnosum, nec infelicem, nec miserum, unquam putavi. Non enim magnitudo animi ejus excruciabatur a Pœnis, non gravitas, non fides, non constantia, non ulla virtus, non denique animus ipse: qui tot virtutum præsidio, tantoque [22] comitatu, cum corpus ejus caperetur, capi certe ipse non potuit. Cajum vero Marium vidimus, qui mihi secundis in rebus unus ex fortunatis hominibus; in adversis, unus ex summis viris videbatur: quo beatius esse mortali nihil potest. Nescis, insane, nescis, quantas vires virtus habeat: nomen tantum virtutis usurpas: quid ipsa valeat, ignoras. Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese [23], quique in se uno sua ponit omnia. Cui spes omnis, & ratio & cogitatio pen-

 det

21 *Nec vero*] Fingit sibi adversarium pro eo, in quo erat, civitatis statu; & quasi in contentione media transit ad thesim exponendam. Ceterum Paradoxum hoc oritur a superiore, in quo conclusum est, sola animi bona, idest virtutem & honestatem esse vera bona. Qui ita se per philosophiam purgarit, Christiano proximus est. *Facc.*

22 *comitatu*] Alii quidam addiderunt, *virtutis septus*. Vox prima nullum locum habet, secunda & habere potest, & in multis invenitur codicibus, non tamen necessaria est. *Idem*.

23 *Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese*] Est hoc scitum Stoicum tritissimum: quod non hoc tantum lo-

co

det ex fortuna ; huic nihil poteſt eſſe certi ; nihil quod exploratum habeat permanſurum ſibi unum diem . Eum tu hominem terreto , ſi quem eris nactus , iſtis mortis [24] , aut exilii minis . Mihi vero quidquid acciderit in tam ingrata civitate , ne recuſanti quidem evenerit , non modo repugnanti . Quid enim ego laboravi , aut quid egi , aut in quo evigilaverunt curæ & cogitationes meæ , ſi quidem nihil peperi tale , nihil conſecutus ſum, ut eo ſtatu eſſem, quem neque fortunæ temeritas, neque inimicorum labefactaret injuria? Mortemne mihi minitaris, ut omnino ab hominibus; an exilium, ut ab improbis demigrandum ſit? Mors terribilis eſt iis, quorum cum vita omnia extinguuntur ; non iis , quorum laus emori non poteſt: exilium autem illis, quibus quaſi circumſcriptus eſt habitandi locus ; non iis , qui omnem orbem terrarum , unam urbem eſſe ducunt [25] . Te miſeriæ , te ærumnæ premunt , qui te beatum , qui te florentem putas : tuæ libidines te torquent : tu dies noctesque cruciaris ; cui nec ſat eſt , quod eſt [26] , & id ipſum, ne non ſit diuturnum, times: te conſcientiæ ſtimulant maleficiorum tuorum [27] : te metus exa-

co Cicero præcipit; ſed & in Tuſc. V. cap. 12. *Cui viro ex ſe ipſo apta ſunt omnia, quæ ad beate vivendum ferunt , nec ſuſpenſa aliorum aut bono caſu aut contrario , pendere ex alterius eventis , & errare coguntur ; huic optime vivendi ratio comparata eſt*, &c. *quod ſemper in ſe ipſo omnem ſpem reponat ſui:* & ante ibidem cap. 10. *Clariſſima voce profiteri* ſc. ſapientem, *ſe neque fortunæ impetu, nec multitudinis opinione , nec dolore , neque paupertate terreri , omniaque ſibi in ſeſe eſſe poſita , neque eſſe quidquam extra ſuam poteſtatem , quod ducat in bonis* . Idem lib. V. ad Fam. 13. *Quam laudem ſapientiæ ſtatuo eſſe maximam , non aliunde pendere , nec extrinſecus aut bene aut male vivendi rationes ſuſpenſas habere*. Vide & lib. I. ep. 5. & Epicteti Enchiridion, I. 2. 3. *Grævius*.

24 *Iſtis mortis*] Magnifica eſt illa vox Theodori Cyrenæi , qui Lyſimacho regi ſibi mortem minitanti , *Enimvero* , inquit , *magnifica res tibi contigit, quia cantharidis vim aſſecutus es . Cumque hoc dicto iratior factus, cruci eum affigi juſſiſſet , Terribilis hæc*, inquit , *ſis purpuratis tuis: mea quidem nihil intereſt, humine an in ſublimi putreſcam*. Auctor eſt Val. Maximus lib. VI. de libere dictis. *Sylvius*. Vide Tuſcul. I. 43.

25 *Qui omnem orbem terrarum unam urbem eſſe ducunt*] Ut Socrates , qui *cum interrogaretur , cujatem ſe eſſe diceret* , Mundanum , *dixit* . *Totius enim mundi ſe incolam & civem arbitrabatur* . Cic. Tuſculana V. *Sylvius* . Eodem modo Diogenes Cynicus, apud Laert. in ejus vita , interrogatus , unde eſſet, reſpondit , Κοσμοπολίτης.

26 *Cui nec ſat eſt, quod eſt*] Quia

Luxuriæ deſunt multa, avaritiæ omnia,

ut ait P. Syrus. *Grævius*.

27 *Te conſcientiæ ſtimulant maleficiorum tuorum*] Cic. Orat. in Piſonem*: Nolite putare*, P.C. *ut in ſcena videtis, homines conſceleratos , impulſu deorum , terreri furiarum tædis ardentibus : ſua quemque fraus , ſuum facinus, ſuum ſcelus , ſua audacia de ſanitate ac mente deturbat. Hæ ſunt impiorum furiæ, hæ flammæ , hæ faces* . Conſcientiæ ſtimulus quantum hominem quieſcere non ſinat, Macrobius per fabulam eam de Tityo gigante, quæ eſt apud Virg. VI. Æn. ſignificari dicit in lib. de Somnio Scipionis. *Sylvius*.

exanimant judiciorum atque legum : quocumque adſpexiſti, ut furiæ, ſic tuæ tibi occurrunt injuriæ, quæ te reſpirare non ſinunt. Quamobrem ut improbo, & ſtulto, & inerti nemini bene eſſe poteſt: ſic bonus vir, & fortis, & ſapiens, miſer eſſe nemo poteſt. Nec vero, cujus virtus moreſque laudandi ſunt, ejus non laudanda vita eſt : neque porro fugienda vita, quæ laudanda eſt. Eſſet autem fugienda, ſi eſſet miſera. Quamobrem quidquid eſt laudabile, idem & beatum, & florens, & expetendum videri debet.

PARADOXON III.

Ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, καὶ τὰ κατορθώματα [28].
Æqualia eſſe peccata, & recte facta.

I. PARVA, inquis, res eſt. At magna culpa : nec enim peccata, rerum eventu, ſed vitiis hominum metienda ſunt. In quo peccatur, id poteſt aliud alio majus eſſe, aut minus : ipſum quidem illud peccare, quoquo verteris, unum eſt. Auri navem evertat gubernator, an paleæ; in re aliquantulum, in gubernatoris inſcientia nihil intereſt. Lapſa eſt libido in muliere ignota : dolor ad pauciores pertinet, quam ſi petulans fuiſſet in aliqua generoſa ac nobili virgine : pec-

28 Hoc paradoxum eſt Stoicorum. Hi enim peccata paria exiſtimant, ut Chryſippus ait in quarto Naturalium Quæſtinnum, & Perſeus & Zeno. Nam ſi verum vero majus non eſt, nec falſum falſo majus erit. Ita nec fraus fraude, nec peccato peccatum. Nam & qui centum ſtadia abeſt a Canopo, & qui unum, æque in Canopo non ſunt. Itaque & qui minus peccat, & qui amplius, æque in recto opere non ſunt, auctore Cic. lib. de Finib. IV. cap. 27. Stoici *peccata paria* probantes, negant *honeſto quicquam honeſtius, atque turpi turpius. Ut*, inquiunt, *in fidibus plurimis, ſi nullo earum ita contenta numeris ſit, ut concentum ſervare poſſit, omnes æque incontentæ ſunt : ſic peccata, quia diſcrepant, æque diſcrepant : paria ſunt igitur.* Itemque : *Quoniam*, inquiunt, *omne peccatum imbecillitatis & inconſtantiæ eſt : hæc autem vitia in omnibus ſtultis æque magna ſunt, neceſſe eſt paria eſſe peccata.* Eodem auctore ibidem, *Stoici eos qui natura doctrinaque longe ad virtutem proceſſiſſent, niſi eam plane conſecuti eſſent, ſumme eſſe miſeros dicunt, nec inter eorum vitam, ac improbiſſimorum quicquam omnino intereſſe. Ut Plato tantus ille vir, ſi ſapiens non fuerit, nihilo melius, quam quivis improbiſſimus, nec beatius vixerit.* Iidem Stoici dicunt, ut eſt apud eundem pro L. Murena, *non minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum qui patrem ſuffocaverit.* Item pro Milone, ut ad judicia hoc quoque Paradoxum pervenire cognoſcas : *Non alio*, inquit, *facinore clari homines, alio obſcuri necantur. Interſit inter vitæ dignitatem ſummorum atque infimorum : mors quidem illata per ſcelus iiſdem pœnis teneatur.* Sylvius.

peccavit vero nihilominus, si quidem est peccare, tanquam transilire lineas [29]: quod cum feceris, culpa commissa est: quam longe progrediare, cum semel transieris, ad augendam transeundi culpam [30] nihil pertinet. Peccare certe licet nemini. Quod autem non licet, id hoc uno tenetur, si arguitur non licere [31]. Id si [32] nec majus, nec minus unquam fieri potest, (quoniam in eo est peccatum, si non licuit; quod semper unum, & idem est) quæ ex eo peccata nascuntur, æqualia sint oportet. Quod si virtutes pares sunt inter se [33], paria esse etiam vitia necesse est. Atqui pares esse virtutes, nec bono viro meliorem [34], nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec sapiente sapientiorem posse fieri, facillime potest perspici. An virum bonum dices, qui depositum nullo teste, cum lucrari impune posset, auri pondo decem, reddiderit: si idem in decem millibus pondo non idem fecerit? aut temperantem eum, qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? Una virtus est, consentiens cum ratione & perpetua constantia. Nihil huic addi potest, quo magis virtus sit: nihil demi, ut virtutis nomen relinquatur. Etenim si benefacta, recte facta sunt, & nihil recto rectius: certe ne bono quidem melius quidquam inveniri potest. Sequi-

29 *Tanquam transilire lineas*] Quod erat cursorum in stadio. Duæ erant in stadio lineæ. Altera erat in longum cavata in limine stadii, cui cursores insistebant, ut ex æquo limite progrederentur. Si qui ultra lineam vellent evagari, & limitem præcipere, voce præconis revocari solebant, βαλβῖδ' ἀπόδος, θὲς πόδα παρά, *lineam redde*, *ad lineam pedem pone*. Inde illæ apud Tertullianum crebræ locutiones, *lineæ insistere*, *ad lineam dimicare*, *intra lineas gradum colligere*, & similes. Erat & alia linea in fine stadii, quæ dicebatur ultima linea, ad quam cursus finiebatur. *Salmasius*. Primam hic respicit Cicero, quam qui transilibat ante signum datum, peccabat. *Grævius*.

30 *Ad augendam transeundi culpam*] Notat Gruterus in ¿Pal. secundo non inveniri vocem *transeundi*, eamque esse otiosam: quod verissimum. *Grævius*.

31 *Si arguitur non licere*] Id est, si ostenditur, non licere. Id autem licere non majus quidem est, nec minus: ut, non licet tibi magis occidere hominem alienum, quam alii patrem. *Sylvius*.

32 *Id si*] Al. *Id siquidem*. Sed in vulgatis libris tota periodus hæc pravis interpunctionibus contaminata est. *Facc.*

33 *Quod si virtutes pares sunt inter se*] Lipsius, Manuduct. ad Stoic. Philos. lib. III. differt. 4. ubi vide plura de hoc argumento, quod luculente ibi exequitur. Et Seneca in epistola *66*. *Grævius*.

34 *Nec bono viro meliorem*] Scholæ Stoicæ pronunciant, omnes qui non sunt sapientes, esse stultos: nihil esse medium; peccata enim non distingui, sed esse æqualia. Sapientem autem nulla ex parte esse, nisi qui totus sapiat, quia virtutes se mutuo consequantur, ut qui unam habeat, omnes habere sit necesse, & qui una careat, omnibus nudatum esse necessario. Isaac. Casaubonus ad Sat. V. Persii. Vide ibi plura. *Græv.*

quitur igitur, ut etiam vitia sint paria: siquidem pravitates animi recte vitia dicuntur. Atqui quoniam pares virtutes sunt, recte facta, quando a virtutibus proficiscuntur, paria esse debent: itemque peccata, quoniam ex vitiis manant, sint æqualia necesse est.

II. A philosophis, inquis, ista sumis. Metuebam, ne a lenonibus diceres. Socrates disputabat isto modo. Bene hercle narras: nam illum doctum & sapientem virum fuisse, memoriæ traditum est. Sed tamen quæro ex te (quando verbis inter nos contendimus, non pugnis) utrum bonis est quærendum, quid bajuli atque operarii, an quid homines doctissimi senserint? præsertim cum hac sententia non modo verior, sed ne utilior quidem hominum vitæ reperiri ulla possit. Quæ vis enim est, quæ magis arceat homines ab improbitate omni, quam si senserint, nullum in delictis esse discrimen? æque peccare se, si privatis, ac si magistratibus manus afferant? quamcumque in domum stuprum intulerint, eandem esse labem libidinis? Nihilne igitur interest (nam hoc dicet aliquis) patrem quis enecet, an servum? [35] Nuda ista si ponas, judicari, qualia sint, non facile possunt. Patrem vita privare, si per se scelus est: Saguntini [36], qui parentes suos, liberos emori, quam servos vivere maluerunt, parricidæ fuerunt. Ergo & parenti nonnunquam adimi vita sine scelere potest: & servo sæpe sine injuria non potest. Caussa igitur hæc, non natura distinguit: quæ quoniam [37] utro accessit, id fit [38] propensius; si utroque adjuncta sit, paria fiant necesse est. Illud tamen interest, quod in servo necando, si adsit injuria, semel peccatur: in patris vita violanda, multa peccantur. Violatur is, qui procreavit: is, qui aluit: is, qui erudivit; is, qui in sede ac domo, atque in republica collocavit. Multitudine peccatorum præstat, eoque pœna majore dignus est. Sed nos in vita, non quæ cuique peccato pœna

35 *Nuda*] Idest in thesi, sine loco, tempore, caussis. *Facc.*

36 *Saguntini*] Vide Florum II. 6. Liv. XXI. 14. Polyb. III. 17.

37 *Quæ* quoniam (Manut. & Græv. *quando*) *utro accessit*] Locus hic turpissime erat maculatus, non tam a librariis, quam a sciolis istis; quod ignorarent *uter*, pro *utervis* dici. *Lamb.*

38 *propensius*] Hoc est magis extensum. Sed legere malim *protensius*. *Facc.*

pœna ſit, ſed quantum cuique liceat, ſpectare debemus. Quidquid non oportet, ſcelus eſſe; quidquid non licet, nefas putare debemus. Etiamne in minimis rebus? Etiam: ſi quidem rerum modum fingere non poſſumus [39]; animorum modum tenere poſſumus. Hiſtrio ſi paulum ſe movit extra numerum [40], aut ſi verſus pronuntiatus eſt ſyllaba una brevior, aut longior, exſibilatur & exploditur: tu in vita, quæ omni geſtu moderatior, omni verſu aptior eſſe debet, ut in ſyllaba te peccare dices [41]? Poetam non audio in nugis: in vitæ ſocietate audiam civem, digitis peccata dimetientem ſua? Si viſa ſint breviora, leviora videantur [42]. Qui poſſint videri, cum quidquid peccatur, perturbatione peccetur rationis atque ordinis? perturbata autem ſemel ratione & ordine, nihil poſſit addi, quo magis peccari poſſe videatur.

39 *Rerum modum fingere non poſſumus*] *Fingere*, omnes quidem habent libri: ſed videri poſſit legendum, *figere*. Sic Horat. Od. 15. lib. III. *Tandem nequitiæ fige modum tuæ*. Lambinus.

40 *Si paulum ſe movit extra numerum*] Hoc eſt, ſi non commode ſaltavit, aut in ſaltando peccavit contra leges ſaltationis. *Numeri* tam ad muſicam pertinent, quam ad ſaltationem. De muſica Virgil. Eclog. IX. 45.

Numeros memini, ſi verba tenerem.

De ſaltationum numeris Perſius Sat. V. 122.

nec cum ſis cætera foſſor,
Tres tantum ad numeros ſatyri moveare Bathylli.

Sic enim hunc locum recte reſtituit Caſaubonus, quem vide. *Movere ad numerum* eſt ſaltare. Lucret. lib. II. 631.

Ludunt, in numerumque exultant ſanguine læti. Grævius.

41 *Ut in ſyllaba peccare*] Et hic acuti illi viri malam manum adhibuerant. Particula, *ut*, ibi, *ut in ſyllaba*, in nullo veteri libro extat: ſiquidem recte, *in ſyllaba peccare* figurate dictum ſit, pro in aliqua vel minima particula ejus. Qui ſenſus tolerari poſſit. *Langius*.

42 *Si viſa ſint breviora, leviora videantur. Qui poſſint videri* &c.] Victorium ſequimur: nam cæteri: *Quæ ſi viſa ſunt breviora, leviora qui poſſint videri* &c. *Oliv.* Verba ſunt ejus, quem auctor fingit ſibi reſpondere, & objicere. *Si viſa ſunt*, inquit, *breviora*, hoc eſt minora; judicentur etiam leviora. *Breve* pro exiguo, ubique obvium eſt. Quo vocabulo uſus eſt propter inſtitutam comparationem de ſyllabarum quantitate. *Langius*.

PA-

PARADOXON IV.

Ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται [43] [a].
Omnem ſtultum inſanire.

EGO VERO te [44] non ſtultum, ut ſæpe; non improbum, ut ſemper; ſed dementem & inſanum rebus vincam neceſſariis [45]. Sapientis animus magnitudine conſilii, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus denique omnibus, ut mœnibus, ſeptus, vincetur & expugnabitur, [46] qui ne civitate quidem pelli poteſt? Quæ eſt enim civi-

43 a Hoc paradoxo quarto probaverat Cicero: *Solus ſapiens ſanus eſt: omnes autem ſtulti inſaniunt*. Sed illud hodie non extat. Tantum principium ejus reliquum eſt hujuſmodi: *Ego vero te non ſtultum, ut ſæpe; non improbum, ut ſemper; ſed dementem & inſanum rebus* advincam *neceſſariis*. Reliqua, quæ ſequuntur, nihil cum hoc paradoxo commune habent, ſed aliud probare intendunt, *Solum* ſcilicet *ſapientem eſſe civem; omnes autem ſtultos eſſe exules*. Mirum vero nec Lambino, nec Langio, nec ipſi denique Turnebo majorum gentium critico hoc ſuboluiſſe: nam in Manutio nihil hoc novi eſt: ariolari enim non didicit. Quare ſi quis locum illum ſupplere, & deperditorum jacturam ſarcire velit, ea, quæ non longe a principio tertii Tuſculanarum libri apud eundem Ciceronem leguntur, illinc aſſumere, & huc transferre debet. *Scioppius. Elementa Philoſophiæ Stoicæ Moralis*, cap. 129.

44 *Ego vero te*] Invehitur hic in P. Clodium, ut ſecundo paradoxo in M. Antonium. *Langius*.

45 *Rebus vincam neceſſariis*] Si quis locus eſt in Paradoxis corruptus, hic eſt: quem Langius (nam cæteros, qui huic ulceri manus admoverunt, omitto) ſic emendare conatus eſt, *ſed dementem & inſanum, addicam neceſſariis*. *Addicam neceſſariis* autem, id eſt, mittam ad agnatos, inquit ille, ad quos mente captorum tutela pertinet. Sed ego hanc emendationem probare nullo modo poſſum. Nam primum in omnibus libris reperitur vox, *rebus*, quam Langius delet. Deinde ſi certum eſt, mente captum eſſe, non dubium quin ad agnatos mittendus ſit: ſin incertum, id demonſtrandum eſt. Ego igitur conjectura ductus, ſententiamque Ciceronis ſecutus, ſic emendandum hunc locum puto: *Inſanum eſſe rationibus evincam*, ſeu *advincam*, ſeu *vincam neceſſariis*. Lambinus. Cum *vincam* repererit in quibuſdam libris Manutius, in aliis cum ipſe, tum Giffanius, Lambinus, Urſinus, *advincam*, cur non amplectimur certiſſimam & veriſſimam ſcripturam, *rebus vincam neceſſariis*, hoc eſt, evincam invictis argumentis? Nam *res* ſæpe ſunt rationes, argumenta. Hinc *res* & *ratio* tamquam ſynonyma junguntur Ciceroni, ut dudum obſervavit Giffanius. *Vincere* autem pro *evincere* tritiſſimum Ciceroni. Matius in lib. XI. ad Fam. ep. 28. *At debeo pro civili parte remp. velle ſalvam. Id quidem me cupere, niſi & ante acta vita, & reliqua mea ſpes, tacente me, probat, dicendo vincere me non poſtulo*. Superius in ead. epiſt. *perinde ac ſi jam vicerim obitum ejus reip. fuiſſe utilem*. Cic. pro Cluent. *Vince deinde virum bonum fuiſſe Oppianicum*. Grævius.

46 *Qui ne*] Ita Olivetus & omnes legunt. Ego tamen leg. cenſeo *Quin ne*. Quoniam in veteribus MSS. unde hæc ſumpta ſunt, per unam fortaſſe eamdemque litteram *n* finiebatur vox prior, & inchoabatur poſterior, nec id librarius advertit, hinc facta eſt periodus una pro duabus. At niſi legatur *quin*, & nova fiat propoſitio, in quam ea conveniant, quæ ſequuntur, non recte procedit oratio. *Facc.*

civitas? Omnisne conventus etiam ferorum [47] & immanium? omnisne etiam fugitivorum ac latronum congregata unum in locum multitudo? Certe negabis. Non igitur erat illa tum civitas, cum leges in ea nihil valebant: cum judicia jacebant, cum mos patrius occiderat: cum ferro pulsis magistratibus, senatus nomen in republica non erat [48]. Prædonum ille concursus, & te duce latrocinium in foro constitutum, & reliquiæ conjurationis a Catilinæ furiis ad tuum scelus furoremque conversæ, non civitas erat. Itaque pulsus ego civitate non sum, quæ nulla erat; arcessitus in civitatem sum, cum esset in republica consul [49], qui tum nullus fuerat: esset senatus, qui tum occiderat: esset consensus * populi liber: esset juris & æquitatis (quæ vincula sunt civitatis) repetita memoria.

Ac vide, quam ista tui latrocinii tela contempserim. Jactam & immissam a te nefariam in me injuriam semper duxi: pervenisse ad me nunquam putavi: nisi forte, cum parietes disturbabas [50], aut cum tectis sceleratas faces inferebas, [51] meorum aliquid ruere, aut deflagrare arbitrabare. Nihil neque meum est [52], neque cujusquam, quod auferri,

quod

47 *Omnisne conventus etiam ferorum*] Grut. & Grævius, *etiam furum*.

48 *Senatus nomen in rep. non erat*] Hunc locum fœdissima labe deturpatum esse mecum fatebuntur qui accuratius eum examinabunt, & non hospites sunt in antiquorum literis, ut de his possint ferre sententiam. *Nomen senatus* pro auctoritate senatus, ut viri docti exponunt, accipi nullo modo potest. Quin *nomen senatus* aut *magistratuum* opponitur semper illorum potestati, & auctoritati. Persuasissimum itaque habeo Tullium scripsisse, licet libri veteres omnes repugnent, *Cum ferro pulsis magistratibus senatus nomen in republica erat*: hoc est, senatus quidem erat, sed nullæ vires, nulla potestas, nulla auctoritas. Si scripsisset Cicero, uti scribitur in editis, *senatus nomen in rep. non erat*, significasset, senatum plane fuisse deletum, & extinctum, ac e medio sublatum; nullum senatum fuisse in republica. Justin. V. *6. Ut Atheniensium deletum non imperium tantum, verum etiam nomen videretur*. Sed Cicero ait senatum quidem fuisse, sed nomine tantum, ut vulgo loquuntur, sine vi, sine auctoritate. *Non* insertum est a sciolo, qui non intelligebat quid esset, *senatus nomen erat*. Si quis tamen vulgatam tuendam existimet, & Ciceronem sic locutum esse contendat; ut exaggeret temporis illius iniquitatem, sicuti paulo post dixerit, *senatus occiderat*, *civitas non erat*, *consul non erat*, per me licet fruatur sententia sua. *Grævius*.

49 *Consul*] P. Lentulus. Is enim cum Q. Metello consul anno proximo post Gabinium & Pisonem ad senatum retulit de Cicerone revocando. *Sylvius*.

* Vict. Man. Lamb. *populi liberi*

50 *Cum parietes disturbabas*] Quo die Cicero ex urbe discessit, P. Clodius domum ejus quæ in Palatio erat, incendit, parietes disturbavit, ut in eo loco deæ Libertatis templum ædificaret, tanquam Ciceronis exilium Romanæ civitati libertatem afferret. *Sylvius*.

51 *Meorum aliquid*] Libenter legerim *meum aliquid*. Facc.

52 *Nihil neque meum est*] Est enim hoc Stoicum, ut supra Biantis exemplo intelleximus. *Betulejus*.

quod eripi, quod amitti potest. Si mihi eripuisses divinam animi mei constantiam, meas curas, vigilias, consilia, quibus respublica te invitissimo stat: si hujus æterni beneficii immortalem memoriam delevisses: multo etiam magis si illam mentem, unde hæc consilia manarunt, mihi eripuisses: tum ego accepisse me confiterer injuriam. Sed si hæc nec fecisti, nec facere potuisti: reditum mihi gloriosum injuria tua dedit, non exitum calamitosum. Ergo ego semper civis; & tum maxime, cum meam salutem senatus exteris nationibus, ut civis optimi, commendabat. Tu, ne nunc quidem: nisi forte idem esse hostis, & civis potest.

An tu civem ab hoste natura ac loco, non animo factisque distinguis? Cædem in foro fecisti [53]: armatis latronibus templa tenuisti [54]: privatorum domos, ædes sacras incendisti. Cur hostis Spartacus [55], si tu civis? Potes autem esse tu civis, propter quem aliquando civitas non fuit? Et * me tuo nomine appellas, cum omnes meo discessu exulasse rempublicam putent? Nunquamne, homo amentissime, te circumspicies? nunquamne, quid facias, considerabis, nec quid loquare? Nescis, exilium scelerum esse pœnam? meum illud iter ob præclarissimas res a me gestas esse susceptum? Omnes scelerati atque impii, quorum tu te ducem esse profiteris, quos leges exilio affici volunt, exules sunt, etiam si solum non mutarunt. An cum omnes leges te exulem esse jubeant, non eris tu exul? [56] Num appellatur inimicus, qui cum telo fuerit [57]? ante senatum tua sica deprehensa est [58]. Qui homi-

 nem

53 *Cædem in foro fecisti*] Cum Clodiani armati VIII. Kalend. Februarii, forum, curiam, comitium occuparunt, &c. Vide Orat. pro Sextio. *Sylvius*.

54 *Templa tenuisti*] Templum Castoris intelligit, quod armatis hominibus, & servis Clodius occupavit, ne lex ferretur de Ciceronis reditu. *Idem*.

55 *Spartacus*] Vide Flor. III. 20. Liv. Epit. 95. 96. 97.

* Man. Lamb. *me exulem*

56 *Num appellatur inimicus*] Legend. arbitror: Non *expelletur is*. Scilicet cum librarius indiligens scripsisset *appelletur*, Grammatici auxere vocem *is*, ut sensum aliquem eruerent, & ex ea fecere *inimicus*. Sed neque hoc nomen, nec verbum *appelletur* ferri potest, ut consideranti facile est ad intelligendum. Itaque alii mutarunt *non* in *num*, & *appelletur* in *appellatur*: sed hoc quidem est ineptius. *Facc.*

57 *Qui cum telo fuerit*] Lege Cornelia de sicariis teneri eum, qui hominis occidendi causa cum telo ambulaverit Marcianus scribit Digestorum 48. ad legem Corneliam de sicariis. Auctore autem Cajo jurisconsulto d. 47. de furtis, teli appellatione, & fustis, & ferrum, & lapis, omne denique, quod nocendi causa habetur, significatur. *Gruterus*.

nem occiderit? tu plurimos occidisti. Qui incendium fecerit? [58] ædes Nympharum manu tua deflagrarunt. Qui templa deorum occupaverit [59]? in foro etiam castra posuisti [60]. Sed quid ego communes leges profero, quibus omnibus es exul? Familiarissimus tuus [61] de te privilegium tulit, ut, si in opertum Bonæ Deæ accessisses, exulares. At te id fecisse, etiam gloriari soles. Quomodo igitur tot legibus in exilium ejectus, nomen exulis non perhorrescis? Romæ sum, inquis. Et quidem in operto fuisti [62]. Non igitur ubi quisque erit, ejus loci jus tenebit; si ibi eum legibus esse non oportebit.

PARADOXON V.

Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος.
Solum sapientem esse liberum, & omnem stultum servum.

I. LAUDETUR vero hic imperator [63], aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur. Quo modo, aut cui tandem hic libero [64] imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? Refrenet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat avaritiam, cæteras animi labes repellat: tum incipiat aliis imperare, cum ipse improbissimis dominis, dedecori ac turpitudini parere desierit. Dum quidem his obediet, non modo imperator, sed liber haben-

58 *Ante senatum tua sica deprehensa est*] Auctore Cicerone pro Milone, comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompejum interficiendum collocarat; extorta est confitenti sica de manibus. *Gruterus*.

58 *Ædes Nympharum*] Al. *ædis*: infra autem *deflagravit* pro *deflagrarunt*. Aptius videtur. *Fasc.*

59 *Qui templa occupaverit*] Indocti adjecerant, *deorum*. *Templa* enim sunt loca sub divo patentia, auspiciis capiundis apta. Varro de Lingua Lat. Cicer. in Rhetoricis. *Langius*. Vocem hanc, *deorum*, exulare jussit quidem Grut. sed retinent Vict. Man. Lamb.

60 *In foro etiam castra posuisti*] Non solum Castoris templum armatis hominibus occupasti, sed etiam in eo castra posuisti. *Sylvius*.

61 *Familiarissimus tuus*] Vide lib. I. ad Atticum, epist. 13.

62 *In aperta*] Bonæ Deæ.

63 *Laudetur vero hic imperator*] In M. Antonium hoc dictum videri potest. Nisi de Sylla, vel Tarquinio magis intelligere velis. *Betulejus*.

64 *Libero*] Antiquo jure Romanorum servis militare non licebat. Itaque secundo bello Punico inopia liberorum hominum, octo millia juvenum validorum ex servitiis prius emerunt, & libertate donarunt. *Liv.* 22. Imperator igitur nisi liberis non imperat, sed ne ipse quidem imperator esse potest, nisi liber sit. *Sylv.*

habendus omnino non erit. Præclare enim eſt hoc uſurpatum a doctiſſimis, quorum auctoritate non uterer, ſi mihi apud aliquos agreſtes hæc habenda eſſet oratio. Cum vero apud prudentiſſimos loquar, quibus hæc inaudita non ſunt: cur ego ſimulem, me, ſi quid in his ſtudiis operæ poſuerim, perdidiſſe? Dictùm eſt igitur ab eruditiſſimis viris, niſi ſapientem, liberum eſſe neminem. Quid eſt enim libertas? poteſtas vivendi, ut velis [65]. Quis igitur vivit, ut vult? niſi qui recta ſequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via conſiderata atque proviſa eſt: qui legibus quidem non propter metum paret, ſed eas ſequitur atque colit, quia id ſalutare maxime eſſe judicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, niſi libenter ac libere: cujus omnia conſilia, reſque omnes, quas gerit, ab ipſo proficiſcuntur, eodemque feruntur: nec eſt ulla res, quæ plus apud eum polleat, quam ipſius voluntas atque judicium: cui quidem etiam (quæ vim habere maximam dicitur) fortuna ipſa cedit, ſicut [66] ſapiens poeta dixit, *Suis ea cuique fingitur moribus*. Soli igitur hoc contingit ſapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. Quod etſi ita eſſe, pluribus verbis diſſerendum eſt: illud tamen & breve & confitendum eſt, niſi qui ita ſit affectus, eſſe liberum neminem. Servi igitur, omnes improbi. Nec hoc tam re eſt, quam dictu inopinatum atque mirabile. Non enim ita dicunt, eos eſſe ſervos, ut mancipia, quæ ſunt dominorum facta nexu [67], aut [68] aliquo jure civili: ſed, ſi ſervitus ſit, ſicut eſt, obedientia fracti animi, & abjecti, & arbitrio carentis ſuo, quis neget, omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos, eſſe ſervos?

II. An ille mihi liber, cui mulier imperat? cui leges imponit,

65 *Ut velis*] Non ut libido ſuadet, ſed ratio dictitat. Nam hac ſignificatione Stoici βόλεσθαι accipiunt. Vide IV. Tuſculan. cap. 6. *Betuleius*.

66 *Sapiens Poeta*] Appius fortaſſe, cujus ſententia valde ſimilis affertur a Saluſtio in Epiſtola ad C. Cæſarem de ordinanda rep. Sed & Plautus in Trinummo, & Nepos in Attici vita, & alii eodem modo loquuntur. *Facc.*

67 *Quæ ſunt dominorum facta nexu*] *Nexu*, hoc eſt, quæ mancipia vendita ſunt, id eſt, quæ ſic vendita ſunt, ut evictionis periculum in ſe reciperet & præſtaret venditor. Nexus eſt obligatio. *Grævius*. Vide notas ad Topica.

68 *Aut aliquo*] Libenter legerim *aut alio*. Nam etiam nexus eſt inter civilia jura. *Facc.*

ponit, præſcribit, jubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare poteſt, nihil recuſare audet? Poſcit? dandum eſt: vocat? veniendum: ejicit? abeundum: minatur? extimeſcendum. Ego vero iſtum non modo ſervum, ſed nequiſſimum ſervum, etiam ſi in ampliſſima familia natus ſit, appellandum puto. Atque ut in magna ſtultorum familia [69] ſunt alii lautiores (ut ſibi videntur) ſervi, ſed tamen ſervi, atrienſes ac topiarii [70] pari ſtultitia ſunt, quos ſigna, quos tabulæ, quos cælatum argentum, quos Corinthia opera, quos ædificia magnifica nimio opere delectant.

At ſumus, inquiunt, civitatis principes. Vos vero ne conſervorum quidem veſtrorum principes eſtis. Sed ut in familia, qui tractant iſta, qui tergunt, qui ungunt, qui verrunt, qui ſpargunt [71], non honeſtiſſimum locum ſervitutis tenent: ſic in civitate, qui ſe iſtarum rerum cupiditatibus dediderunt, ipſius ſervitutis locum pœne infimum obtinent. Magna, inquis, bella geſſi: magnis imperiis & provinciis præfui. Gere igitur animum laude dignum. Echionis tabula te ſtupidum detinet, aut ſignum aliquod Polycleti. Omitto, unde ſuſtuleris, & quomodo habeas. Intuentem te, admirantem, clamores tollentem cum video, ſervum te eſſe ineptiarum omnium judico. Nonne igitur ſunt illa feſtiva? Sunt. Nam nos quoque oculos eruditos habemus. Sed obſecro te, ita venuſta habeantur iſta, non ut vincula virorum ſint, ſed ut oblectamenta puerorum. Quid enim cenſes? ſi L. Mummius aliquem iſtorum videret matellionem Corinthium [72] cupidiſſime tractantem, cum ipſe totam Corinthum contempſiſſet: utrum illum civem excellentem, an atrienſem diligentem putaret? Reviviſcat M'. Curius, aut eorum aliquis, quorum in villa ac domo nihil ſplendidum, nihil ornatum fuit, præter ipſos; &

69 *Atque ut in magna* ſtultorum *familia*] Delevimus cum Langio *τὸ ſtultorum*, quæ ſcriptura ineptiſſime inculcata fuit a librariis. *Grævius*.

70 *Topiarii*] Topiarii inter prædiorum ruſticorum ſervos cenſentur, qui arbuſculas, virgultaque ductilia facili flexu in varias formas, & figuras ſolerti ingenio exprimunt & concinnant. Hinc *topiarium* opus, & ars ipſa *topiaria* dicitur. Cic. ad Q. Fr. III. 1. *T. Popma*.

71 *Qui ſpargunt*] Ut ille apud Phædrum:
Perambulante læta domino viridaria,
Alveolo cœpit ligneo conſpergere
Humum æſtuantem. Grævius.

72 *Matellionem Corinthium*] *Matellio*, ut ait Sextus Pompejus, vas urinæ eſt. *Sylvius*.

& videat aliquem ſummis populi beneficiis uſum, barbatulos mullos [73] exceptantem de piſcina [74], & pertractantem & murænarum copia gloriantem, nonne hunc hominem ita ſervum judicet, ut ne in familia quidem dignum majore aliquo negotio putet? An eorum ſervitus dubia eſt, qui cupiditate peculii nullam conditionem recuſant duriſſimæ ſervitutis? Hereditatis ſpes quid iniquitatis in ſerviendo non ſuſcipit? quem nutum locupletis orbi ſenis non obſervat? loquitur ad voluntatem: quidquid denuntiatum ſit, facit: aſſectatur, aſſidet, muneratur. Quid horum eſt liberi? quid denique non ſervi inertis?

III. Quid? jam illa cupiditas (quæ videtur eſſe liberalior) honoris, imperii, provinciarum, quam dura eſt domina! quam imperioſa! quam vehemens! Cethego homini non probatiſſimo ſervire coegit eos, qui ſibi eſſe ampliſſimi videbantur; munera mittere, noctu venire domum ad eum, precari, denique ſupplicare. Quæ ſervitus eſt, ſi hæc libertas exiſtimari poteſt? Quid? cum cupiditatum dominatus exceſſit, & alius eſt dominus exortus ex conſcientia peccatorum, timor? quam eſt illa miſera, quam dura ſervitus! Adoleſcentibus paulo loquacioribus eſt ſerviendum [75]: omnes, qui aliquid ſcire videntur, tanquam domini, timentur. [76] Judex vero quantum habet dominatum? quo timore nocentes afficit? An non eſt omnis metus, ſervitus? Quid valet igitur illa eloquentiſſimi viri, L. Craſſi, copioſa magis, quam ſapiens oratio [77]? *Eripite nos ex ſervitute*. Quæ eſt iſta ſervitus, tam claro homini, tamque nobili? Omnis animi debilitati, & humilis, & fracti timiditas ſervitus eſt. *Nolite ſinere nos cuiquam ſervire*.

73 *Barbatulos mullos exceptantem de piſcina*] Quidam Lucullum & Hortenſium, & alios putant intelligendos, quos *piſcinarios* Cic. I. ad Atticum vocat. Vide Plin. IX. 54. & ſeq. Macrob. III. Sat. 15. Cic. II. ad Attic. I. *Betulejus*.

74 *Exceptantem de piſcina*] Non carpo; ſed tamen communicanda videtur cum publico ſcriptura pal. ſec. quæ, *excitantem*; ut innuat mullos iſtos ad domini vocem ultro acceſſiſſe ad ejus manum. *Gruterus*.

75 *Adoleſcentibus paulo loquacioribus eſt ſerviendum*] Quia adoleſcentes ex magnorum virorum accuſatione probitatis & eloquentiæ laudem capeſſere ſolebant, ut ait Cicero II. de Officiis. *Laurent. Valla*.

76 *Judex vero*] Al. *index vero*. ſed ſive *judex*, ſive *index* metum nocentibus incutit. *Facc.*

77 *L. Craſſi, copioſa magis, quam ſapiens oratio*] De Orat. I. 52.

vire. In libertatem vindicari vult? minime. Quid enim adjungit? *nisi vobis universis* (dominum mutare [78], non liber esse vult) *quibus & possumus & debemus*. Nos vero, si quidem animo excelso, & alto, & virtutibus exaggerato sumus, nec debemus, nec possumus. Tu posse te dicito, quoniam quidem potes: debere ne dixeris; quoniam nihil quisquam debet, nisi quod est turpe non reddere. Sed hæc hactenus. Ille videat, quomodo imperator esse possit: cum eum ne liberum quidem esse ratio & veritas ipsa convincat.

PARADOXON VI.

Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος.
Solum sapientem esse divitem.

I. QUæ est ista in commemoranda [79] pecunia tua tam insolens ostentatio? solusne tu dives? Pro dii immortales! egone me audivisse aliquid, & didicisse, non gaudeam? Solusne tu dives? Quid si ne dives quidem? quid si pauper etiam? Quem enim intelligimus divitem? aut, hoc verbum, in quo homine ponimus? Opinor in eo, cui tanta possessio est, ut ad liberaliter vivendum facile contentus sit; qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Animus oportet tuus [80] se judicet divitem [81], non hominum sermo, neque possessiones tuæ: nihil sibi deesse putet, nihil curet

78 *Dominum mutare*] In emendatissimo libro Centronum, *mutitare*, scriptum fuit: quod tanquam non temere scriptum, retinui, quod frequentativi verbi significatio, inconstantiam auget. *Mutitare*, receptum verbum fuit in cœnis sodalitiariis, quod subinde alius eas aliusque exluberet. Meminit Gellius. *Langius*.

79 *Quæ est ista in commemoranda*] Ad M. Crassum Divitem orationem dirigit. Vide Plut. in vita Ciceronis. Ipse Cic. III. de Finibus: *Rectius sapiens appellabitur dives, quam Crassus, qui nisi eguisset nunquam Euphratem nulla belli causa transire voluisset*. Sylvius.

80 *Se judicet*] Aptius hoc sane esset, quam *te judicet* (ut legendum puto) nisi sequeretur *hominum sermo*, & *possessiones tuæ*. Facc.

81 *Animus oportet tuus se judicet divitem*] Inepte sic legitur in omnibus editionibus. Animæ divitiæ sunt virtutes, non possessiones, & facultates, de quibus hic agitur. Optime Pithœanus, & alius, cujus excerpta penes me sunt: *Animus oportet tuus te judicet divitem*. Si animo tuo dives es, revera dives es, etiam in fortunarum mediocritate. Paulo post quidem dicit, *animus hominis dives, non arca appellari solet*. Sed hoc est, is homo dives dicitur, cujus animus eum judicat divitem esse, contentum iis, quæ possidet. *Græv.*

ret amplius. Satiatus est, aut contentus etiam pecunia? concedo, dives es. Sin autem propter aviditatem pecuniæ nullum quæstum turpem putas, cum isti ordini [82] ne honestus quidem possit esse ullus: si quotidie fraudas, decipis, poscis, paciceris, aufers, eripis, si socios spolias, ærarium expilas [83]: si testamenta amicorum exspectas [84], aut ne exspectas quidem, at ipse supponis: hæc utrum abundantis, an egentis signa sunt? Animus hominis, dives, non arca appellari solet. Quamvis illa sit plena, dum te inanem videbo, divitem non putabo. Etenim ex eo, quantum cuique satis est, metiuntur homines divitiarum modum. Filiam quis habet? pecunia est opus. Duas? majore. Plures? majore etiam. Et si, ut ajunt, Danai quinquaginta sint filiæ [85]; tot dotes magnam quærunt pecuniam. Quantum enim cuique opus est, ad id accommodatur, ut ante dixi, divitiarum modus. Qui igitur non filias plures, sed innumerabiles cupiditates habet, quæ brevi tempore maximas copias exhaurire possint; hunc quomodo ego appellabo divitem, cum ipse etiam egere se sentiat? Multi ex te audierunt, cum diceres, neminem esse divitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus: quod populus Romanus tantis vectigalibus jampridem vix potest. Ergo hoc proposito, nunquam eris dives ante quam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut eo tueri sex legiones, & magna equitum

82 *Cum isti ordini*] Senatorio, ex quo tu es. *Sylvius.*

83 *Ærarium expilas*] M. Crassum suo & Pompeji consulatu tertio, rapuisse duo millia pondo auri e Capitolino Jovis solio, a Camillo ibi condita, Plinius auctor est cap. 1. lib. XXXIII. Ut ne ærario quidem abstinuisse credas, qui tali sacrilegio se obstrinxit. *Sylvius.*

84 *Si testamenta amicorum exspectas*] *Exspectare testamentum*, dicitur his utique invidiosè, ut *exspectare mortem*. Proprium in hac re verbum est, quod usurpant de iis, qui optant ut aliquis moriatur. Terent. Adelph. V. 4. *Illum ut vivat, optant; meam autem mortem exspectant*, optant ut moriar. Pro ulcji dictum sic extulit Quintil. lib. IX. cap. 4. *Cum Proculejus quereretur de filio, quod is mortem suam exspectaret, & ille dixisset se vero non exspectare. Immo, inquit, rogo exspectes.* Grævius.

85 *Et si, ut ajunt, Danai quinquaginta sint filiæ*] Sic dedit Grævius. Quod facilem habet explicatum, si probetur, hoc aliquando in communi fuisse proverbio: *Danai quinquaginta filiæ.* Id enim exigere videtur formula ista, *ut ajunt*. Gruterus: *Et si, ut ajunt, Danai quinquaginta sint filiæ.* Lambinus: *Et si, ut ajunt, Danai, quinquaginta sunt filiæ.* Aperta est sententia: *Si cujuspiam hominis quinquaginta sint* vel *sunt, filiæ, ut ajunt*, & memoriæ proditum est, filias *Danai* fuisse quinquaginta. Hominem vidi eruditum, qui se narraret in veterem incidisse librum manu exaratum antiqua & bona, unde abesset verbum *ajunt*: quo quidem carere sententia sine detrimento potest. *Fr. Odinus.*

ac peditum auxilia poſſis. Jam fateris igitur non eſſe te divitem, cui tantum deſit, ut expleas id, quod exoptas. Itaque iſtam paupertatem, vel potius egeſtatem ac mendicitatem tuam nunquam obſcure tuliſti.

II. Nam ut iis, qui honeſte rem quærunt mercaturis faciendis, operis dandis [86], publicis ſumendis, intelligimus opus eſſe quæſito: ſic, qui videt domi tuæ pariter accuſatorum atque judicum conſociatos greges; qui nocentes & pecunioſos reos eodem te auctore corruptelam judicii molientes; qui tuas mercedum pactiones in patrociniis [87], interceſſiones [88] pecuniarum in coitionibus candidatorum, dimiſſiones libertorum ad [89] defœnerandas diripiendaſque provincias; qui expulſiones vicinorum, qui [90] latrocinia in agris, qui cum ſervis, cum libertis, cum clientibus ſocietates [91], qui poſſeſſiones vacuas, qui proſcriptiones locupletium, qui cædes municipiorum, qui illam Syllani temporis meſſem [92] recordetur, qui teſtamenta ſubjecta, qui ſublatos tot homines; qui denique omnia venalia, delectum [93], decretum, alienam, ſuam ſententiam, forum,

86 *Operis dandis*] Aldus exponit, mercedis cauſa inſerviendo aliis. Sylvius, operas ſuas locando. Sed hoc nimis γενικῶς. Rectius puto *operas dare* hic eſſe publicanis ſervire, aut eſſe publicanum. Cic. epiſt. 65. lib. XIII. ad Fam. *Cum P. Terentio Hiſpone, qui operas in ſcriptura pro magiſtro dat, mihi ſumma familiaritas conſuetudoque eſt.* Hoc eſt, qui vicarius eſt magiſtri illius ſocietatis. Orat. II. in Verr. cap. 10. *Canuleius vero, qui in portu Syracuſis operam dabat.* Hoc eſt, qui erat inter publicanos qui Syracuſis portorium exigebant. Sic & alibi Cicero. *Grævius.*

87 *Qui tuas mercedum pactiones in patrociniis*] M. Craſſus, orator, improborum hominum patrocinia ſuſcipere ſolebat, ut narrat Salluſtius in Catilina. Lege autem Cincia pœna ſtatuebatur adverſus eos, qui pretio cauſas oraviſſent. *Sylvius.*

88 *Interceſſiones*] Hoc eſt, ſponſiones, interpoſita fide ſua, ſe ſoluturum pro iis, ni ipſi ſolverent, quam promittebant pecuniam, ut fecit, cum creditores C. Jul. Cæſarem a prætura in Hiſpaniam ulteriorem iturum retinerent, quos interventu Craſſi in primis removit teſte Plutarcho in ejus vita. *Grævius.*

89 *Defœnerandas*] Fœnore demergendas. Nemo ex Latinis, præter Apulejum imitari verbum hoc auſus eſt. Sed locus non caret mendi ſuſpicione. *Facc.*

90 *Latrocinia*] Rapti per agros viatores, ut eſt in Suetonio de Auguſto cap. 32. in ergaſtula coniiciebantur. Vide etiam de Tiberio. c. 8. *Idem.*

91 *Cum clientibus ſocietates*] Negotiationis cauſa. De quibus ſocietatibus Juſtinian. III. Inſtitut. *Sylvius.*

92 *Illam Syllani temporis meſſem*] Cum Sylla civium Romanorum bona vendens, ſuam ſe prædam vendere diceret, M. Craſſus ex iis permulta parvo emit. Cum idem Sylla magnam urbis partem incendio vaſtaſſet, areas multas earum domini partim egeſtate compulſi, partim nihil audentes petenti negare, Craſſo vendiderunt exiguo pretio. Qua ratione magnam urbis partem emit. Servos ad quingentos emit fabrilis artis & architecturæ peritos, quibus ad domos in areis vacuis ædificandas uteretur: quorum operas locabat iis, qui a ſe areas emerant. Hac ratione grandem pecuniam ſibi comparavit. Plut. in vita Craſſi. *Sylvius.*

93 *Delectum*] Id eſt, fuiſſe ad militiam adſci-

rum, domum, vocem, filentium: quis hunc non putet confiteri, fibi quæfito opus effe? cui autem quæfito opus fit, quis unquam hunc vere dixerit divitem? Eft enim divitiarum fructus in copia: copiam autem declarat fatietas rerum, atque abundantia: quam tu quoniam nunquam affequere, nunquam omnino es futurus dives. Meam autem quoniam pecuniam contemnis, & recte, (eft enim ad vulgi opinionem mediocris; ad tuam, nulla; ad meam, modica) de me filebo: de re loquar [94]. Si cenfenda nobis, atque æftimanda res fit, utrum tandem pluris æftimemus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat, an continentiam Fabricii, qui illam pecuniam repudiabat? utrum aurum Samnitum, an refponfum M'. Curii [95]? hereditatem L. Pauli, an liberalitatem Africani, qui ejus hereditatis Q. Maximo fratri partem fuam conceffit? Hæc profecto, quæ funt fummarum virtutum, pluris æftimanda funt, quam illa, quæ funt pecuniæ. Quis igitur (fi quidem, ut quifque, quod plurimi fit, poffideat, ita divitiffimus habendus fit) dubitet, quin in virtute divitiæ fint? quoniam nulla poffeffio, nulla vis auri & argenti pluris, quam virtus, æftimanda eft.

III. O dii immortales! non intelligunt homines, quam magnum vectigal fit parfimonia. Venio enim jam ad fumptuofos: relinquo iftum quæftuofum. Capit ille ex fuis prædiis fexcenta feftertia: ego centena ex meis: illi aurata tecta in villis, & fola marmorea facienti, & figna, tabulas, fupellectilem, & veftem infinite concupifcenti *, non modo ad fructum [96] ille eft fumptus, fed etiam ad fœnus, exiguus. Ex meo tenui vectigali, detractis fumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Uter igitur eft divitior, cui deeft, an cui fuperat? qui eget, an qui abundat? cujus poffeffio quo eft

 ma-

adfcitos vel non adfcitos prout demeruerant vel non demeruerant præfidem pecunia. *Gruterus.*

94 *De re loquar*] Vulgati omnes, *de te.* Sed in fequentibus, inquit Grævius, non loquitur de Craffo, fed comparat virtutem cum divitiis. Recte Pithœanus codex, *de re loquar*, quem, præeunte Grævio, fequimur.

95 *Refponfum M'. Curii*] Refpondit, *Non aurum habere præclarum fibi videri, fed iis, qui haberent aurum, imperare.*

* Man Lamb. *non modo ad fumptum ille fructus eft,*

96 *Non modo ad fructum*] Hoc vult: Tantum abeffe ut 600. illa feftertia fufficiant ad fumptus domefticos, ut ne quidem fatis fint ad diffolvendum fœnus. *Gruter.*

major, eo plus requirit ad se tuendam: an quæ suis se viribus sustinet? Sed quid ego de me loquor, qui morum ac temporum vitio aliquantum etiam ipse fortasse in hujus seculi errore verser? M'. Manilius patrum nostrorum memoria (ne semper Curios & Luscinios loquamur) pauper tandem fuit. Habuit enim ædiculas in Carinis, & fundum in [97] Labicano. Nos igitur divitiores, qui plura habemus? Utinam quidem! sed non æstimatione census, verum victu atque cultu terminatur pecuniæ modus. Non esse cupidum, pecunia est: non esse emacem, vectigal est. Contentum vero suis rebus esse, maximæ sunt certissimæque divitiæ. Etenim si isti callidi rerum æstimatores, prata & areas quasdam magno æstimant, quod ei generi possessionum minime quasi noceri potest: quanti est æstimanda virtus, quæ nec eripi, nec surripi potest unquam; neque naufragio, neque incendio amittitur; nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur? qua præditi qui sunt, soli sunt divites. Soli enim possident res & fructuosas, & sempiternas, solique (quod est proprium divitiarum) contenti sunt rebus suis. Satis esse putant, quod est: nihil appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt. Improbi autem, & avari, quoniam incertas, atque in casu positas habent, & plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inventus est, cui, quod haberet, esset satis; non modo non copiosi ac divites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt.

97 *Labicano*] Labicum oppidulum non procul ab urbe: unde Labicanus ager, qui in prima Italiæ regione collocatur a Plinio lib. 3. cap. 5. Majore numero Livius effert, & *Labicos* dicit l. 2. c. 39. *Facc.*

IN-

INDEX LIBRORUM,

Ad quos pertinent, quæ sequuntur,

FRAGMENTA.

PHI-

PHILOSOPHICORUM

FRAGMENTA.

[1] ŒCONOMICORUM LIB. I.

PRISC. *Lib.* VIII. Homo ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur.

COLUM. *Lib.* XII. *Cap.* I. Maritale conjugium [2] sic comparatum est natura, ut non solum jucundissima, verum etiam utilissima vitæ societas iniretur, & ne genus humanum temporis longinquitate occideret. Propter hoc mas cum fœmina est conjunctus. Deinde ut ex hac eadem societate mortalibus adjutoria senectutis, nec minus propugnacula præparentur. Tum etiam, cum victus & cultus humanus non, uti feris, in propatulo, ac silvestribus locis, sed domi sub tecto accurandus esset, necessarium fuit, alterutrum foris sub dio esse, qui labore & industria compararet: intus, qui tectis reconderet atque custodiret. Siquidem vel rusticari, vel navigare, vel etiam alio genere negotiari necesse erat, ut aliquas facultates acquireremus. Cum vero paratæ res sub tectum essent congestæ, alium esse oportuit, qui & illatas custodiret, & cætera conficeret opera, quæ domi deberent administrari. Nam fruges, & cætera alimenta terrestria indigebant tecto: & ovium cæterarumque pecudum fœtus atque fructus [a] clauso custodien-

1. Œconomicum Cicero adolescens admodum de Xenophonte convertit; quemadmodum ipse testatur lib. II. de Officiis, cap. 24. Hic est autem unicus liber apud Xenophontem, de tuenda re familiari: quem tamen Cicero pro arbitratu suo in tres divisit. Quorum primus præcepta habuit, quemadmodum deberet mater familias domi agere: secundus, quemadmodum foris pater familias: tertius agri colendi rationem est complexus, teste in primum Georgicorum Servio, cujus testimonium Macrobii etiam auctoritate video comprobari, Saturnalium lib. III. *Sigonius*. Sane videtur is liber Latino nomine, *De dispensatione universæ domus*, inscriptus a Cicerone fuisse. Sic enim scribit Hieronymus in epistola ad Algasiam quæst. VI. Οἰκονομικὸς *Xenophontis pulcherrimus liber est, qui non gubernationem villæ, sed dispensationem universæ domus, Tullio interpretante, significat*. Patricius.

2 *Maritale conjugium*] Hæc videntur esse ex initio libri I. ex quibus deinde profecta esse videtur totius corporis in libros divisio ac distributio. *Patricius*.

a *Clauso*] Gruterus, *claustro*.

ſtodienda erant; nec minus reliqua utenſilia, quibus aut alitur hominum genus, aut etiam excolitur. Quare cum & operam, & diligentiam ea, quæ propoſuimus, deſiderarent, nec exigua cura foris acquirerentur, quæ domi cuſtodiri oporteret: jure, ut dixi, a natura comparata eſt opera mulieris ad domeſticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forenſem & extraneam. Itaque viro calores & frigora perpetienda, tum etiam itinera & labores pacis ac belli, id eſt, ruſticationis & militarium ſtipendiorum, diſtribuit: mulieri deinceps, quod omnibus his rebus fecerat inhabilem, domeſtica negotia curanda tradidit. Et quoniam hunc ſexum cuſtodiæ & diligentiæ aſſignaverat, idcirco timidiorem reddidit, quam virilem. Nam metus plurimum confert ad diligentiam cuſtodiendi. Quod autem neceſſe erat foris & in aperto victum quærentibus nonnunquam injuriam propulſare, idcirco virum, quam mulierem, fecit audaciorem. Quia vero partis opibus æque fuit opus memoria, & diligentia: non minorem fœminæ, quam viro, earum rerum tribuit poſſeſſionem. Tum etiam, quod ſimplex natura non omnes res commodas amplecti [a] volebat, idcirco alterum alterius indigere voluit: quoniam, quod alteri deeſt, præſto plerumque eſt alteri.

COLUM. *Lib.* XII. *Cap.* 2.) Nam vetus eſt proverbium, *paupertatem certiſſimam eſſe, cum alicujus indigeas, uti eo non poſſe*, quia ignoretur, ubi projectum jaceat quod deſideretur. Itaque in re familiari [3] laborioſior eſt negligentia, quam diligentia. Quis enim dubitet, nihil eſſe pulchrius in omni ratione vitæ, diſpoſitione atque ordine? Quod etiam ludicris ſpectaculis licet ſæpe cognoſcere. Nam ubi chorus canentium, non certis modis, neque numeris præeuntis magiſtri conſenſit, diſſonum quiddam ac tumultuoſum audientibus canere videtur. At ubi certis numeris ac pedibus, velut facta conſpiratione conſenſit, atque concinuit: ex ejuſmodi vocum concordia non ſolum ipſis canentibus amicum quiddam & dulce reſonat, verum

a *Volebat*] Lambinus, *poterat*,

3 *Itaque in re familiari*] Exiſtimo huc reſpexiſſe Servium, qui in illud Æn. I. 707. *Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo*, citat Ciceronem in Œconomico docentem quid ubi ponendum ſit. *Patricius*.

rum etiam spectantes audientesque lætissima voluptate permulcentur.

DONAT. *in Ter.*) Quid igitur, pro deum immortalium! primum eam docebas? quæso.

COLUM.) Præparatis idoneis locis, instrumentum & supellectilem distribuere cœpimus, ac primum ea secrevimus, quibus ad res divinas uti solemus: postea mundum muliebrem, qui ad dies festos comparatur: deinde virilem: item dierum solemnium ornatum, nec minus calceamenta utrique sexui convenientia: tum jam seorsum arma ac tela seponebantur, & in altera parte instrumenta, quibus ad lanificia utuntur: post, quæ ad cibum conficiendum [a] vasa (ut assolent) constituebantur: inde, quæ ad lavationem, quæ ad exornationem, quæ ad mensam quotidianam, atque epulationem, pertinerent, exponebantur: postea ex iis, quibus quotidie utimur, quod menstruum esset, seposuimus: quod annuum quoque, in duas partes divisimus. Nam sic minus fallit, qui exitus futurus sit. Hæc postquam omnia secrevimus, tum suo quæque loco disposuimus: deinde quibus quotidie servuli utuntur, quæ ad lanificia, quæ ad cibaria coquenda & conficienda pertinent, hæc ipsa iis, qui uti solent, tradidimus, & ubi ea ponerent, demonstravimus, & ut salva essent, præcepimus. Quibus autem ad dies festos, & ad hospitum adventum utimur, hæc [b] primo tradidimus, & loca singula demonstravimus, & cuique sua annumeravimus, atque annumerata ipsi exscripsimus, eamque admonuimus, ut quodcumque opus esset, sciret unde daret; & meminisset, atque adnotaret, quid, & quando, & cui dedisset, & cum recepisset, ut quidque suo loco reponeret.

ŒCONOMICORUM LIB. II.

COLUM. *Lib.* II. *Cap.* I.) Utrumne, Ischomache, inquam, si res familiaris desideraffet, mercari villicum tanquam fabrum, an ipse instituere consuevisti? Ego vero ipse instituo. Etenim qui me absente in meum locum substituitur, & vica-

a *vasa*] Lamb. *vasa usui sunt*, (*ut*   b *primo*] Lamb. *prome*

vicarius meæ diligentiæ succedit, is ea, quæ ego, scire debet.

ŒCONOMICORUM LIB. III.

NONIUS. *Interfici*. Nullo modo facilius arbitror posse neque herbas arescere, & interfici: neque terram ab sole percoqui.

QUINT. *lib.* XII. *cap.* 5. NON. *Profligare*.) Cum vero affecta jam prope æstate, uvas a sole mitescere tempus est.

MACR. *lib.* III. *cap.* 10.) Qui neque serit vitem, neque quæ sata est, diligenter colit: oleum, ficus, poma non habet.

CARIS. *Lib.* I.) [4] Apes in alvearium concesserunt.

SERVIUS. *In* 2. *Georg.*) Scrobes.

PROTAGORAS, EX PLATONE.

PRISC. *lib.* VI.) Quid tu? unde tandem [5] appares, o Socrate [6]? an id quidem dubium non est, quin ab Alcibiade?

PRISC. *lib.* VIII. Nunc a vobis, Protagora & Socrates, postulo, concedatis alter alteri, & inter vos de hujusmodi rebus controversemini, non concertetis [7].

PRISC. *lib.* VI. Quæ igitur [8] potest esse indignitas voluptatis ad molestiam, nisi in magnitudine, aut longitudine alterius utrius posita?

4 *Apes in alvearium*] Hæc quibus Græcis Xenophontis respondeant, vide Victorium lib. XVIII. cap. 3. Var. Lect. *Patric.*

5 *Quid tu? unde tandem*] Hæc verba sunt prima dialogi: quod ex Græcis, quæ his respondent, cognoscitur. Πόθεν, ὦ Σώκρατες, φαίνῃ, ἢ δῆλα δὴ ὅτι ἀπὸ κυνηγεσίου, τοῦ περὶ τὴν Ἀλκιβιάδου ὥραν; Cum autem Cicero, *Appares*, verterit, satis perspicuum esse potest, eum non, βαίνῃ, sed φαίνῃ apud Platonem legisse: quod videtur multo etiam rectius. *Sigonius*.

6 *Socrate*] Σωκράτης, licet sit tertiæ, tamen non tantum *Socrates* facit in vocativo: sed &, quasi primæ declinationis foret, dicitur, *Socrate*, more Græcorum, qui dicunt, ὦ Σωκράτη. *Vossius*, Gram. IV. 3.

7 *Controversemini, non concertetis*] Ad eundem prope modum infra de Rep. lib. IV. *Benevolorum concertatio, non lis inimicorum, jurgium dicitur. Jurgare igitur lex putat inter se vicinos, non litigare.* Sed ibi concertationem benevolis tribuit, quam hic ab iisdem auferre videtur. *Patricius*. Platonis ἀμφισβητεῖν hic est *controversari*: quod verbum apud Ciceronem est singulare. *Sigonius*.

8 *Quæ igitur potest*] Vide quæ de hoc loco adnotavit P. Victorius lib. XIX. cap. 9. Variar. Lect. *Patricius*.

DONATUS *in* PHORMION.) Confirmandi genera compluria [9].

[10] DE REPUBLICA LIB. I. [11]

FRONTO.) Nuntiatum est [12], venire Lælium, domoque jam exisse.

NON. *Propter*.) Eum quoque ut salutavit [13], propter Tuberonem jussit assidere.

FRONTO.) Negotii publici expers.

NON. *Cituma*. Quare si placet [14], deduc orationem tuam de cælo ad hæc cituma.

DIO-

9 *Compluria*.] De ejusmodi declinatione verbi, *compluria*, pro *complura*, vide Gellium, V. 21. *Idem*.

10 Suorum de Republice sex librorum mentionem facit Tullius *in Bruto*, cap. 5. *ad Q. fratr.* III. 5. *ad Atticum*, IV. 16. VI. 1. 2. 6. VII. 2. 3. X. 4. XIII. 19. *Tuscul.* IV. 1. *de Divin.* II. 1. *de Legibus* I. 5. 6. 7. II. 10. III. 2. 5. 13. 16. *de Officiis*, II. 17. *de Amicitia*, 4.

11 Quanquam intelligo, difficile esse, ex tam minutis hujus libri fragmentis certum ullum ejus argumentum elicere: conabor tamen, conjecturis paulo firmioribus insistens, quam verissimam potero, ejus sententiam indagare. Sic igitur sentio, Ciceronem in hoc libro, quoniam de Rep. erat acturus, quæ civitatis esse constitutio definitur, primum de civitete proposuisse; deinde vero, quoniam civites urbe contineretur, quid urbs esset, & quid civitas, ostendisse: cumque ex civibus constet civitas, civem, & civem eum, quem potissimum in his libris informat, optimum, sive optimatem circumscripsisse: eundemque doctrina, artibus, studio, ac patriæ caritate instituí: præterea diuturnam civitatis potentiam concordia retineri, concordiam consilio & disciplina conservari docuisse: & quoniam recto consilio nihil est inimicius, quam iraeundia, & libido, postremo, ut illæ frenandæ essent, etiam subjecisse. Cur eutem ita sentiem, deinceps singulis fragmentis considerandis exponam. *Sigonius*.

12 *Nuntiatum est*,] Hoc ad dialogi præparationem pertinet, que docetur, unde interlocutorum quisque, & qua de causa convenerit, & ut de rebus illis differuerit, aut audierit. Hoc autem fragmentum, ut multa post alia, ex Cornelii Frontonis, grammetici veteris, libro quodam, qui *Elocutionum exempla* inscriptus est, mutuatus sum. Quem librum ex intimis Rainutii Farnesii, Cardinalis illustrissimi, thesauris, domino ipso concedente, sumptum ad me Roma juvenis ornatissimus atque doctissimus Fulvius Ursinus, amicus meus, misit. *Idem*.

13 *Eum quoque ut salutavit*] Et hæc ex præparatione dialogi sumpta sunt. Quod eutem fecit in libris oratoriis, ut alios induxerit senes, qui disputarent, Scævolam, Crassum, & Antonium; alios adolescentes Cottam, & Sulpicium, quorum rogatu senes illi ad eam disputationem edducerentur; idem etiam videtur fecisse in libris his, ut supra ostendi, politicis. Ex adolescentibus autem unus fuit Q. Tubero, alter Q. Scævole, quem, ut opinor, Scipio propter Tuberonem jussit effidere. *Idem*.

14 *Quare, si placet*,] Videtur consentaneum esse, Scipionem, cum de civitete esset disputaturus, altius sermonem repetiisse, id est e Deo, cujus numine, ac consilio humana omnie gubernantur, ut inde aut homines etiam deorum providentia inter se sociatos esse concluderet, aut, quod fecit in primo de Legibus, homines, & deos eidem legi obedientes, & ejusdem quasi civitatis esse osteoderet. Quare rogatur nunc Scipio, ut a rebus cælestibus ad humanas, quæ nobis propiores sunt, orationem deducat. *Sigonius*.

Sigo-

DIOMED.) Quasi alius assimulare [15] rempublicam aut melius non possit, aut omnino non possit.

NON. *Accommodatum.*) * expositamque ad [16] exemplum nostræ reipublicæ accommodabo ad eam, si potero, omnem illam orationem, quæ est mihi habenda de optimo civitatis statu.

NON. *Urbs a civitate.*) Quam cum [17] locis manuque sepsissent, ejusmodi conjunctionem tectorum, oppidum, vel urbem appellarunt, delubris distinctam, spatiisque communibus [18]. Omnis ergo populus, qui est talis cœtus multitudinis, qualem exposui, civitas est: omnis civitas, quæ est [19] constitutio populi, respublica.

Sigonius, ut videtur, legit sic: *Quare, si placet, deduc orationem tuam de cælo ad hæc citima.* Ego vero sic: *Quare si placet, deduc, ora, rationem tuam de cælo ad hæc citima.* Quod autem Scipio, ut opinor, rogatur hic, ut rationem vel orationem suam de cælo deduceret, idem est fortassis, quod de Socrate in præfatione v. Tusculanæ ita affirmatur: *Socrates*, inquit, *primus philosophiam devocavit e cælo, & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit*, videlicet *in hæc citima.* Patricius.

15 *Quasi alius assimulare*] Hoc ex Diomedis libro I. descripsi, qui citat librum de Republica. Putavi autem etiam ad librum primum pertinere, verbaque esse Scipionis, recusantis provinciam (ut fit in omnibus passim Ciceronis dialogis) de Rep. disputandi; ut sit sensus: Sic mihi hoc a vobis de Rep. differendi onus imponitur, quasi alius assimulare Remp. aut melius non possit, aut omnino non possit. Ita enim ego fragmentum & accipio, & expleo. Dixit autem *assimulare rempublicam*, sicut Horatius in epistola ad Pisones, *simulare cupressum*. Idem.

16 *Expositamque ad exemplum*] Sunt qui hunc locum ita legunt: *Exponam quoque ad exemplum nostræ reip. accommodaboque ad eam &c.* Huc autem respexisse videtur idem Cic. II. Leg. cap. 10. *An censes*, inquit, *cum in illis de Rep. libris persuadere videatur Africanus, omnium rerumpub. nostram veterem illam fuisse optimam, non necesse esse optimæ reipub. leges dare consentaneas?* Idem.

17 *Quam cum locis*] His verbis docuit Scipio, quid inter *urbem* interesset, & *civitatem*, auctore Nonio, atque *urbem* ædificia esse, *civitatem* civium multitudinem esse statuit. Aristoteles quidem etiam libro III. Politicorum, *civitatem* scribit non ex mœnibus æstimandam, atque omnino definit τὴν πόλιν πλῆθος τῶν πολιτῶν, τὴν πολιτείαν τάξιν τῆς πόλεως. Quo spectasse, cum hæc dicit, etiam Cicero videtur. Addam illud etiam; putare me, Scipionem de situ urbis in hoc libro egisse, quoniam in hoc libro de urbe disputavit. Etenim Servius, exponens illum versum poetæ,

Fluminaque antiquos subter labentia muros,

id etiam a Cicerone in libris de Rep. laudatum scribit. Quo illa quoque referenda videntur: *ut ad eam urbem, quam incolas, possis adnare.* Aristoteles autem ne hoc quidem in suis de Rep. præceptionibus prætermisit. *Sigonius.* Haud scio quam rectum sit, *locis manuque.* Mallem, *opere manuque*, vel *arte manuque*, vel *labore manuque.* Patricius.

18 *Delubris distinctam, spatiisque communibus.*] Totum hoc fragmentum a nonnullis, qui & ipsi colligendis his, ante Sigonium etiam & nos ipsos, operam navaverunt, Varronis, non Ciceronis esse dicitur. De quo quidem alii viderint. Ciceronem sane in hoc libro de situ urbis, deque ædificiis disputavisse, cum Servii auctoritate in lib. II. Georg. tum etiam Ciceronis ipsius ex II. de Officiis libro, cap. 17. convincitur: *Atque etiam*, inquit Cicero, *ille impensæ meliores sunt, muri, navalia, portus, aquarum ductus*, &c. *Sed de hoc*, inquit, *genere toto in iis libris, quos de Republica scripsi, diligenter est disputatum.* Patricius.

19 *Omnis civitas, quæ est*] Legendum fortasse: *Omnis civitas, constituta a populo*, &c. *Lambinus.*

FRONTO.) Ut ad eam urbem, quam incolas, possis adnare.

D. AUGUST. *epist.* 5.) * brevi multitudo * diversa atque vaga, concordia civitas facta erat.

NON. *Cognoscere.*) Cognoscere mehercule, inquit [20], consuetudinem istam, & studium, sermonemque.

SENECA *lib.* XIX. *epist.*) * duos Romanos reges esse, quorum alter patrem non habet, alter matrem. Nam de Servii matre dubitatur. Anci Marcii pater quoque ignoratur. Tantum hic Marcius, Numæ nepos dicitur.

NON. *Dimittere.*) Tum annui consules [21], tum dimissi populo fasces.

SENECA *lib.* XIX. *epist.*) * provocationem ad populum [22] etiam a regibus fuisse.

NON. *Horrendum ab horrido.*) Horum enim severitatem [23] dicitur inhorruisse primum civitas.

SE-

* *diversa*] Legerem, *dispersa*. Patr.

20 *Cognoscere mehercule, inquit*] Verba videntur alicujus eorum, qui Scipionem audiebant, qui se cupere ait, veterem cognoscere consuetudinem illam reip. Romanæ, de qua ille se dicturum esse ostenderat. *Sigonius.* Alias legitur, *cognosce*. Quid? si, *cognoscite*. Ut sint hæc Scipionis, ad eos, qui audiebant: quanquam ne Sigonii quidem conjectura displicet. *Patricius.*

21 *Tum annui consules*] Primum admoneo, videri hoc in loco deesse vocem, *instituti*. Ut sit: *Tum instituti annui consules, tum dimissi populo fasces*. Deinde addo, videri mihi legendum esse *demissi*, non *dimissi*. Est enim *demittere*, *summittere*. Loquitur autem de liberata regio dominatu rep. cum pro uno perpetuo rege consules duo, & quidem annui creari, & populo fasces a P. Valerio Poplicola, primum consule, summitti, ad populi libertatem stabiliendam, cœpit. Livius lib. II. *Consul, vocato ad concilium populo, summissis fascibus in concionem ascendit. Gratum id multitudini spectaculum fuit. Summissa sibi esse imperii insignia, confessionemque factam, populi, quam consulis, majestatem vimque majorem esse.* Credo autem Scipionem, cum, quemadmodum optimus Romæ reip. status esset constitutus, docere vellet, a primordio urbis nobilissimum quodque institutum, quo ejusmodi imperii temperatio in remp. Romanam sit invecta, repetiisse. Siquidem ipse in Tusculanis Cicero se majorum instituta in his libris moresque esse persecutum tradit. Accedit etiam, quod Seneca epistola CVIII. Ciceroni, ait, in libris de Rep. *quem nos in historiis dictatorem dici legimus, eum magistrum populi* appellari. *Unde qui ab eo nominatur, magister equitum*. Quod idem tamen fecit quoque in epist. ad Gallum: *Sed heus tu*, inquit, *manum de tabula, magister adest citius, quam putabamus. Magistrum* autem intelligit Cæsarem dictatorem. *Sigonius.*

22 *Provocationem ad populum*] Ex Seneca, eodem illo lib. XIX. Epistolarum: *Ex iisdem*, inquit, *de Rep. libris notat Philologus provocationem ad populum etiam a regibus fuisse*. Detur enim mihi interim, esse hæc ipsius verba Ciceronis. Ubi sunt autem, qui provocationem a dictatore in universum tollunt? cum videant reges etiam ipsos provocationi cessisse. Sic Fabius pater pro filio, magistro equitum, ad Papirium dictatorem apud Livium lib. VIII. *Videro, cessurusne provocationi sis*, inquit, *cui rex Rom. Tullus Hostilius cessit*. Patricius.

23 *Horum enim severitatem*] Pergit inde

Sci-

SENECA *lib.* XIX. *epist.*) Quem nos dictatorem [24] dicimus, & in historia ita nominari legimus, apud antiquos magister populi vocatus est, quod, qui ab illo nominatur, magister equitum est.

CIC. VI. *ad Atticum 9.*) Cn. Flavius fastos protulit [25].

FRONTO.) Ipsa cognitio [26] nos delectavit.

NON. *Æmulus.*) Quomodo enim judicatur iste optimas [27], aut optimatium æmulus? doctrina, artibus, studiis. Audio, quando?

NON.) Sed audisse te credo, tum vero Platonem [28], Socrate mortuo, primum in Ægyptum discendi causa, post in Italiam contendisse.

NON.

Scipio longius, id est ad decemviros, ut opinor, consulares, quorum nimia severitate civitatem primo aspectu perculsam inquit fuisse. Etenim sine provocatione creati, consulari imperio, & tribunicia potestate sublata, cum centum lictoribus secures novo exemplo cum fascibus alligatas ferentibus, cum in forum prodiissent, ac collegarum intercessionem sustulissent, terrore, ac formidine omnia compleverunt. Auctor lib. II. Livius, & Dionysius. *Sigonius.*

24 *Quem nos dictatorem*] Ne hoc quidem fragmentum valde existimo Ciceronianum esse: quod ego tamen, sicut ex Seneca cætera paulo ante recitata, antiquitatis magis, quam elocutionis causa, in contextum recipere volui. Nam hoc quoque ex libris de Rep. notare ait Seneca Philologum. *Patricius.*

25 *Cn. Flavius fastos protulit.*] De Cn. Flavio fastos proferente locutum esse in libris de Rep. Scipionem, Cicero in Epistolis ad Atticum missis affirmat ille quidem, sed tamen librum occultat. Mihi vero maxime probatur, cum Scipio hoc libro de veteribus Romanæ reip. institutis agere instituisset, eum ne de Flavio quidem fastos publicante reticuisse. *Sigonius.* Vide Livium, lib. 9. in fine; Plinium, lib. XXIII. cap. 1. Gellium. VI. 9. *Patricius.*

26 *Ipsa cognitio*] Videntur verba alicujus eorum, qui Scipionem Romana instituta persecutum laudet, seque ea cognitione delectatum dicat. *Sigonius.*

27 *Judicatur iste optimas*] In vulgatis Nonii libris, unde hoc sumptum est, legitur, *optimus*: at ego legendum existimo, *optimas*, ut etiam in Sextiana, Pauli Manutii Commentario non erudite minus, quam eloquenter, explicata. Qui ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarentur, *optimates* habebantur. Quis est ergo *optimas iste*? Expositis autem memorabilibus omnibus reip. Romæ institutis, credo tandem Scipionem, ut æquatis plebis & patriciorum opibus resp. constituta ac temperata sit, docuisse: tum vero civem ejus etiam reip. quem vere optimatam, quod optimam tractet remp. possumus appellare, quodam modo depinxisse, atque eum a populari separasse. Ex qua descriptione hæc sunt, ut opinor, quibus ait optimatem doctrina, artibus, & studiis judicari. Præclare. Scribit enim etiam Aristoteles [illegible] esse illum, cui proposita sit legum & veteris disciplinæ tutela. *Sigonius.* Ego autem miror totum hoc fragmentum citari a Nonio ad ostendendam significationem verbi, *æmulus*, cum pro eo, qui similitudinem vitæ alicujus vel instituti sequitur, accipitur; ut sane verear, ne ita legendum sit: *Quo enim*, vel *quomodo enim judicatur esse æmulus? Doctrina, artibus, studiis*. Hactenus puto Ciceronis fragmentum esse. Quod autem sequitur, Nonii est fortassis, & pertinet ad declarationem verbi, *audio*; ut sit: *Audio, quando significat*, vel *quando construitur &c.* Esse enim lacunam in Nonio existimo. *Patricius.*

28 *Sed audisse te credo*, Tubero, *Platonem*] Sic legendum esse vidit Jacobus Cujacius, Observ. lib. XI. cap. 9. *Lamb.*

NON. *Anima.*) Tum virtute [29], labore, industria quæreret summi viri indolem, nisi nimis animose ferox natura illum nescio quo pacto.

NON. *Consitura.*) Quæ videlicet ille non ex agri consitura [30], quam cernebat, sed ex doctrinæ indiciis interpretabatur.

NON. *Antiquus*, *Antiquior*.) Sed quoniam plurima beneficia continet patria, & est antiquior parens, quam is, qui ut ajunt, creaverit, major ei profecto, quam parenti, debetur gratia.

NON. *Pignerari.*) Sed ut plurimas [31] & maximas nostri animi, ingenii, consilii prima ipsa sibi ad utilitatem pigneraretur.

NON. *Conducere.*) Facillimam autem in ea republica esse posse concordiam [32], in qua idem conducat omnibus.

NON. *Firmitudo.*) Habent æquabilitatem quandam, qua carere diutius vix possunt liberi, deinde firmitudinem.

NON. *lib. de doct. indagine.*) Nec tantum Carthago [33] habuis-

29 *Tum virtute*,] Hoc fragmentum ad primumne, an secundum, an etiam quintum librum proprie pertineat, (hos enim libros omnes in Noniis variis cieri video,) alii dijudicent. Ego in primo reposui, non quasi id certa ulla ratione fieri debere statuerim, sed quod ex omnibus libris, qui in eo recitando loco nominabantur, eum librum cæteris præponi posse judicaverim, quem ordo ipse naturæ præponit in ordine numerorum. Hæc de loco. De reliquis Salogæ Nonius ita habet: *Tum virtute, labore, industria quæreretur summi viri indolem, nisi nimis animose ferox natura illum nescio quo.* Alii legunt, *Tum virtut. lab. industria quæreretur summi viri indoles nihil minus animose &c.* Ego unica solum dictione commutata sequor Salogani libri lectionem. Lego enim pro, *quæreretur*, *quæreret*: quæ tamen etiam lectio aliqua ex parte, ex aliorum proposita lectione, hausta videri potest. Nam, *pacto*, quod verbum adjicio ad extremum, hoc etiam in quibusdam libris invenio. *Patricius.*

30 *Quæ videlicet ille non ex agri consitura*,] Nescio, an de Lysandro loquatur, hortos Cyri regis manu consitos admirante. Quem sic Xenophon in Œconomico fecit loquentem: πάντα μὲν θαυμάζω ἐπὶ τῷ κάλλει: πολὺ δὲ μᾶλλον ἄγαμαι τὰ καταμετρήσαντός σοι, καὶ διατάξαντος ἕκαστα τούτων. Quæ ita expressit in Catone Cicero: Mirari se non modo diligentiam, sed etiam solertiam ejus, a quo essent illa dimensa, atque descripta. Quorsum autem hæc spectent, ne divinari quidem licet. Fortasse autem de studio patrio, atque avito agri colendi, quem optimati etiam convenire censebat, Scipio dicere erat aggressus. Nam Cicero quidem in Sextiana inter optimates libertinos etiam, & rusticos municipales retulit. *Sigon.*

31 *Sed ut plurimas*] Loquitur item, ut opinor, de patria. *Idem.*

32 *Facillimam autem in ea rep. esse posse concordiam*,] *Concordiam* ex æquabilitate oriri significat. Ut enim seditio excitatur, auctore in Politicis Aristotele, cum civium alii se deteriore, quam alios, premi conditione, neque æqualem habere reip. partem existiment: sic concordiam, quæ temperatione civitatis maxime continetur, civium ipsorum æquabilitas tuetur. Qua de re in his, & in proximis verbis agitur. *Sigonius.*

33 *Nec tantum Carthago*] Exemplo Carthaginiensium docet, necessaria esse ad imperii.

buiſſet opum ſexcentos fere annos ſine conſiliis & diſciplina.

NON. *Dominatus*.) Quid? tune cum es iratus [34], permittis illi iracundiæ dominatum animi tui?

NON. *Anima*.) Ergo non probares conſilio pulſo libidines [35], quæ ſunt innumerabiles, iracundias, quæ tenerent omnia. Ego vero nihil iſto animo, nihil ita animato homine miſerius ducerem.

NON. *Invitare*.) [36] Denique ipſa natura non invitaret ſolum, ſed etiam cogeret.

FRONTO.) Populo gratificans [37] & aliena, & ſua.

FRONTO.) Nec vero jam meo nomine abſtinet.

NON. *Horrendum ab horrido*.) Sed ut ille, qui navigat, cum ſubito mare cœpit horreſcere.

MACR. *lib. de different. & ſocietatibus Græci Latinique verbi*.) Libenter tibi, Læli, uti eum deſideras, equidem conceſſero.

perii magnitudinem, & diuturnitatem conſilia, & diſciplinam. Cæterum Vell. lib. 1. ait: *Carthago diruta eſt, cum ſtetiſſet annos* CCCCLXVII. *Idem*.

34 *Quid? tu cum es iratus*.] Poſtremo Scipio de frenanda ira inimica conſilio, & libidine coercenda; qua mens impeditur in deliberando, agit. Atque ita hæc duo fragmenta hujus diſputationis partem attingunt. *Idem*.

35 *Pulſo libidines*] Auſus ſum pro *pulſa*, *pulſas* ponere. Senſus totius eſt: Si quis eſt, qui non probet, pulſas eſſe libidines & iracundias conſilio, næ is miſerrime eſt animatus. *Patricius*.

36 *Denique ipſa natura*] Fortaſſe etiam de cupiditatibus hoc dictum eſt. Apud Nonium autem cum legeretur: *Cicero de Rep. Idemque ipſa natura*; repoſui; *Cicero de Rep.* 1. *Denique ipſa natura*. Sigon.

37 *Populo gratificans*] Mirum ni hoc fragmentum ad eum locum pertineat, ubi de ſitu urbis & ædificiis diſputabat: quemadmodum ſuperius in illum locum, *Delubris diſtinctam, ſpatiiſque* &c. oſtendimus. Equidem Cicero ædificia publica civitatum inter beneficentiæ & liberalitatis officia numerat, quibus quidem populo gratum fieri ſolet. *Patricius*.

DE

DE REPUBICA LIBER II. [38]

NON. *Exultare.*) Eſt igitur quiddam turbulentum [39] in hominibus ſingulis, quod vel exſultat voluptate, vel moleſtia frangitur.

NON. *Volutabundus.*) Cupido autem, & expetenti [40], & libidinoſo, & volutabundo in voluptatibus.

NON.

38 In ſecundo libro, quantum ego judicare poſſum, Scipio ſermonem, quem priore libro de coercendis animorum cupiditatibus orſus erat, aut retexuit, aut continuavit, aut certe uberius explicuit. Cive autem, quem ipſe quærebat, inſtituto, iterum ad civitatis quæſtionem deſcendit. Et quoniam civitatis conſtitutio nihil eſt aliud, quam reſpublica, reip. etiam definitionem, ac diviſionem breviſſimam attulit, cum remp. *rem populi* eſſe diceret, bonam quidem, cum juſte regeretur vel ab uno, vel a paucis, vel a multis; vitioſam autem, cum injuſte; optimam vero, cum ex tribus rectis conſtaret. Atque hæc quidem pluribus, ut video, verbis diſſeruit, adeo ut maximam hujus libri partem in eo ſermone conſumpſerit. Docet autem hoc D. Auguſtinus, cum in lib. de Civitate Dei 11. cap. 21. quid in extremo ſecundo libro Scipio diſputarit, his verbis exponit. *Inducit Cicero Scipionem eum ipſum qui Carthaginem extinxerat, de rep. diſputantem, quando præſentiebatur ea corruptione, quam deſcribit Salluſtius, jam jamque peritura. Eo quippe tempore diſputabatur, quo jam unus Gracchorum occiſus fuit. E quo ſcribit ſeditiones graves cœpiſſe Salluſtius. Nam mortis ejus fit in eiſdem libris commemoratio. Cum autem Scipio in ſecundi libri fine dixiſſet, ut in fidibus, ac nervis, atque cantu ipſo, ac vocibus concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur, & congruens, ſic ex ſummis, & mediis, & infimis interjectis ordinibus, ut ſonis, moderata ratione civitatem conſenſu diſſimillimorum concinere: & quæ harmonia a muſicis dicitur in cantu, eam eſſe in civitate concordiam, arctiſſimum, atque optimum vinculum incolumitatis: eamque ſine juſtitia nullo pacto eſſe poſſe. Ac deinde cum aliquanto latius, atque uberius diſſeruiſſet, quantum prodeſſet juſtitia civitati, quantumque obeſſet, ſi abfuiſſet, ſuſcepit deinde Philus, unus eorum, qui in diſputatione aderant, & popoſcit, ut hæc ipſa quæſtio diligentius tractaretur, ac de juſtitia plura dicerentur, propter illud, quod jam vulgo ferebatur, remp. regi ſine injuria non poſſe. Hanc proinde quæſtionem diſcutiendam, & enodandam eſſe aſſenſus eſt Scipio, reſponditque nihil eſſe, quod adhuc de rep. putaret dictum, niſi eſſet confirmatum, non modo falſum eſſe illud, ſine injuria non poſſe, ſed veriſſimum eſſe, ſine ſumma juſtitia remp. regi non poſſe. Cujus quæſtionis explicatio cum in diem ſequentem dilata eſſet, in tertio libro magna conflictione acta res eſt.* Hæc ille. Ex quibus apparet, Scipionem, poſtea quam optimam remp. breviter circumſcripſit, de concordia ſermonem iterum intuliſſe, eamque æquabilitate cuſtodiri, allata concentuum ſimilitudine, docuiſſe: extremo autem de juſtitia, ſine qua æquabilitas, atque concordia eſſe non poſſet, dubitante maxime de ea re Philo, diſſeruiſſe. *Sigonius*.

39 *Eſt igitur quiddam turbulentum*] Latius in hoc libro, ut dixi, de perturbationibus animorum diſputatum eſſe, quam priore extremo factum fuerat, puto. Quare eo ſine dubio referendum hoc eſt, quod profert Nonius ex lib. Ciceronis de Rep. Quamquam enim libri numerus apud eum interiit, tamen e ſecundo fuiſſe, ipſius argumenti ſimilitudo mihi perſuadet. Significat autem, duobus quaſi morbis homines conflictari: voluptate, & *moleſtia*. Sic enim apud Nonium lego, non, ut vulgo, *modeſtia*. Vexatur enim æque animus voluptate, ac dolore, quamvis illa exultet, hoc frangatur. *Idem*.

40 *Cupido autem, & expetenti*] Libidinem his verbis, quam Græci ἐπιθυμίαν vocant, expreſſit, quam ipſe in Tuſculana quarta cum lætitia copulavit: *Quæ vero*, inquit, *adverſa ratione incitata eſt vehementius, ea libido eſt, vel cupiditas effrenata, quæ in omnibus ſtultis invenitur*. Idem.

NON. *Anxitudo.*) Quantaque anxitudo [41] prona ad luctum, & mœrens, semperque ipsa se sollicitans.

NON. *Timor & timiditas.*) Esse autem angore & miseria afflictas, atque abjectas timiditate & ignavia.

NON. *Elidere.*) Ut auriga indoctus [42] e curru trahitur, operitur, eliditur, laniatur.

NON. *Offendere.*) Sed imitor Archytam [43] Tarentinum, qui cum ad villam venisset, & omnia aliter offendisset.

NON. *urbs a civitate.*) * quo auctore & principe vocitatur civitas.

NON. *Modicum.*) Statuo esse optime constitutam rempublicam, quæ ex tribus generibus illis, regali, optimo, & populari confusa modice, nec puniendo irritet animum immanem ac ferum, nec omnia prætermittendo, licentia cives deteriores reddat.

D. AUG. *lib.* II. *cap.* 21. *Civit.*) Ut in fidibus [44], ac tibiis atque cantu ipso, ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum ac discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: sic ex summis, & infimis, & mediis interjectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione civitas consensu dissimillimorum concinit; & quæ harmonia a musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, arctissimum atque optimum omni in republica vinculum incolumitatis, quæ sine justitia nullo pacto esse potest.

NON. *Projectum.*) Justitia foras spectat, & projecta tota est, atque eminet.

NON. *Explicare.*) Quæ virtus præter cæteras totam se ad alienas utilitates porrigit, atque explicat.

41 *Quartaque* (vulgo,) *quantaque anxitudo*] Anxitudinem quartam ægritudinis speciem videtur intelligere, quam in Tusculana quarta vocavit Angorem, eamque definivit, *ægritudinem prementem*. Sigonius.

42 *Ut auriga indoctus*] Nescio an hæc similitudo eo adhibita sit, ut rationem, quæ est inter appetitum & animum, demonstraret, atque an mentem, sensibus obedientem, cum rudi atque indocto auriga, qui se trahi ab equis patiatur, compararit. Quod si ita est, Platonem certe secutus est, qui in Phædro de duobus equis bono & malo, & eorum auriga ratione disseruit. *Idem.*

43 *Archytam*] Vide Tusc. IV. 36.

44 *Ut in fidibus*,] De Officiis, I. 41.

NON. *Exsultare*.) * quæ ſanguine alitur, atque in omni crudelitate ſic exſultat, ut vix hominum acerbis funeribus ſatietur.

NON. *lib. de doct. indagine*.) Itaque præclara illa inſtitutio Romuli cum ducentos annos & triginta fere firma manſiſſet.

NON. *Viritim*.) Ac primus agros, quos bello Romulus [45] ceperat, diviſit viritim civibus.

FRONTO.) Cum aliud nihil [46] domum ſuam deportaviſſet.

NON. *Pecunioſus*.) Multaque ditione ovium [47] & boum, quod tunc erat res in pecore, & in locorum poſſeſſionibus, ex quo pecunioſi & locupletes vocabantur.

GELLIUS *lib.* 1. *cap.* 22.) Non gravarer, Læli [48], niſi & hos velle putarem, & ipſe cuperem, te quoque aliquam partem hujus noſtri ſermonis attingere; præſertim cum heri ipſe dixeris, te nobis etiam ſuperfuturum. Verum, ſi id quidem [49] fieri non poteſt, ne deſis, omnes te rogamus.

NON. *Calumnia*.) ut Carneadi reſpondeatis [50], qui ſæpe optimas cauſas ingenii calumnia ludificari ſolebat.

FRONTO.) Neque enim ad mare admovit, quod ei fuit facillimum.

D. AUG. *lib.* 11. *cap.* 21. *Civit.*) Nihil eſt quod adhuc de republica putem dictum, & quo poſſim longius progredi, niſi ſit confirmatum, non modo falſum eſſe illud, ſine injuria non poſſe, ſed hoc veriſſimum, ſine ſumma juſtitia rempublicam regi non poſſe.

DE

45 *Ac primus agros, quos bello Romulus*] Numam Pompilium, qui ſecundus a Romulo regnavit, videtur ſignificare: qui agros, ut ait Dionyſius, a Romulo bello partos, nec cuiquam diviſos, viritim pauperibus diſtribuit. Quod eſt incredibilis regis ejus juſtitiæ certiſſimum argumentum. *Sigonius*.

46 *Cum aliud nihil*] Exemplum juſtiſſimi imperatoris, ut Pauli Æmilii, qui prædæ nihil in domum ſuam intulerit. *Idem*.

47 *Multaque ditione ovium*] Multatio, inquit Plinius XVIII. 3. non niſi ovium boumque impendio dicebatur. *Patricius*.

48 *Non gravarer, Læli*,] Verba ſunt Scipionis, quibus longiorem a ſe hodierni diei diſputationem repellit, ſeque Lælium diſſerentem, quemadmodum pridie pollicitus fuerat, velle audire ait. *Sigon.*

49 *Si id quidem*] Regius codex : *Verum id quidem*, omiſſa vocula *ſi*. Jac. Gronov.

50 *Ut Carneadi reſpondeatis*,] Hæc ſunt verba Furii petentis, ut de juſtitia latius diſputetur, quo argumentis Carneadis, quæ ipſe contra juſtitiam allaturus eſt, reſpondeant, eaque, ſi poſſint, convellant. Carneadem autem ea dicendi ac diſſerendi facultate inſtructum fuiſſe inquit in II. de Orat. ut nullam unquam rem oppugnarit, quam non expugnarit. *Sigon.*

DE REPUBLICA LIB. III.[51]

D. AUG. *lib.* IV. *contra Pelagium*.) Homo non ut a matre, sed ut a noverca natura editus est in vitam corpore nudo, & fragili, & infirmo: animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen inest tanquam obrutus quidam divinus ignis ingenii & mentis.

SENECA *lib.* XIX. *epist.*) Quoniam fumus ab ipsa calce[52] ejus interpellatione revocati.

51 Argumentum hujus libri minime dubium est. Siquidem D. Augustinus accurate illud eodem in loco *Civit.* II. 21. aperuit, ubi deinceps in tertio libro magna contentione rem actam scribit. *Suscepit enim*, inquit, *Philus ipse defensionem eorum, qui sentirent, sine injustitia regi non posse remp. purgans se præcipue, ne hoc ipse sentire crederetur: egitque sedule pro injustitia contra justitiam, ut hanc esse utilem reipublicæ, illam vero inutilem, verisimilibus rationibus & exemplis velut conaretur ostendere. Tum Lælius, rogantibus omnibus, justitiam defendere aggressus, asseruit, quantum potuit, nihil tam inimicum, quam injustitiam civitati, nec omnino nisi magna justitia geri, aut stare remp. posse. Qua quæstione, quantum satis visum est, pertractata, Scipio ad intermissa revertitur, recolitque suam, atque commendat brevem reip. definitionem; qua dixerat, eam esse* rem populi. *Populum autem non omnem cœtum multitudinis, sed cœtum juris consensu, & utilitatis communione sociatum esse determinat. Docet deinde, quanta sit in disputando definitionis utilitas; atque ex illis suis definitionibus colligit, tunc esse remp. id est rem populi, cum bene, ac juste geritur, sive ab uno rege, sive a paucis optimatibus, sive ab universo populo. Cum vero injustus est rex, quem tyrannum more Græco appellavit; aut injusti optimates, quorum consensum dixit esse factionem; aut injustus ipse populus, cui nomen usitatum non reperit, nisi ut etiam ipsum tyrannum vocaret; non jam vitiosam, sicut pridie fuerat disputatum, sed, sicut ratio ex illis definitionibus connexa docuisset, omnino nullam esse rempublicam: quoniam non esset res populi, cum tyrannus eam factiove capessèret; nec ipse populus jam populus esset, si esset injustus, quoniam non esset multitudo juris consensu, & utilitatis communione sociata, sicut populus definitur*. Idem post etiam lib. XIX. cap. 21. profitetur, se demonstraturum secundum definitiones, quibus apud Ciceronem utitur Scipio in libris de Rep. nunquam remp. fuisse Romanam. Quæ autem dicebat Philus contra justitiam, a Carneade philosopho se accepisse professus est, ut tradit Lactantius lib. V. cap. 15. cujus etiam verba non gravabor apponere, ut res sit illustrior. *Carneades*, inquit, *Academicæ sectæ philosophus, cujus in disserendo quæ vis fuerit, quæ eloquentia, quod acumen, qui nescit, is ex prædicatione Ciceronis intelliget. Is cum legatus ab Atheniensibus Romam missus esset, disputavit de justitia copiose, audiente Galba, & Catone censorio, maximis tunc oratoribus: sed disputationem suam postridie contraria disputatione subvertit, & justitiam, quam pridie laudaverat, sustulit. Eam disputationem, qua justitia subvertitur, apud Ciceronem L. Furius recordatur. Credo quoniam de rep. disserebat, ut defensionem, laudationemque ejus induceret, sine qua non putabat regi posse rempublicam. Carneades autem, ut Aristotelem refelleret, ac Platonem, justitiæ patronos, prima illa disputatione collegit ea omnia, quæ pro justitia dicebantur, ut posset illa, sicut fecit, evertere*. Hæc ibi Lactantius. At vero, capite 16. Carneadis ipsius etiam argumenta contra justitiam ponit. De hac autem inter Lælium, & Philum pro justitia contentione mentio est in dialogo de Amicitia, cap. 7. *Sigonius*.

52 *Ab ipsa calce*] Hanc quam nunc in circo metam vocamus, *calcem* antiqui dicebant. Seneca, ibidem. *Patricius*.

LACT. *Epitome cap.* I.) Nullum eſt jus naturale [53] . Itaque omnes animantes ipſa ducente natura commoda ſua defendunt : & ideo juſtitia , ſi alienis utilitatibus conſulat , ſuas negligat , ſtultitia eſt dicenda . Quod ſi omnes populi , penes quos ſit imperium , ipſique Romani , qui orbem totum poſſedere , juſtitiam ſequi velint , ac ſuum cuique reſtituere , quod vi & armis occupaverunt , ad caſas & egeſtatem revertentur . Quod ſi fecerint , juſtos dicemus quidem , ſed tamen ſtultos judicare neceſſe eſt , qui , ut aliis proſint , ſibi nocere contendunt .

LACT. *lib.* v. *cap.* 16. *Epit. cap.* I.) Bonus vir ſi habeat [54] ſervum fugitivum , vel domum inſalubrem ac peſtilentem , quæ vitia ſolus ſciat , & ideo proſcribat , ut vendat: utrumne profitebitur , fugitivum ſervum ac peſtilentem domum ſe vendere „ an celabit emptorem ? Si profitebitur [55] : bonus quidem , quia non fallet , ſed tamen ſtultus judicabitur , quia vel parvo vendet , vel omnino non vendet . Si celaverit , erit quidem ſapiens , quia rei conſulet : ſed idem malus , quia fallet . Deinde , ſi reperiat hominem , qui aut aurum pro orichalco , aut argentum pro plumbo vendat per errorem , atque id emere neceſſitas cogat : utrum diſſimulabit , & emet parvo , an potius indicabit ? Juſtus utique dicetur , quia non feſellit , ſed idem ſtultus , qui alteri fecerit lucrum , ſibi damnum . Sed facile de damno eſt . Quid ? ſi vita ejus in periculum veniet , ut eum aliquando neceſſe ſit , aut occupare , aut mori , quid faciet ? Poteſt hoc evenire , ut naufragio facto inveniat aliquem imbecillum , tabulæ inhærentem : aut victo exercitu , fugiens reperiat aliquem vulneratum , equo in-

53 *Nullum eſt jus naturale*] Videtur iis verbis Cicero Thraſymachum illum Platonis exprimere voluiſſe , qui jus omne opinabile eſſe , non naturale , affirmabat , idque eſſe definiebat , quod ei , qui plus poteſt , utile ſit . *Patricius*.

54 *Bonus vir ſi habeat*] Cicero , ſe hæc exempla ex ſexto Hecatonis de Officiis libello ſumpſiſſe , fatetur in tertio de Officiis , in quo eamdem fere exequitur quæſtionem . Quæſtio eadem attingitur in primo & ſecundo Platonis de Rep. *Sigon.*

55 *Profitebitur*] Vulgati poſt hoc verbum inſerunt , *emptori fugitivum eſſe :* quæ in ſuo vetuſtiſſimo codice Thomaſius non legi teſtatur . Nec vero legebantur in Lactantii editionibus 1476 , & 1497. Quare nec apparent in ea , quam nuper adornavit Chriſt. Aug. Heumannus . Hic enim , inquit ille , Cicero loquitur non de ſola profeſſione ſervi fugitivi , ſed etiam de profeſſione domus peſtilentis .

insidentem: utrumne aut illum tabula, aut hunc equo deturbabit, ut ipse possit evadere? Si volet justus esse, non faciet: sed idem stultus judicabitur, qui dum alterius vitæ parcit, suam perdet. Si faciet, sapiens quidem videbitur, quia sibi consulit: sed & idem malus, quia nocebit.

LACT. *lib.* v. *cap.* 12.) Quæro, si duo sint, quorum alter optimus vir, æquissimus, summa justitia, singulari fide: alter insigni scelere & audacia existimetur: & si in eo sit errore civitas, ut bonum illum virum, sceleratum, facinorosum, nefarium putet: contra autem, qui sit improbissimus, summa esse probitate ac fide existimet: proque hac opinione omnium civium, bonus ille vir vexetur, rapiatur, manus ei denique afferantur, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur, exterminetur, egeat: postremo jure etiam optimo omnibus miserrimus esse videatur: contra autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur, omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes copiæ conferantur: vir denique optimus omnium existimatione, & dignissimus omni fortuna judicetur: quis tandem erit tam demens, qui dubitet, utrum se esse malit?

NON. *Famulatur.*) Est enim genus injustæ servitutis, cum ii sunt alterius, qui sui possunt esse. Cum autem hi famulantur.

NON. *Infestum mare. Myopare.*) Nam cum quæreretur ex eo [56], quo scelere compulsus mare haberet infestum uno myoparone: Eodem, inquit, quo tu orbem terræ.

LACT. *lib.* VI. *cap.* 8.) Est quidem vera lex [57], recta ratio,

56 *Nam cum quæreretur ex eo*] Est summi cujusdam regis, ut Alexandri Magni, percontatio, qua de archipirata quæsivit, qua libidine compulsus, uno myoparone infestum totum mare haberet. Cui ille respondit, *eadem, qua tu orbem terrarum*. Ex quo intelligitur, eodem pacto injustum esse regem bellatorem, ac privatum hominem prædonem, cum uterque immensa habendi cupiditate ad injustitiam impellatur. *Sigonius*.

57 *Est quidem vera lex*] Hucusque pertinent ea, quæ ex Furiana disputatione pro injustitia fuisse opinor. Nunc subscribam ea, quæ Lælium pro justitia arbitror attulisse. Primum ergo naturalem, quam Furius sustulerat, intulisse justitiam eum existimo, quæ nihil aliud est, nisi recta ratio, quæ est in Deo. De qua cum dissereret, in hæc verba delapsus est, quemadmodum testatur Lactantius lib. VI. cap. 8. *Suscipienda igitur*, inquit, *Dei lex est, quæ nos ad hoc iter dirigat, illa sancta, illa cælestis, quam M. Tullius in lib. de Rep. tertio prope divina voce depinxit: cujus ego, ne plura dicerem, verba sub-*

ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna: quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat: quæ tamen neque probos frustra jubet, aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus. Neque est quærendus explanator, aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis; alia nunc, alia posthac; sed & omnes gentes, & omni tempore una lex, & sempiterna, & immortalis continebit; unusque erit communis quasi magister, & imperator omnium Deus. Ille legis hujus inventor, disceptator, lator: cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis adspernabitur: atque hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera supplicia, quæ putantur, effugerit.

LACT. *lib.* v. *cap.* 19.) Huic tu viro quas divitias objicies? quæ imperia? quæ regna? qui ista omnia putat humana, sua bona divina judicat.

PRISC. *lib.* VIII.) * quibus assentior, sollicitam & periculosam justitiam non esse sapientis.

NON. *Ubi genit. pro ablativo.*) Noster autem populus, sociis defendendis, terrarum jam omnium potitus est [58].

NON. *Largitas.*) Pyrrhi ridetur largitas a consule, aut Samnitium copiæ Curio defuerunt [59].

NON.

subjeci: Est quidem vera lex &c. Hujus autem legis definitionem Cicero accepit sive ab Aristotele, Rhetor. lib. I. sive ex Antigone Sophoclis, (versu 456, & seq.) *Idem.*

58 *Noster autem populus, sociis defendendis, terrarum jam omnium potitus est*] Hoc idem comprobat locus ille, qui est in Maniliana: *Quare si propter socios nulla ipsi injuria lacessiti majores vestri cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis, cum Pœnis bella gesserunt, quanto vos studio convenit, injuriis provocatos, sociorum salutem una cum imperii vestri dignitate defendere?* Recte. Etenim cum Antiocho & Ætolis pro Græcia liberanda pugnarunt; cum Philippo pro salute Atheniensium; cum Pœnis pro Mamertinis, Saguntinis & Massanissa, Numidiæ rege, bellum susceperunt, Mithridati vero Ponti regi, quod Asiam invasisset, postremo etiam arma intulerunt, atque ejus belli occasione longius imperium protulerunt. *Sigonius.*

59 *Pyrrhi ridetur largitas a cos. aut Samnitium copiæ Curio defuerunt*] Quanquam in his verbis est mendi aliquid, tamen apparet, quid Cicero velit, nimirum & Pyrrhi liberalitatem a Coss. Fabricio & Æmilio esse repudiatam, neque Samnitium opes Curio defuissa. Ut autem Pyrrhus rex consules donis tentarit, Samnites Curium muneribus amplissimis onerare voluerint, liquet ex Annalibus. Unda illa sunt Ciceronis in Paradoxis: *Utrum pluris æstimabimus pecuniam Pyrrhi,*

NON. *Apud*.) Cujus etiam focum [60] Cato ille noſter, cum venerat ad ſe in Sabinos, ut ex ipſo audiebamus, viſere ſolebat, apud quem ſedens, Samnitium, quondam hoſtium, tum jam clientium ſuorum, dona repudiaverat.

D. AUG. *lib.* XXII. *cap.* 6.) Nullum bellum ſuſcipitur a civitate optima, niſi aut pro fide, aut pro ſalute.

D. AUG. *lib.* XXII. *cap.* 4. *Civit.*) quorum non corpora [61] ſunt in cælum elata: neque enim natura pateretur, ut id, quod eſſet de terra, niſi in terra maneret.

D. AUG. *lib.* XXII. *cap.* 6. *Civit.*) Magis eſt in Romulo admirandum, quod cæteri, qui dii ex hominibus facti eſſe dicuntur, minus eruditis hominum ſeculis fuerunt; ut fingendi proclivior eſſet ratio, cum imperiti facile ad credendum impellerentur. Romuli [62] autem ætatem minus his ſexcentis annis, jam inveteratis literis atque doctrinis, omnique illo antiquo ex inculta hominum vita errore ſublato, fuiſſe cernimus.

D. AUG. *ibidem*.) Ex quo intelligi poteſt, permultis annis

rhi, quam Fabricio dabat, an continentiam Fabricii, qui illam pecuniam repudiabat? Utrum aurum Samnitium, an reſponſum M' Curii? Sigonius.

Pyrrhi videtur largitas a coſſ. aut a Samn.] Videtur ſic potius legendum: *Pyrrhi videlicet largitas conſulibus, aut Samnitium copiæ Curia defuerunt.* Immo vero ſic prorſus legendum eſſe cenſeo. Eſt enim ironia: qua ſignificat neque Fabricium Pyrrhi liberalitatem & munera; neque Curium Samnitium aurum deſideraſſe. *Lambinus.*

60 *Cujus etiam focum*] De hoc loco vide Victorium, Variarum Lectionum lib. x. cap. 5. *Patricius.*

61 *Quarum non corpora*] Quoniam D. Auguſtinus (*Civit.* XXII. 6.) Ciceronem in Scipionis ſermone de Romuli conſecratione egiſſe ait, ut infra oſtendam, ea re adducor, ut credam, vel a Lælio, poſtquam de præclaris juſtitiæ laudibus peroravit, vel a Scipione, mentionem de præmiis eorum, qui juſtitiam, & virtutem in vita coluiſſent, eſſe illatam: quæ autem nunc de Hercule, & Romulo in cælum relatis narrantur, ex ea diſputatione eſſe, qua juſtos homines ab hominibus inter deos referri alter eorum confirmaverit. *Sigonius.*

62 *Romuli autem ætatem minus*] Illud, *minus his ſexcentis annis*, tantumdem prope valet, quantum, quod alias ſolet idem dicere, *intra hos ſexcentos annos*. Sic illud ad Attic. XIV. I. *affirmatque minus diebus* XX. *tumultum Gallicum*. Videamus igitur, an verum ſit, quod ait, ex ratione temporum. Equidem diſputatio hæc de Republica habita eſt Sempronio & Aquilio coſſ. ut colligitur ex lib. III. Epiſt. ad Q. Fratrem, qui fuit annus U. C. DCXXIV. ad rationem Capitolinorum faſtorum. Romulus autem mortuus eſt anno urbis XXXVII. Inde igitur ad tempus diſputationis ſunt anni ſexcenti, minus tredecim. Quod autem ætas illa jam fuerit literata & civilis, cum fragmentum ipſum inferius exponit, tum vide etiam Ciceronem ipſum in Bruto XVII. XVIII. XIX. & I. Tuſc. II. & pro Archia ſub initium, & Gell. lib. XVII. cap. 21. Hoc autem etiam referendum eſſe exiſtimo non tam ad Romanos, qui tum nondum ſat exculti erant, quam ad Græcos. Nam in lib. I. de Div. *Romuli auguratum paſtoralem* adhuc, non *urbanum* appellat; & ibidem ſupra, *paſtoribus illum ait præfuiſſe*. Patricius.

nis ante Homerum fuiſſe , quam Romulum : ut jam doctis hominibus , ac temporibus ipſis eruditis , ad fingendum vix quicquam eſſet loci . Antiquitas enim recepit fabulas , fictas etiam nonnunquam incondite . Hæc ætas autem , jam exculta præſertim , & erudita , omne , quod fieri non poteſt , reſpuit.

LACTANT. *lib.* v. *cap.* 19. SENECA *lib.* XIX. *epiſt.*) Apud Ennium ſic loquitur Africanus :

Si fas endo plagas cæleſtum adſcendere cuiquam eſt ,
Mi ſoli cæli maxima porta patet .

Eſt vero , inquit , Africane . Nam & Herculi eadem ipſa porta patuit .

SENECA. *ibid.*) *Hic eſt ille ſitus , cui nemo civi' , neque hoſtis*
Quivit pro factis reddere operæ pretium .

D. AUG. *lib.* III. *cap.* 15. *Civit.*) Tantum eſt conſecutus [63] , ut , cum ſubito ſole obſcurato non comparuiſſet , deorum in numero collocatus putaretur : quam opinionem nemo unquam mortalis aſſequi potuit ſine eximia virtutis gloria .

D. AUG. *lib.* XXII. *cap.* 6.) Propterea & iſtum [64] non creditum inter deos receptum tali morte , quia fortaſſe quod erat in Romulo probatum , Romani vulgare noluerunt , ſi hoc & alteri tribueretur .

LACT. *lib.* v. *cap.* 19.) Vult plane virtus honorem [65] : nec eſt virtutis ulla alia merces : quam tamen illa accipit facile , exigit non acerbe . Sed ſi aut ingrati univerſi , aut invidi multi , aut inimici potentes ſuis virtutem præmiis ſpoliant , næ illa ſe tamen multis ſolatiis oblectat , maximeque ſuo decore ſe ipſam ſuſtentat .

D. AUG. *lib.* XXII. *cap.* 6. *Civit.*) Sed his pœnis , quas etiam ſtultiſſimi ſentiunt , egeſtate , exilio , vinculis , verberibus elabuntur ſæpe privati , oblata mortis celeritate . Civitatibus autem mors ipſa pœna eſt : quæ videtur a pœna ſingu-

los

63 *Tantum eſt conſecutus*] Loquitur de Romulo item Scipio . *Sigonius* .

64 *Propterea & iſtum*] De Tullo Hoſtilio , Romanorum rege , verba facit : quod oſtendit D. Auguſtinus ibidem . *Idem* .

65 *Vult plane virtus honorem*] Oratio eſt Lælii , qua hunc locum , ut puto , conclusit , nimirum omnino virtuti honorem deberi a civibus . Qui ſi , vel quod invidi , vel ingrati , vel inimici ſint , denegetur , ipſam ſe ſuo decore ſuſtentare . Fuiſſe hæc verba Lælii , ſcripſit Lactantius . *Idem* .

los vindicare. Debet enim constituta sic esse civitas, ut æterna sit. Itaque nullus interitus est reipublicæ naturalis, ut hominis, in quo mors non modo necessaria est, verum etiam optanda persæpe. Civitas autem cum tollitur, deletur, extinguitur, simile est quodammodo, ut magnis parva conferamus, ac si omnis hic mundus intereat ac concidat.

D. AUG. *lib.* XI. *cap.* 21. *Civit.*) Respublica est res populi [66]. Populus autem non omnis cœtus multitudinis, sed cœtus juris consensu, & utilitatis communione sociatus.

D. AUG. *ibidem.*) Respublica res est populi, cum bene ac juste geritur, sive ab uno rege, sive a paucis optimatibus, sive ab universo populo. Cum vero injustus est rex, quem tyrannum voco: aut injusti optimates, quorum consensus factio est: aut injustus ipse populus, cui nomen usitatum nullum reperio, nisi ut etiam ipsum tyrannum appellem: non jam vitiosa, sed omnino nulla respublica est, quoniam non est res populi, cum tyrannus eam, factiove capessat: nec ipse populus jam populus est, si sit injustus, quoniam non est multitudo juris consensu, & utilitatis communione sociata.

D. AUG. *lib.* XXII. *cap.* 21. *Civit.*) Ubi vero justitia non est, nec jus potest esse. Quod enim jure fit, profecto juste fit: quod autem fit injuste, nec jure fieri potest. Non enim jura dicenda sunt, vel putanda, iniqua hominum constituta, cum illud etiam ipsi jus esse dicant, quod de justitiæ fonte manaverit, falsumque sit, quod a quibusdam non recte sentientibus dici solet, id jus esse, quod ei, qui plus potest, utile est.

D. AUG. *lib.* IV. *contra Pelagium.*) An non cernimus [67], oppri-

66 *Respublica est res populi*] Transacta de justitia, atque injustitia controversia, Scipio, ut scripsit D. Augustinus, interruptam suam disputationem repetiit. Cœperat autem definire rempublicam, ac recta, & depravata ejus genera distinguere, & optimum statum civitatis instituere, cum cum de justitia incidit quæstio. Cum autem ibi breviter agere cœpisset, hoc loco uberius omnia, ut dixit D. Augustinus, ac copiosius retractavit. *Sigonius.*

67 *An non cernimus*] His verbis Scipio imperiorum inter se differentiam, ac rationem expressit, quod ad divisionem rerumpublicarum est referendum. D. autem Augustinus hujus præceptionis est auctor, qui libro XIV. c. 23. de Civitate Dei loquitur in hæc verba: *Nonne Cicero in libris de Rep. cum de*

optimo cuique dominatum ab ipsa natura, cum summa utilitate infimorum datum? Cur igitur deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini, iracundiæque, & cæteris vitiosis ejusdem animi partibus?

D. AUG. *ibidem*.) Sed & imperandi, & serviendi sunt dissimilitudines cognoscendæ. Nam, ut animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini: sed corpori, ut rex civibus suis, aut parens liberis: libidini autem, ut servis dominus, quod eam coercet & frangit: sic regum, sic imperatorum, sic magistratuum, sic patrum, sic populorum imperia civibus sociisque præsunt, ut corporibus animus. Domini autem servos ita fatigant, ut optima pars animi, id est, sapientia, ejusdem animi vitiosas imbecillasque partes, ut libidines, ut iracundias, & perturbationes cæteras.

NON. *Mercatura*.) Phœnices primi [68] mercaturis & mercibus suis avaritiam, & magnificentiam, & inexplebiles cupiditates omnium rerum supportaverunt in Græciam.

NON. *Confidentia*.) duas sibi res [69], quo minus in vulgus & in foro diceret, confidentiam & vocem defuisse.

NON. *Proferre*.) Sapientia jubet proferre opes, amplificare divitias.

NON. *Periculum*.) sed ut ipsi seu animum periclitentur, seu videant, quid se putent esse facturos.

NON. *Impigritas*.) Nunquam viri fortissimi fortitudinis, impigritatis, patientiæ.

PRISC.

de imperiorum differentia disputaret, & hujus rei similitudinem ex natura hominis assumeret, ut filiis dixit imperari corporis membris propter obediendi facilitatem; vitiosas vero animi partes, ut servos, asperiore imperio coerceri. Hæc autem verba, quæ & quo in libro fuerint, aperit libro quarto contra Julianum Pelagianum. *Audi*, inquit, *quæ dicat in tertio de Rep. libro Cicero, cum ageret de causa imperandi. An non*, inquit, *cernimus optimo cuique dominatum ab ipsa natura cum summa utilitate infimorum datum? Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini, iracundiæque, & cæteris vitiosis ejusdem animi partibus? Jamne potes saltem docente isto has, quas bonas esse defendis, vitiosas animi partes confiteri?* Idem.

68 *Phœnices primi*] Exemplum hoc de Phœnicibus quo spectaverit, plane divinare non possum. Accepit autem hunc locum Cicero ex quarto libro Reip. Platonis, ubi ille docet, Phœnices a natura factos ad pecuniam coacervandam, & mercaturam exercendam, cum ostendere vellet mores totius civitatis sæpe privatorum moribus commutari. Verba Platonis sunt hæc: Ἢ τὸ φιλοχρήματον, ὃ περὶ τοὺς τε Φοίνικας εἶναι, καὶ τοὺς κατ' Αἴγυπτον φαίη τις ἂν οὐχ ἥκιστα. *Idem*.

69 *Duas sibi res*] Loquitur sine dubio de Isocrate oratore, cui ad laudem forensem vox, & audacia defuit, ut ipse de se fatetur in Panathenaico. *Idem*.

PRISC. *lib.* VI.) Quid ergo illa [70] ſibi vult abſurda exceptio, niſi quis Athonem pro monumento vult funditus efficere? quis enim eſt Atho, aut Olympus tantus?

NON. *Vafrum.*) Non ſunt in diſputando vafri, non veteratores, non malitioſi.

DE REPUBLICA LIB. IV[71].

NON. *Ubi accuſativus pro genitivo.*) Atque ipſa mens [72], quæ futura videt, præterita meminit.

70 *Quid ergo illa*] Athonem, Thraciæ promontorium, quod Xerxes perfodit, intelligit. *Idem.*

71 P. Scipio, cum propoſitam reip. definitionem, & partium ejus, priore libro executus eſſet; atque optimum illum, quem ſibi ab initio quærendum propoſuerat, ſtatum civitatis informaſſet; in hoc libro magiſtratuum deſcriptionem eorum, quibus ejuſmodi reſp. uteretur, ac civium hujus reip. mores ad beatam vitam conformarentur, adhibuit. Cumque ad mores civitatis corrumpendos magnam vim ſcenam habere, cui tum populus Romanus ſtudioſe operam dabat, intelligeret; omnino ſcenicos ſibi poetas omnes aut civitate pellendos, aut certe, a tanta licentia cohibendos putavit. In quo potiſſimum Platonem ſuum, præclarum reip. inſtituendæ magiſtrum, eſt ſecutus; qui poetas ex divina illa ſua, quam nemo unquam niſi mente vidit, rep. emiſit. Id quod ex fragmentis ipſis facile cognoſcetur. Quin etiam idem corporis, atque animi, & rerum, quæ a natura gignuntur, opportunitates innumerabiles, deorum conceſſu humano generi traditas, videtur perſecutus, ſi ipſum in primo de Legibus & Lactantium in libro de Opificio Dei loquentes audiemus. Verba Ciceronis hæc ſunt: *Omitto opportunitates, habilitateſque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quæ conciliatrix eſt hujus maxime ſocietatis. Neque enim omnia ſunt hujus diſputationis, & temporis: & hunc locum ſatis, ut mihi videtur, in iis libris, quos legiſtis, expreſſit Scipio.* Id autem a Scipione factum eſſe in quarto libro de Rep. teſtatur Lactantius in capite primo ejus libri, quem de Opificio, ut dixi, inſcripſit, hoc modo: *Tentabo, quoniam corporis, & animi facta mentio eſt, utriuſque rationem explicare. Quod officium hac de cauſa maxime ſuſcipiendum puto, quod M. Tullius in quarto de Rep. libro, cum id facere tentaſſet, nihil prorſus effecit; materiam late patentem, anguſtis finibus terminavit, leviter ſumma quæque decerpens.* Quorſum autem ſpectaverit hæc tam alte repetita Scipionis in hoc libro oratio, explorati nihil habeo: niſi forte, cum de civili ſocietate acturus eſſet, magna hominibus ad eam a natura ſubſidia ſubminiſtrata eſſe, docuit, cum omnia, quæ e terra gignerentur, cum pecudes, ac belluas omnes hominum cauſa a natura procreatas oſtenderet, cum denique innumerabilibus corporis, atque animi opportunitatibus homines a natura ipſa ornatos, cum vocem, cum orationem unam maxime ad conciliandam ſocietatem accommodatam illis datam exponeret. Nam & hi loci in primo Politicorum ab Ariſtotele ſunt tractati. Præterea vero de moderanda mulierum licentia, de pueris educandis, de ratione litigandi, in hoc libro ſive a Scipione, ſive ab alio quo ex iis, qui aderant, diſputatum, ſatis ex fragmentis ipſis apparebit. Præterea cum Cicero in tertio de Legibus ſcribat, Scipionem pro ſe ſatis multa dixiſſe in his libris, cur legem tabellariam Caſſiam de populi judicio ſuaſerit, exiſtimo id in hoc libro eſſe factum, præſertim cum hæc verba a Priſciano ex libro quarto proferantur: *Non facile valenti populo reſiſtitur: ſi aut nihil impertias juris, aut parum.* Sigonius.

72 *Atque ipſa mens*] Hæc verba ex ea diſputatione excidiſſe opinor, quam de voce, de oratione, & mente hominibus a natura donatis Scipio inſtituit. *Idem.*

NON. *Mitis*.) Cumque autumno terras [73] ad concipiendas fruges patefecerit, hieme ad conficiendas compresserit, vere ad effundendas relaxarit, æstate ac maturitate alias mitigaverit, alias torruerit.

NON. *Aptam*.) eademque [74] soli objecta umbram noctemque efficiat, cum ad numerum dierum aptam, tum ad laborum quietem.

LACT. *de Opif. Dei*.) Nec voluntatem mihi defuisse, nec curam.

D. AUG. *lib.* IX. *cap. 9. Civit.*) Nunquam comœdiæ [75], nisi consuetudo vitæ pateretur, probare sua theatris flagitia potuissent.

D. AUG. *ibidem*.) Quem illa non attigit, vel potius quem non vexavit? cui pepercit? Esto: populares homines, improbos in rempublicam, seditiosos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum læsit: patiamur, etsi hujusmodi cives a censore melius est, quam a poeta notari. Sed Periclem, cum jam suæ civitati maxima auctoritate plurimos annos domi & belli præfuisset, violari versibus, & eos agi in scena, non plus decuit, quam si Plautus noster voluisset, aut Nævius, P. & Cn. Scipioni, aut Cæcilius M. Catoni maledicere.

D. AUG. *6.*) Nostræ contra XII tabulæ cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt, *Si quis actitavisset* [76], *sive carmen condidisset*, *quod infamiam afferret flagitiumve alteri*. Præclare. Judiciis enim, ac magistratuum disceptationibus legitimis propositam vitam, non poetarum ingeniis habere debemus: nec probrum audire, nisi ea lege, ut respondere liceat, & judicio defendere.

D. AU-

73 *Cumque autumno terras*] Inter cætera admirabilia naturæ munera etiam sol ipse numeratur: a quo cum alia prope infinita homines commoda consequuntur, tum unum illud, de quo nunc agi videtur, insigne: quod ab eo autumno terræ ad concipiendas fruges patefiant, hieme relaxentur. Hæc autem certe pars fuit ejus sermonis, quem Scipio de commoditatibus, quas natura hominibus est largita, suscepit: quas pluribus verbis in secundo de Natura Deorum lib. Cicero persecutus est. *Idem*.

74 *Eademque*] Terra scilicet.

75 *Nunquam comœdiæ*] Cum de moribus per magistratus emendandis Scipio esset dicturus, poetarum scenicorum licentiam, qui apud Græcos cuique palam maledicere soliti erant, improbavit; majorum suorum institutum, qui eam correctionem melius notatione censoria, quam poetarum petulantia fieri existimaverint, commendavit. *Sigonius*.

76 *Actitavisset occentavisset*. Sic est in libris veteribus. *Patricius*.

D. AUG. *lib.* II. *cap.* 10. *Civit.*) Æſchines Athenienſis, vir eloquentiſſimus, cum adoleſcens tragœdias actitaviſſet, rempublicam capeſſivit; & Ariſtodemum tragicum item actorem, maximis de rebus pacis ac belli legatum ad Philippum Athenienſes ſæpe miſerunt.

D. AUG. *lib.* II. *cap.* 12. *Civit.*) * Probris & injuriis poetarum [77] ſubjectam vitam famamque habere noluerunt, capite etiam puniri ſancientes, tale carmen condere ſi quis auderet.

D. AUG. *lib.* II. *cap.* 13. *Civit.*) * Cum artem ludicram [78], ſcenamque totam in probro ducerent, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, ſed etiam tribu moveri notatione cenſoria voluerunt.

D. AUG. *lib.* II. *cap.* 14. *Civit.*) Ad quos [79] cum acceſſiſſet clamor & approbatio populi, quaſi magni cujuſdam & ſapientis magiſtri, quas illi obducunt tenebras? quos invehunt metus? quas inflammant cupiditates?

NON. *Fingere.*) Ego vero eodem, quo ille [80] Homerum redimitum coronis, & delibutum unguentis, emittit ex ea urbe, quam ipſe ſibi fingit,

MARCEL. *lib.* XXX.) Cumque nihil tam incorruptum eſſe debeat in republica, quam ſuffragium, quam ſententia: non intelligo, cur, qui ea pecunia corruperit, pœna dignus ſit; qui eloquentia, laudem etiam ferat. Mihi quidem hoc plus mali facere videtur, qui oratione, quam qui pretio judicem corrumpit, quod pecunia corrumpere prudentem nemo poteſt, dicendo poteſt.

NON. *Impurus & immanis.*) Sed juventuti noſtræ minime audiendus [81]. Quippe ſi ita ſenſit, ut loquitur, eſt homo impurus:

77 *Probris & injuriis poetarum*] Ego quidem hoc totum vix puto eſſe Ciceronis, ſed Auguſtini potius, ad fragmentum illud ſuperius reſpicientis, quod proxime de XII. tabulis præceſſit. *Patricius*.

78 *Cum artem ludicram*] Adeo, inquit, Romani licentiam hanc poetarum vituperant, ut ſcenicos ipſos etiam actores ignominiis notaverint; ſiquidem notatione cenſoria omnes hiſtriones, præter actores Atellanarum, tribu movebantur. *Sigonius*.

79 *Ad quos*] Poetas: ut ibidem ait Auguſtinus.

80 *Ille*] Plato, lib. de Rep. III.

81 *Sed juventuti noſtræ minime audiendus*] De Epicuro philoſopho videtur dictum, qui ſummum bonum in voluptate poſuit: cui qui ſe addixerant, voluptatem corporis ab

eo

purus: fin aliter: quod malo oratio eft tamen immanis.

NON. *Ignominia*.) Cenforis judicium [82] nihil fere damnato affert, nifi ruborem. Itaque quia omnis ea judicatio verfatur tantummodo in nomine, animadverfio illa *ignominia* dicta eft.

NON. *ubi dativus pro accufativo*.) Nec vero mulieribus præfectus præponatur [83], qui apud Græcos creari folet, fed fit cenfor, qui viros doceat moderari uxoribus.

NON. *Temulenta*.) Magnam habet vim difciplina verecundiæ. Carent temeto omnes mulieres [84].

NON. *Fama*. Atque etiam fi qua [85] erat famofa, ei cognati ofculum non ferebant.

NON. *Clepere*.) Non modo ut Spartæ, rapere ubi pueri, & clepere difcunt [86].

SERV. Apud Græcos opprobrio fuit adolefcentibus, fi amatores non haberent.

NON.

eo intelligi negabant. Et hunc ut etiam poetas, videtur Scipio ex optima civitate emittere, utrocunque modo fenferit. Nam fi ita fenfit, ut loquitur, eft homo impurus. Sin autem, ut defenfores ejus affirmant, oratio eft tamen, inquit, immanis. Imitatus eft autem C. Fabricium illum, qui cum Pyrrho pugnavit: qui cum apud Pyrrhum in convivio audiret, quæ de diis colendis, de capeffenda rep. de fummo bono in voluptate conftituendo Epicurus differeret, exclamavit, *Utinam hanc mentem Pyrrho, & Samnitibus, hoftibus noftris, dii dediffent*. Hoc autem extat apud Plutarchum in Pyrrho. *Sigonius*.

82 *Cenforis judicium*] Probat maxime in rep. cenforem, qui fit magifter morum, & notet infamia cives, fi probrum ineffe dignum notatione cenforia cenfuerit. Quod autem fcribit, judicium cenforis nihil afferre, nifi ruborem damnato, idem fcripfit etiam in Cluentiana. *Sequitur*, inquit, *id, quod illi judicium appellant, majores autem noftri nunquam neque judicium nominarunt, neque perinde ut rem judicatam obfervaverunt, animadverfio, atque auctoritas cenforia &c.* Sigonius.

83 *Nec vero mulieribus præfectus præponatur*] De moderandis mulieribus loquitur. Improbat autem magiftratum, qui erat apud Græcos, γυναικονόμον, id eft, præfectum mulieribus. Hanc enim curam ftatuit effe cenforiam, qua mulieres in officio facile contineantur. Hunc in Afinaria Plautus vocat *moribus præfectum mulierum*. Idem.

84 *Carent temeto omnes mulieres*] Gellius lib. x. cap. 23. *Qui de victu atque cultu populi Romani fcripferunt, mulieres Romæ, atque in Latio ætatem abftemias egiffe, hoc eft vino femper, quod temetum prifca lingua appellabatur, abftinuiffe dicunt.... Bibere autem folitas ferunt, loream, paffum, murinam, & quæ id genus epotant*, (Gronov. *extant*) *potu dulcia*. Idem.

85 *Atque etiam fi qua*] Conjuncta hæc eft fententia cum fuperiore. Inquit enim eodem in loco Gellius, *inftitutum fuiffe, ut mulieres cognatis ofculum ferrent, reprehendendi caufa, ut odor indicium faceret, fi vinum bibiffent*. Quod idem Plinius, lib. xiv. cap. 13. *Idem*.

86 *Non modo, ut Spartæ, rapere ubi pueri, & clepere difcunt.*] Hoc ad eam partem pertinere videtur, in qua de liberis educandis, & ad ftudia & labores inftituendis docuit. Quæ ratio ab eo, qui remp. informat, nullo modo prætermittenda eft; quippe cum fit diligentiffime a Platone vii. libro de Legibus, & ab Ariftotele viii. lib. Politicorum tractata. *Idem*.

NON. *Jurgium a lite.*) Admiror, nec rerum [87] ſolum, ſed verborum etiam elegantiam. *Si jurgant*, inquit: benevolorum concertatio, non lis inimicorum, jurgium dicitur.

NON. *ibid.*) Jurgare igitur lex putat inter ſe vicinos, non litigare.

Non. *Petulantia*, *Procacitas*.) Itaque a petendo petulantia, a procando, id eſt, poſcendo, procacitas nominata eſt.

NON. *Fides*.) Fides enim nomen ipſum mihi videtur habere, cum fit, quod dicitur.

NON. *Blandimentum*.) In cive excelſo, atque homine nobili, blanditiam, oſtentationem, ambitionem, notam eſſe levitatis.

NON. *Portitor*.) Nolo enim eundem populum [88], imperatorem & portitorem eſſe terrarum: optimum autem & in privatis familiis, & in republica veſtigal duco eſſe parſimoniam.

NON. *Pecuda*.) * cum adhibent in pecuda paſtores.

NON. *Excipere*.) * quod inſepultos [89] reliquiſſent eos, quos ex mari, propter vim tempeſtatis, excipere non potuiſſent, innocentes necaverint.

NON. *Proprium*.) Et noſter Plato [90] magis etiam, quam Lycurgus, omnia prorſus jubet eſſe communia, ne quis civis propriam, aut ſuam rem ullam queat dicere.

NON. *de Doctr. ind.*) Nec in hac diſſenſione ſuſcepi populi cauſam, ſed bonorum.

NON. *Auguro*.) Cui quidem utinam vere auguraverim.

NON. *Sanctitudo*.) * eoſdem terminos hominum curæ atque

87 *Admiror, nec rerum*] Se admirari ait non rerum ſolum elegantiam, quæ erant in lege XII. tabularum, ſed verborum. Dixit enim, *jurgant*: quam vocem deinde ipſe interpretatur. *Idem*.

88 *Nolo eundem populum*] De publica parſimonia, & frugalitate, quæ virtutes magnæ a veteribus habitæ ſunt, loquitur. Quas in rep. gerenda qui negligunt, veſtigalia nova, atque intoleranda ſociis imponant, neceſſe eſt. Eſt autem, inquit, turpe, eundem populum *imperatorem, & portitorem eſſe terrarum*. Hinc autem in Paradoxis exclamavit: *O dii immortales, non intelligunt homines, quam magnum veſtigal ſit parſimonia*. Sigonius.

89 *Quod inſepultos*] Hi Athenienſes fuerunt, qui dum religioni ſervire, pietatique erga mortuos voluerunt, rem injuſtam, atque ab omni pietate alienam commiſerunt, ut exponit Petrus Victorius, vir & ingenio, & doctrina præſtanti, in *Variis Lectionibus*, ex primo libro Græcarum rerum Xenophontis. *Idem*.

90 *Plato*] De Republica, lib. IV. & V.

que vitæ [91]: sic pontificio jure sanctitudo sepulturæ.

PRISC. *lib.* xv.) Non enim facile valenti populo resistitur, si aut nihil impertias juris, aut parum.

PRISC. *Carm.*) Brachialia.

PRISC.) Armentum habeo.

DE REPUBLICA LIB. V. [92]

D. AUG. *lib.* II. *cap.* 21. *Civit.*) Ennius [93]:

Moribus antiquis res stat Romana, virisque.

Quem quidem ille versum, vel brevitate, vel veritate, tanquam ex oraculo mihi quodam esse effatus videtur. Nam neque viri, nisi ita morata civitas fuisset, neque mores, nisi hi viri præfuissent, aut fundare, aut tam diu tenere potuissent tantam, & tam longe lateque imperantem rempublicam. Itaque ante nostram memoriam & mos ipse patrius præstantes viros adhibebat, & veterum morem, ac majorum instituta retinebant excellentes viri. Nostra vero ætas cum rempublicam sicut picturam accepisset egregiam, sed jam evanescentem vetustate, non modo eam coloribus iisdem, quibus fuerat, renovare neglexit, sed ne id quidem curavit, ut formam saltem ejus, & extrema tanquam lineamenta servaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit *rem stare* Romanam?

91 *Eosdem terminos hominum curæ atque vitæ*] Obscura verba, nec satis, quid significent, aperientia, nisi fortasse illud, de quo in Dialogo de Amicitia, cap. IV. scriptum est: *Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt: quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur*, idest, si idem esset terminus hominum curæ & vitæ. *Sigonius*.

92 P. Scipio cum satis superioribus diebus de civitate, de rep. & partibus ejus, præterea vero de civium moribus, quibus optimus ille, quem descripsisset, reip. status contineretur, egisset, eo tandem orationem suam adduxit, ut de principe, & moderatore hujus reip. disputaret. Itaque quintum, ac sextum librum in hac, ut video, tractanda quæstione consumpsit. In quibus primum finem hujus rectoris reip. indagavit; deinde virtutes, quibus ille quasi armis quibusdam instructus ad eam capessendam accederet; postremo præmia, quæ iis, qui remp. ipsam auxissent, amplissima proposita essent, numeravit. Quæ causa fecit, ut Cicero his libris proœmium illud præfixerit, quod esset huic, de quo dixi, argumento maxime consentaneum, de excellentibus, inquam, virtute viris, a quibus cum mores, ac instituta majorum, tum tanta præsertim, ac tam potens resp. servaretur. *Sigonius*.

93 *Ennius*.] Hæc sunt ex proœmio libri quinti de Rep. teste D. Augustino libro II. cap. 21. de Civitate Dei: cujus hæc verba sunt: *Nullam fuisse Romanam remp. ipse Tullius non Scipionis, nec cujusdam alterius; sed suo sermone loquens, in principio quinti libri demonstravit, commemorato prius Ennii poetæ versu, quo dixerat*, Moribus antiquis res stat Romana &c. *Idem*.

nam? quos ita oblivione obsoletos videmus, ut non modo non colantur, sed etiam ignorentur. Nam de viris quid dicam? mores enim ipsi interierunt virorum penuria. Cujus tanti mali non modo reddenda ratio nobis, sed etiam tanquam reis capitis quodammodo dicenda causa est. Nostris enim vitiis, non casu aliquo, rempublicam verbo retinemus: reapse [94] vero jampridem amisimus.

Cic. *lib.* VIII. *epist. ad Atticum.*) Ut enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria: sic huic moderatori reipublicæ beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Hujus enim operis maximi inter homines, atque optimi, illum esse effectorem volo.

DIOMED. *lib.* I.) Excellunt.

NON. *Contemptio.*) Quæ virtus fortitudo vocatur, in qua est magnitudo animi, mortis dolorisque magna contemptio.

NON. *Lentum.*) Marcellus, ut acer [95] & pugnax. Maximus, ut consideratus & lentus.

NON. *ubi nominativus, vel.*) Sed tamen ut bono patrisfamilias colendi, ædificandi, ratiocinandi quidam usus, opus est.

GEL. *lib.* XII. *cap.* 2.) Menelao Laconi quædam fuit suaviloquens jucunditas.

Idem ib.) Breviloquentiam [96] in dicendo colat.

94 *Reapse*] Ex particula *pse*, & provocabulo *ie*, conflatum est *ipse*. A *re*, & feminino *eapse*, est *reapse*. Vossius, Grammat. VI. 9.

95 *Marcellus ut acer*] Diversas principum virtutes inter se comparat, atque ambas utiles reip. esse, videtur innuere, ferocitatem nimirum & lentitudinem. Id quod M. Marcelli & Q. Maximi exemplo confirmat: quorum Punico bello periculosissimo alter audacia, alter cunctatione, unde etiam *Cunctatoris* cognomen invenit, plurimum oppressæ reip. profuit. Itaque de Marcello in Bruto dixit Cicero post Cannensem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam prælio populum se Romanum erexisse: in Catone vero, Maximum Annibalem, juveniliter exultantem, patientia sua mollivisse. *Sigonius.*

96 *Breviloquentiam*] Puto dictum de senatore, quem brevem esse in sententia dicenda jubet, Leg. III. 18. *Sigonius.* Ne esse quidem ex libris de Rep. constare potest. Vide de eo Senecam lib. XXI. ad Lucilium. Quod autem Cicero ait de Menelao, sumptum est ex Homero Iliad. v. ubi Helena de eo narrat, illum pauca quidem loqui, sed suaviter. Unde ipse quoque Cicero in Bruto: *Menelaum ipsum Lacedæmonium*, inquit, *dulcem illum quidem tradit Homerus, sed pauca dicentem. Cum enim genera ipsa dicendi tria in tribus ab Homero tradita ac expressa essent, magnificum & uber in Ulysse, moderatum & mixtum in Nestore, in Menelao certe subtile & cohibitum ostensum est.* Vide Gellium lib. VII. cap. 14. *Patricius.*

NON. *Imbuere*.) Quæ cum Scipio [97] dixiſſet, admodum probans: nimio enim erat odio rhetorum imbutus.

NON. *Ferocia*.) Qui comperit ejus vim [98] & effrenatam illam ferociam.

CARIS. *lib.* 1. *Orbi*.) Orbi terrarum comprehenſos.

NON. *impertire*.) Quod moleſtias ſenectutis ſuæ veſtris familiis impertire poſſet.

NON.) Quod non modo ſingulis hominibus, ſed potentiſſimis populis ſæpe contingit.

DE REPUBLICA LIB. VI. [99]

NON. *Prudentia*.) Totam igitur expectas [1] prudentiam hujus rectoris, quæ ipſum nomen hoc nacta eſt ex providendo.

NON. *Triſtis*.) Qui numeros optimatum [2], & principum obtu-

97 *Quæ cum Scipio*] Suſpicor, ne oratores inſectatus ſit, qui, lenociniis quæſitis orationis, qualia multa a Græcis tradebantur rhetoribus, populi auribus, non reip. rationibus inſervirent: quod id a gravitate ſummi ſenatoris, & moderatoris urbis longe abeſſet. Confirmat conjecturam meam, quod Diomedes refert, Ciceronem in dialogis de Rep. ſcribere, *Aſianos oratores ditrochæo clauſulas terminaſſe*, quo numero ſcimus noſtris auribus accidere nihil poſſe jucundius. Itaque hac opinione adductum L. Craſſum, virum eloquentiſſimum, in cenſura dicendi magiſtros urbe edicto videmus exterminaſſe, Cicerone ipſo, & Gellio, & Suetonio teſtibus. Concludit ergo Cicero, Scipionem, quod erat odio rhetorum imbutus, contra eos peroraſſe. *Sigonius*.

98 *Qui comperit ejus vim*] Quid ſi legas *compeſcit*, & de populo dictum accipias, cujus vis incitata a principe civitatis cohibeatur? *Idem*. Lego, *compreſſit*, & intelligo de P. Cornelio Naſica, qui privatus Tib. Gracchi ferocitatem manu compreſſit, eumque occidit. Nam de Gracchi morte in his de Republica libris fuiſſe mentionem teſtatur D. Auguſtinus, libro II. de Civitate Dei, cap. 21. *Patricius*.

99 Reliquum, quod erat de principis virtutibus exponendum, in hoc Scipio, ut opinor, eſt executus. Qua diſputatione confecta, uſum earum virtutum neceſſarium demonſtravit, nimirum ut ad perpetuam ſalutis & dignitatis reip. cuſtodiam referrentur. Solere enim civitatem ſæpe non externis ſolum bellis, ſed domeſticis etiam diſcordiis perturbari, atque convelli, quibus malis omnibus a principe eſſe fortiſſime obſiſtendum. Quod quidem ſi fecerit, tum præmia illum ampliſſima conſecuturum eſſe concluſit, honorem, ac gloriam; quorum ille in ſtatuis, monumentis, ac triumphis, hæc vero in optima hominum de ſuis virtutibus opinione conſiſteret. Adjecit etiam, quo animos civium ad reip. defenſionem vehementius inflammaret, omnibus iis, qui patriam ornarint, auxerint, conſervarint, locum poſt mortem in cælo eſſe conſtiturum, ubi beati ævo ſempiterno fruantur. Cui orationi ut auctoritatem adderet graviorem, narravit, quid ipſe ea de re in quiete per viſum ab avo Africano acceperit. Atque ita omnem de rep. & civitate optima diſputationem abſolvit. *Sigonius*.

1 *Totam igitur expectas*] Prudentiam principis, & rectoris hujus exequitur. *Idem*.

2 *Qui numeros optimatum*] Obſcurum, de quo loquatur; non ita vero, qua de re loquatur. Verba enim facit de gravitate principis. *Idem*.

obtulit his vocibus, & gravitatis ſuæ liquit illum triſtem & plenum dignitatis ſonum.

NON. *Expleri atque ſatiari.*) Graves enim dominæ [3] cogitationum libidines, infinita quædam cogunt atque imperant: quæ quia expleri atque ſatiari nullo modo poſſunt, ad omne facinus impellunt eos, qui illecebris ſuis incenduntur.

NON. *Samium.*) Oratio extat, Læli, quam omnes habemus in manibus [4], quam ſimpuvia [5] pontificum diis immortalibus grata ſint, Samiæque, ut hic ſcribit, capedines.

NON. *Firmiter.* & PRISC.) Firmiter enim majores noſtri [6] ſtabilita matrimonia eſſe voluerunt.

NON. *Comparare.*) Quamobrem ſe comparet hic civis ita neceſſe eſt, ut ſit contra hæc, quæ civitatis ſtatum pervertunt, ſemper armatus.

NON. *Seditio.*) Eaque diſſenſio civium, quod ſeorſum eunt alii ad alios, *ſeditio* dicitur.

NON. *de Doctr. ind.*) Et vero in diſſenſione [7] civili, cum boni plus, quam multi valent, expendendos ab his, non numerandos puto.

GEL. *lib.* VI. *cap.* 16. & NON. *Deprecari.*) Quod quidem eo fuit [8] majus, quia cum in cauſa pari collegæ eſſent, non

 modo

3 *Graves enim dominæ*] Libidines prudentiæ immo vero omni virtuti atque officio, inimicas, frenandas videtur ſignificare. Hanc etiam quæſtionem tractavit in Politicis Plutarchus, qua docuit, neminem perturbatione adduci ad remp. adminiſtrandam debere. Quod exemplo C. Gracchi pernicioſum eſſe & reip. & rectori ejus confirmat. *Idem.*

4 *Læli, quam omnes habemus in manibus*] Truncata hæc ab omni parte verba illud tamen ſatis videntur oſtendere, de colenda paupertate ſermonem fuiſſe. Declarat hoc Cicero in Paradoxo primo, in quo vocat *fictiles urnulas*, quæ hic *Samias capedines*, quarum meminit etiam pro Murena, cap. 36. *Sigonius.*

5 *Simpuvia*] Non fictilia tantum, ſed & lignea fuere ſimpuvia. Nonius, cap. 15. num. 12. *Simpuvium eſt vas ligneum.* Et Feſtus: *Simpulum, vas parvum, non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabant.* Plura *Harduinus* in Plin. XXXV. 46.

6 *Firmiter enim majores noſtri*] Hoc loco neſcio quo modo de jure uxorio colendo videtur egiſſe, ac majorum prudentiam extuliſſe, qui firmiter matrimonia ſtabiliverint, quod a Romulo fuiſſe inſtitutum docet in ſecundo libro Hiſtoriarum Dionyſius. Adeo enim firmata inter virum & uxorem connubii jura eſſe ab eo ſcribit, ut per quingentos ac viginti annos divortium nullum Romæ auditum ſit; qui autem primus uxori nuntium remiſerit, is ſe liberorum quærendorum cauſa id facere, ſterilitatem uxoris cauſatus, apud cenſores juraverit. *Sigonius.*

7 *Et vero in diſſenſione*] Seditionem, quæ eſt inter optimates, & populum, deſcribit. In qua eam haberi rationem a rectore vult civitatis, ut bonos, qui plus valent, quanquam pauciores ſunt, expendat potius, quam numeret. *Idem.*

8 *Quod quidem eo fuit*] Loquitur de Tib. Graccho Gracchorum, patre, & C. Claudio, qui cum cenſores inter ſe de libertinorum ſuffra-

modo invidia pari non erant, sed etiam Claudii invidiam Gracchi caritas deprecabatur.

NON. *Mactare.*) Ferunt hos laudibus, mactant honoribus.

D. AUGs *lib.* v. *cap.* 13. *Civit.*) Alendus hic est gloria.

NON. *Desubito.*) * in his, ut meministis [9], concursu levissimæ multitudinis ære congesto funus desubito esset ornatum.

NON. *ubi genitivus pro nominativo.*) Ut quemadmodum scribit ille [10], quotidiano in forum mille hominum cum palliis conchylio tinctis descenderent.

MACR. *lib.* 1. *Somn.*) Sed quanquam sapientibus [11] conscien-

fragiis contendissent, post a tribuno pl. ad populum accusati sunt, ut auctor est Livius lib. XLII. & Valerius lib. VI. cap. 5. his verbis: „ Cum Tib. Gracchus, & C. Claudius, ob nimis severe gestam censuram, majorem partem civitatis exasperassent, diem his M. Popilius tribunus pl. ad populum dixit. Quo judicio primæ classis centuriæ Claudium aperte damnabant: de Gracchi absolutione universæ consentire videbantur. Qui clam voce juravit, si de collega suo gravius esset judicatum, in factis se paribus eandem cum illo pœnam exilii subiturum. Eaque justitia tota illa tempestas ab utriusque fortunis, & capite depulsa est: Claudium enim populus absolvit, Graccho causæ dictionem M. Popilius remisit. Hoc est ergo, quod inquit, sive Scipio, sive alius quis, ex iis, qui sermoni intererant, eo fuisse majus, quod, cum in causa pari collegæ essent, non modo invidia pari non erant, sed etiam Claudii invidiam Gracchi caritas deprecabatur. *Idem.*

9 *In his, ut meministis*] Exemplum hoc est honoris habiti præstanti in Rep. viro mortuo, quod ab eo sancte remp. administratam esse populus intelligeret. Est autem honor ei similis, quo P. Valerium Poplicolam, & Agrippam Menenium, & Q Fabium Rullianum, viros reip. studiosissimos, & eo nomine populo jucundissimos, esse affectos accepimus. Mortuis enim illis æs populi liberalitate ad funeris magnificentiam est congestum. De cujus autem hic funere intelligat, nihil habeo comperti: de recenti quidem se loqui videtur, siquidem ait: *Ut meministis.* Sigonius.

10 *Ut quemadmodum scribit ille*] Et hoc honoris exemplum est, in præstantem & egregium civem a civibus suis collati. Exemplum autem externum esse reor, non domesticum: siquidem de palliis verba facit. Hæc de honoribus. De gloria vero auctor est D. Augustinus, qui lib. v. cap. 13. de Civitate Dei tradit, Ciceronem in libris de Rep. *principem civitatis alendum esse gloria* præcepisse. Quam sententiam D. Thomas lib. 1. de regimine principum his verbis exposuit: *Oportet considerare, quale sit boni regis conveniens præmium. Quibusdam igitur visum est, non esse aliud, nisi honorem, & gloriam. Unde & Tullius de Rep. definit* principem *civitatis esse alendum gloria:* cujus rei rationes Aristoteles in Ethicis reddere videtur, quia princeps, cui non sufficit honor, & gloria, tyrannus efficitur. Inest enim animis omnium, ut bonum proprium quærant. Si ergo non contentus fuerit princeps gloria, & honore, quæret voluptates, divitias, & sic ad subditorum rapinas convertetur. *Idem.*

11 *Sed quanquam sapientibus*] Qua occasione hæc verba a Scipione dicta sint, docet Macrobius in Somnium Scipionis, hoc modo: *Scipionem hæc occasio ad narrandum somnium provocavit, quod longo tempore testatus est se condidisse. Cum enim Lælius quereretur, nullas Nasicæ statuas in publico in interfecti tyranni remunerationem locatas, respondit Scipio post alia in hæc verba:* Sed quanquam sapientibus &c. *quibus verbis ad narrationem somnii venit, docens illa esse stabiliora, & viridiora præmiorum genera, quæ ipse vidisset in cælo bonis rerum publicarum rectoribus servata.* Ex quo intelligi potest, paulo ante de statuis, & de triumphis, & ejusmodi aliis honorum generibus mentionem esse factam: his autem verbis somnii illius pulcherrimi narrationem, paucis verbis additis, fuisse agglutinatam. *Idem.*

ſcientia ipſa factorum egregiorum ampliſſimum virtutis præmium eſt, tamen illa divina virtus non ſtatuas plumbo inhærentes, nec triumphus areſcentibus laureis, ſed ſtabiliora quædam & viridiora præmiorum genera deſiderat. Quæ tandem iſta ſunt? inquit Lælius. Tum Scipio, Patimini me (inquit) quoniam tertium diem feriati ſumus....



SOMNIUM SCIPIONIS[1].

SCIPIO LOQUITUR.

I. CUM in Africam venissem, M'. Manilio consuli [2] ad quartam legionem [3] tribunus (ut scitis) militum; nihil mihi potius fuit, quam ut Masinissam [4] convenirem [5], regem familiæ nostræ justis de causis amicissimum [6]. Ad quem ut veni, complexus me senex collacrymavit, aliquantoque post suspexit in cælum, & Grates, inquit,

1 Hanc Tullii ex lib. vi. de Republica quasi laciniam, Macrobius *Somnium Scipionis* indigitavit: quia nempe seorsum hoc interpretatus ille. Sed alii, qui ex narratione hac P. Africani aliquid proferunt, non aliter citant quam, *ex lib. vi. de Repub.*

Tres vero hujusce narrationis partes. Una de præmiis piorum & vita cælesti; altera de novem partibus naturæ, ut terra, septem orbibus errantium stellarum, sive planetarum, & uno inerrantium, sive infixarum: tertia de animorum immortalitate, quæ pars potissima est, & in quam hæc tota refertur somnii narratio; quemadmodum Cicero ipse testis in Lælio.

Primam hujusce narrationis partem Cicero imitatus est ex fine lib. x. Platonis de Repub. alteram ex libro de Mundo, quem frustra defendunt aliqui esse Aristotelis: tertiam ex Platonis Phædro. Primæ parti non dissimilia sunt quæ Plutarchus narravit libro *de sero numinis vindicta*, sub persona Thespesii Solensis, ut Plato sua narraverat per Eris militis Armenii personam, quem Clemens Alexandrinus Stromat. lib. v. esse Zoroastren probat. *Theod. Marcilius*, ex Mſ. Biblioth. Regiæ.

2 *Manio Manilio consuli*] Cum uterque consul rem gereret, duplicia castra erant; cuique nempe consuli duæ legiones: cujusvis autem legionis sex tribuni. Polybius *lib.* vi. Prima vero & secunda legio, consulis majoris: tertia & quarta, minoris. Minor consul tertio bello Punico incipiente M'. Manilius, major Marcius Censorinus. Manilii ergo consulis tertia & quarta legio, & Manilio consuli *ad quartam legionem* tribunus Scipio. *Idem*.

3 Cur *ad quartam legionem* potius quam, in quarta legione? Nempe quia proprie in legionis quasi corpore milites; ad legionem tribuni, quasi corporis hujusce duces. Sic imperator *ad exercitum*, aut *apud exercitum* esse dicitur, non in exercitu. Tullius, pro Murena cap ... *Apud exercitum mihi fueris*. Plautus, Amphitr. I. 3. 6. *Sed ubi summus imperator non adest ad exercitum*. Sic enim lego. *Idem*.

4 *Masinissam*] Hic Numidarum, & Masæsylorum rex, a Pœnis expulsus, restitutus fuit in regnum ab Africano majore, ex eoque hunc Scipionem nepotem amavit, adeo ut, cum anno 97. moreretur, relictis 44. filiis, hunc inter eos divisorem, tutoremque esse voluerit. *Anonymus*.

5 *Convenirem*] Ter convenit Masinissam regem P. Scipio. Primum quo tempore missus a L. Lucullo imperatore ad Masinissam ex Hispania, ut elephantos peteret: deinde iterum ipse ultro in Africam profectus, M'. Manilio consule, Masinissæ videndi causa: postremo denique anno sequente missus a M'. Manilio proconsule, & evocatus Masinissæ literis, qui morti vicinus. De primo tertioque adventu Scipionis Africani Appianus in Libyc. De tertio etiam Valerius cap. 11. lib. v. De secunda ejus profectione capiendus hic M. Tullii locus est. Fugit ratio Carolum Sigonium

quit, tibi ago, summe Sol [7], vobisque reliqui cælites [8], quod ante quam ex hac vita migro, conspicio in meo regno, & his testis P. Cornelium Scipionem, cujus ego nomine ipso recreor: ita nunquam ex animo meo discedit illius optimi atque invictissimi viri memoria. Deinde ego illum de suo regno; ille me de nostra republica percontatus est: multisque verbis ultro citroque habitis, ille nobis consumptus est dies. Post autem regio apparatu accepti, sermonem in multam noctem produximus, cum senex nihil nisi de Africano loqueretur, omniaque ejus non facta solum, sed etiam dicta meminisset. Deinde, ut cubitum discessimus, me & de via [9], & qui ad multam noctem vigilassem, arctior, quam solebat, somnus complexus est. Hic mihi (credo equidem ex hoc, quod eramus locuti: fit enim fere, ut cogitationes [10] sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius [11], de quo videlicet sæpissime vigilans solebat cogitare, & lo-

gonium in Notis ad Tullii Fragmenta, qui Masinissam bis tantum a Scipione conventum esse defendit, elevatque fidem Appiani, atque adeo ipsius etiam Tullii. *Marcil.*

6 *Amicissimum*] Amicissimus Scipionum erat Masinissa, quod per P. Scipionem avum hujus in societatem populi R. pervenerat; quod patrium regnum non solum recuperaverat, sed etiam auxerat; quod denique Rex a senatu appellatus fuerat. Livius auctor. *Sigenius.*

7 *Grates, inquit, tibi ago, summe Sol*] Ut altius exaggerata & regia regis hujusce oratio esset, decorum servavit Cicero, & verbis utentem facit antiquis & poeticis, *grates* pro gratiis, *cælites* pro diis. Solem Afri sanctissimum coluere. Asconius in Verrin. III. Servius ad Æneid. I. *Marcil.*

8 *Reliqui cælites*] Lunam, cæteros planetas, & quotquot in supremo cælo stellæ sunt, veterum plerique Deos esse crediderunt. *Vinetus.*

9 *De via*] Indoctus aliquis, *fessum de via*, scripserat. *Lang.* Non, hercle, indoctus ut putat Langius. Hæc enim vox nec auctoritate caret veterum editionum, nec ratione, cum eodem modo loquatur Cicero in Academ. I. cap. I. *Nisi de via fessus esset.* Facc.

10 *Fit enim fere, ut cogitationes*] Hoc egregie Lucretius explicat lib. IV.

Et cui quisque fere studio devinctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum sumus antemorati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,
Insomniis eadem plerumque videmur obire.
Causidici causas agere, & componere leges, &c.

11 *Quale de Homero scribit Ennius*] Cum enim Ennius Homeri versus legeret, meditaretur, edisceret, imitaretur, totumque se ad illius imitationem componeret, somniavit se Homerum esse factum, animaque Homeri, juxta Pythagoricum dogma, animatum. Hinc illud Horatii in Epistolis:

Ennius & sapiens, & fortis, & alter Homerus,
Ut Critici dicunt, leviter curare videtur,
Ut promissa cadant, & somnia Pythagorea.

Idem Persius notavit:

Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Mæonides, quintus pavone ex Pythagoreo.

Locus autem Ennii, ubi somnium illud narrabatur, videtur illo hemistichio significari, quod in Lucullo Ciceronis est:

Visus Homerus adesse poeta.

Hæ causæ somnii, de quibus Plato de Rep. IX, & Cicero, Divin. I. 29. *Ramus.*

& loqui) Africanus se ostendit ea forma, quæ mihi ex imagine ejus, quam ex ipso [12], erat notior. Quem ut agnovi, equidem cohorrui. Sed ille, Ades, inquit, animo, & omitte timorem, Scipio, & quæ dicam, trade memoriæ.

II. Videsne illam urbem, quæ parere populo Romano coacta per me, renovat pristina bella [13], nec potest quiescere? (ostendebat autem Carthaginem de excelso, & pleno stellarum, illustri & claro quodam loco [14]) ad quam tu oppugnandam nunc venis pene miles [15]? Hanc hoc biennio consul evertes [16], eritque cognomen id tibi per te partum [17], quod habes

12 *Ex imagine ejus, quam ex ipso*] Recte: nam quo anno Scipio avus diem suum obiit, eodem hic nepos natus est, App. Claudio Pulchro, M. Sempronio Tuditano Coss. *Sigonius*. Imagines gentilitiæ in atriis deponebantur: quæ in pompis circumferebantur. *Car. Langius*. Livius, lib. 39. ait censorem fuisse M. Porcium Catonem, Publio Claudio Pulchro, Lucio Porcio Licinio Consulibus, qui putatur A. v. c. 570. Ipse Cato autem in libro de senectute dicit Scipionem Africanum priorem, anno ante mortuum esse, quam ipse fuisset censor. Obiit igitur Scipio anno v. c. 569. Scipio vero Æmilianus, decessit Manio Aquilio, C. Sempronio Coss. A. v. c. 526. Vixit annos 56. quos si subduxeris ex 526. reliquus erit A. v. c. 569. quo anno mortuus sit Africanus avus, & natus nepos Africanus. Sic & Vellejus Paterculus scribit Africanum nepotem fuisse primum Consulem anno ætatis 36. qui Consulatus incidit in annum v. c. 607. Ex his si deducantur 36. relinquentur anni Urbis 571. Igitur quando decessit Scipio avus, Scipio Æmilianus nepos duobus annis major non fuit: qua ætate, suum avum Africanum non vidit, ut meminisse potuerit, ac eum cognoscere, post triginta quinque fere annos, quot erat natus, cum apud Masinissam tribunus militum secundo bello Punico somniavit: verum viri tanti imaginibus & statuis erat plena Roma, ex quibus illum se dicit agnovisse. Plinius, lib. xxxv. 2. *Vinetus*.

13 *Parere populo R. coacta per me, renovat pristina bella*] Carthago bello Punico secundo, victo a P. Scipione acie in Africa Annibale, pacis conditiones accepit, & tributi impositi onus pertulit. Iis autem tertio arma illata sunt, quod contra fœdus naves haberent, & cum socio Masinissa armis de finibus contenderent. Appianus, alii. *Sigonius*.

14 *De excelso & pleno stellarum, illustri & claro quodam loco*] Africanus ex lacteo circulo loquitur, qui est inter æthereas stellarum flammas splendidissimus, propter confertam stellularum, ut Aristoteles & Ptolemæus ajunt, multitudinem: unde γαλαξία a Græcis, propter lactis similitudinem, nuncupatur: multa vero de hac regione cæli, & poetæ fabulantur, & docti philosophantur. Poetæ enim ajunt Junonii lactis effusione lacteum illum candorem alboremque splendentem extitisse: Philosophi, ut Pythagorei, solaris quondam currus exustione. Theophrastus commisturam quandam, compagemque mundi cohærentium partium censuit esse. Diodorus credit non commisturam, sed rimam quandam intersistentium hemisphæriorum. Posidonius existimat siderii caloris abundantiam, idcirco contra zodiaci iter obliquatum, ut temperaret reliquas mundi partes, ad quas zodiacus non pertingeret. Verum Aristotelis Ptolemæique sententia verior est habita, statuentium lacteum illum candorem cæli ex conserta stellularum multitudine effici. *Ramus*.

15 *Pene miles*] Natus annos plus minus xxix. Cum autem toga virilis sumeretur anno septimo decimo; ac decennio militandum esset iis qui honores erant petituri; fuit hic annus primus, aut alter a perfuncta militia. *Langius*.

16 *Hoc biennio Cos. evertes*] Rectius forte dici potuit: *Hoc triennio*. Nam venit Scipio in Africam M'. Manilio Cos. anno DCV. Consul factus est, & Carthaginem evertit anno DCVII. Biennio, est intra biennium. Intel-

habes adhuc a nobis hereditarium. Cum autem Carthaginem deleveris, triumphum egeris [18], censorque fueris [19], & obieris legatus Ægyptum [20], Syriam, Asiam, Græciam, deligere iterum consul absens [21], bellumque [22] maximum conficies, Numantiam exscindes. Sed cum eris curru [23] Capitolium invectus, offendes rempublicam perturbatam consiliis [24] nepotis mei [25]. Hic tu, Africane [26], ostendas oporte-

Intelligi ergo vult Cicero, hoc biennio proximo sequente, non annumerato anno præsente. *Marcilius*.

17 *Eritque cognomen id tibi per te partum*] Paries, inquit Africanus, o Æmiliane, & comparabis tibi tua virtute cognomentum, quod ad hoc usque tempus habes a me avo tuo hereditarium: P. enim Cornelius Scipio, confecto bello Punico secundo; primus ex Romanis Imperatoribus nomine *victæ a se gentis est nobilitatus*, ut Liv. xxx. extremo. *Exemplo deinde hujus, nequaquam victoria pares, insignes imaginum titulos, claraque cognomina familiæ fecere*. Vinetus.

18 *Triumphum egeris*] Triumphavit de Pœnis Scipio, Lentulo, & Mummio coss. eodem anno, quo Corinthus deleta est, ut in Commentario Fastorum ostendimus. *Sigonius*.

19 *Censor fueris*] Censuram gessit cum L. Mummio in consulatu L. Metelli, & Q. Maximi, anno V. C. DCXI. ut eo in libro docuimus. *Idem*. Nunc quidem Cicero hanc Scipionis censuram priorem legatione posuit: sed idem posteriorem facit in Lucullo cap. 2. Sed videtur hoc voluisse ounc, ut decorum servaret in narratioue somnii. Somnia enim plerumque non sine turbatione rerum aliqua. Neque enim id memoriæ vitio factum arbitror; quod voluit Scaliger. *Marcilius*.

20 *Obieris legatus Ægyptum*] Satis constat, P. Scipionem legatum cum Sp. Mummio & L. Metello ad regum, & civitatum, & gentium animos perspiciendos esse missum: ut scriptum reliquit Justinus libro xxxviii. Obiisse autem hanc eum legationem ante censuram, duabus rationibus adducor, ut credam. Primum Ciceronis ipsius auctoritate, qui in Lucullo ait: *P. Africani historiæ loquuntur in legatione illa nobili, quam ante Censuram obiit, Panætium unum omnino comitem fuisse*. Deinde verisimili conjectura. Non enim L. Metellum, virum consularem, ei adjunxissent, cum moris esset uni consulari legato duos non consulares adjungere. At si post censuram misissent, L. Metellum, jam consularem, non addidissent. Hoc autem idcirco dico, ne quis temere Valerio assentiatur, qui lib. iv. cap. 3. Scipionem scribit, post duos consulatus & duos triumphos hoc legationis officio esse functum. Nam quod hoc in loco Cicero censuram legationi præferat, id orationis commoditas videtur vel defendere posse, vel excusare. *Sigonius*.

21 *Absens*] *Absentem* dixit pro *non petente*. Creatus enim Scipio Cos. iterum, præsens in campo & comitiis; sed non petens, ut etiam primum factus Cos. non petens. Cicero ipse in Lælio, cap. 3. agens de Scipione, *Qui consulatum*, inquit, *petivit nunquam, factus est Cos. bis*. Legendus Valerius l. viii. c. 16. Primum Scipio consulatum adeptus, cum descendisset in campum petiturus ædilitatem: alterum vero, cum descendisset suffragator Q. Fabio Masimo fratris filio. Sic otroque tempore præsens corpore, sed absens, si spectetur petitio. *Marcilius*.

22 *Bellumque*] Bellum in Hispania gestum est gravissimum per annos viginti cum Celtiberis, neque ante confectum, quam per Scipinnem Numantia, quæ sola fere ejus demum regionis arma retinebat, eversa est. *Sigonius*.

23 *Cum eris curru*] P. Scipio de Numantinis triumphavit P. Popilio, P. Rupilio coss. anno V. C. DCXXI. anno postquam Tib. Gracchus uxoris suæ frater, cum tribunatum, quem seditinse gesserat, in alterum annum continuare vellet, ab optimatibus est occisus. *Idem*.

24 *Offendes remp. perturbatam consiliis nepotis mei*] Quo tempore Scipio bellum gerebat Numantinum, Tib. Gracchus Trib. pl. cum legem agrariam invitis patribus promulgare vellet, interfectus a Scipione Nasica, maxi-

portebit patriæ lumen animi, ingenii, consiliique tui. Sed ejus temporis ancipitem video quasi fatorum viam [27]. Nam cum ætas tua septenos octies [28] solis anfractus [29] reditusque converterit, duoque hi numeri, quorum uterque plenus, alter altera de causa, habetur, circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint [30]: in te unum [31], atque in tuum nomen, se

maximos excitavit tumultus: nec tamen ejus morte factiones compositæ sunt; sed Fulvio Flacco, Papyrio Carbone, & C. Graccho fratre Tiberii exemplo promulgationem adornantibus, iterum ingens seditio exorta est: Carbone legem ferente, ut cuique quoties liberet, tribunum fieri liceret: qua lege lata, Tiberii necem ulcisci statuit. Itaque coacti tam patres quam plebs, ad Scipionem tanquam ad tutissimum propugnaculum confugere, orantes ne urbem in tanto periculo desereret. Scipio Romam reversus, Carbonis legem dissuasit. *Anonym.*

25 *Nepotis mei*] Tib. Gracchum vult dicere: cujus Tribunitiis furoribus se Æmilianus objecerat. Vide Plutarch. Vel certe C. Gracchum: cujus fraude, manu tantum Carbonis, vel ut alii, Semproniæ conjugis strangulatus Scipio creditus est. *Langius.*

Nepotis mei] Nam Tiberius Gracchus senior Corneliam Africani majoris filiam duxit uxorem, ex qua duos hos suscepit liberos, Tiber. & C. Gracchos fratres. *Anonym.* apud *Grævium.*

26 *Hic tu, Africane*] Significat fortasse tempus illud, quo, auctore Valerio, Scipio a C. Carbone tribuno pl. in Rostra perductus est, & quid de Tiberii nece sentiret, dicere jussus, respondit: *eum sibi jure cæsum videri.* Aut, nisi hoc præcipue velis, patrocinium, quod ab eo Itali contra legem Semproniam petierunt, intellige. *Sigonius.*

27 *Ancipitem video quasi fatorum viam*] Eo tempore quo fata vergant nescio. Involucris verborum futuram mortem tegit, ex arte. Futura enim obscuris verbis ab oraculis & vatibus denuntiantur. *Grævius.*

28 *Cum ætas tua septenos octies*] Periphrasis est anni ætatis LVI, quem Astrologi climactericum vocant. *VVolfius.* Significat, Scipionem annos natum LVI, diem suum obiturum. Obiit autem M'. Aquilio, & C. Tuditano coss. eodem anno, quo hæc dicta esse finxit Cicero. *Sigonius.*

29 *Anfractus*] Anfractus solis nominatur propter obliquitatem orbis zodiaci, per quem sol modo ad Septentrionem inflectitur, modo relabitur ad meridiem: sinuosas enim & flexuosas vias anfractus appellamus, ut fluminum, ut littorum solent esse. *Ramus.*

30 *Uterque plenus alter altera de causa habetur .... summam tibi fatalem confecerint*] Septenarius numerus plenus est, quia, ut inquit S. Augustinus lib. xi. de Civ. Dei, continet *ternarium, qui primus numerus totus impar*, & quaternarium, qui totus par. Sed hæc plenitudo illius numeri mathematica. M. Cicero nunc spectat plenitudinem ejus physicam, sive quia vinculum, & *quasi nodus* universitatis naturæ est septenarius (*infra cap.* 5.) nempe quia stellarum errantium sive Planetarum orbes septem. Octonarius autem Ciceroni perfectus numerus est, sive plenus; quia orbes cælestes octo, unus inerrantium sive fixarum stellarum; septem, errantium. Alia de plenitudine hujusce numeri etiam mathematice dicuntur. Ut quia dissolvitur in numeros pariter pares, nempe bis quaternos: eæque ipsæ rursus partes in numeros pariter pares, nempe bis binos. Unde & justitia numerus octonarius in schola Pythagoræ; quia distributio par, apta justitiæ. Rursus ex pariter paribus constatur hic numerus, quippe bis bini bis conficiunt octonarium. Lud. Cælius Rhodigin. lib. xxii. cap. 13. *Marcilius.*

31 *In te unum*] Quid hoc loco significet, pluribus aperiam. Cum consulatum inissent M'. Aquilius, & C. Sempronius Tuditanus, seditiones de agris dividendis, quæ paulo post necem Tib. Gracchi, obitumque Ap. Claudii, qui una cum C. Graccho ad eorum distributionem triumviri fuerant designati, consederant, iterum vehementius excitatæ sunt, C. Graccho, C. Carbone, & M. Fulvio triumviris agros omnium Italicorum ex lege Tiberii severius dividentibus. Quam partitionem moleste ferentes omnes Latini nominis socii, ad P. Africanum universi confugiunt, eumque orant, ne se, miseris suis

ſe tota convertet civitas: te ſenatus, te omnes boni, te ſocii, te Latini intuebuntur: tu eris unus, in quo nitatur civitatis ſalus; ac ne multa, dictator rempublicam conſtituas oportet [32], ſi impias propinquorum manus effugeris. Hic cum exclamaſſet [33] Lælius, ingemuiſſentque cæteri vehementius:

ſuis temporibus, deſerat, aut injuria affici patiatur. Quorum voluntati non obſequi Scipio ioiquum eſſe ratus, quod eorum præclara uſus opera difficillimis io bellis fuiſſer, cauſam illoram ſtudioſe ſuſcepir. Itaque cum ea de re in ſenatum veoiſſet, legem quidem agrariam improbare non eſt auſus, ne forte populi voluntatem offenderet, eumque a ſe alienaret: verum cum de agrorum ex lege dividendorum difficultate diſſereret, æquum ſibi videri dixit, non a triumviris cauſas, qui ſuſpecti facile eſſe poſſent iis, quorum res dividerentur, ſed ab aliis cognoſci. Ea de cauſa Tuditanus conſul, judex lectus, cum cauſam aggreſſus rei difficultatem iutueretur, oblata ſibi Illyrici belli occaſione, re infecta paludatus egreſſus eſt. Plebs autem cum Scipionem eum pro commodis ſociorum contra ſua pugnare animadverteret, cui bis ipſa conſulatum ante tempus mandaſſet, & duo bella graviſſima detuliſſet, ab eo vehementer alienata eſt. Quæ omnia C. Graccho, cæteriſque, qui plebis partes adverſus Scipionem ſuſceperant, minime obſcura cum eſſent, eum occaſione data palam eo nomine criminabantur ad populum, quod agrariam ipſe Tiberii legem obrogare contenderet. Quare eorum oratione iocenſa plebs io eum furorem adducta eſt, ut Scipionem hanc cauſam pro roſtris agentem clamoribus & ſibilis interpellaverit. Quibus gravius Scipio laceſſitus, me hoſtium, inquit, vociferatio nunquam perturbavit, multo nunc minus adverſa eorum hominum acclamatio, quibus Italiam ſcio novercam eſſe, non matrem. Cum autem operæ Gracchanæ ſublato clamore tyrannum tollendum eſſe dicerent; Præclare patriæ oppugnatores, inquit, me ante de medio tollere cupiunt, quod nec, Scipione vidente, Romam interituram, nec, Roma intereunte, Scipionem victurum eſſe confidant. Itaque aut eodem die, aut certe non ita multo poſt cum M. Fulvius in eum acerbiſſime invectus eſſet, pro concione de periculo ſalutis ſuæ populum conteſtatus eſt, quod ſibi pro patria laboranti parari ab improbis hominibus comperiſſet. Eodemque die cum in ſenatum veniſſet, eo dimiſſo domum reductus eſt ad veſperam a patribus conſcriptis, a ſociis, atque Latinis. Atque hic quidem pulcherrimus ultimus dies P. Scipioni illuxit. Nam cum tabula apud ſe poſita, io qua ſcripturus nocte videbatur ea, quæ ad populum, poſtridie eſſent agenda, validus veſpere cubitum diſceſſiſſet, poſtridie mane mortuus in lectulo eſt inventus; ita tamen, ut illatæ vis non obſcura quædam in faucibus ſigna inſiderent. Sunt, qui tradant veneno a Cornelia ſocru fuiſſe necatum, verita, ne Tiberii filii lex auctoritate ejus abrogaretur. Idque factum eſſe filia Sempronia ejuſdem uxore adjuvante, vel fratrum ipſorum cauſa, quos vir ſuus Africanus cauſa reip. oppugnabat, vel diuturno, & inveterato odio, quo alter in alterum incenſus erat. Fuerunt etiam, qui ejus necis cauſam in C. Gracchum, & C. Carbonem cæteroſque inimicos Scipionis conferrent, ab iiſque ſuffocatum fuiſſe dicerent. Illud quidem conſtare ſcribit Appianus, ſervos Scipionis in tormentis habitos dixiſſe, ab exteris eum quibuſdam noctu domi latentibus oppreſſum interiiſſe, ſed eorum nomina divulgare plebis gratia adhuc iratæ, & necis ejus non ignaræ nunquam auſos fuiſſe. Hæc ex Appiani lib. primo de Bellis civilibus, Plutarcho in Apophthegmatis, & in Gracchis, Epitome Liviana, Vellejo libro II. Cicerone in Lælio, & lib. II. epiſtolarum ad Q. fratrem. *Sigonius.*

32 *Dictator remp. conſtituas oportet*] Significat ſeditionem ob diviſionem agrorum futuram tantam, ut ejus ſedandæ cauſa, ut quondam, opus ſit dictatore, & ipſum ſine dubio dictum iri, niſi ante a propinquis ſublatus per inſidias fuerit. *Idem.*

33 *Hic cum exclamaſſet*] Lælius, qui una de Republica in his libris diſputaverat, dolore perturbatus, exclamavit, & cæteri, Scævola, Fannius, Tubero, Manlius, Philus vehementius de tanta indignitate atque acerbitate ingemuerunt. Eſt autem principi fortique viro valde decorum, quod ſequitur: pericula Scipionis a Scipione ipſo narrantur, quo-

tius: leniter arridens Scipio, Quæso, inquit, ne me e somno exciteris [34], & parum rebus [35]: audite cætera.

III. Sed quo sis, Africane, alacrior ad tutandum rempublicam, sic habeto: Omnibus, qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse in cælo definitum locum, ubi beati ævo sempiterno fruantur. Nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia cœtusque hominum, jure sociati, quæ civitates appellantur [36]: harum rectores & conservatores hinc profecti [37], huc revertuntur. Hic ego, etsi eram perterritus, non tam metu mortis, quam insidiarum a meis, quæsivi tamen, viveretne ipse & Paulus [38] pater,

quorum auditione cæteri, qui adsunt, commoventur: ipse vero, ad quem pertinent, immotus, imperterritus, constansque permanet. *Ramus*.

34 *Ne me e somno excitetis*] Fingit se dormire, quia somnium recitat. Festiva admodum locutio est. Quasi dicat: Quid vos somnium ita movet, ut exclametis, & ingemiscatis, quasi res vera sit? *VVolf.* Somnium memineritis me, non historiam vobis narrare. *Ramus*.

35 *Parum rebus*] Est ni fallor, germana lectio. *Parum rebus*, scilicet concedite; hoc est, date aliquid temporis & otii rebus tam arduis cognoscendis. *Langius*. Legunt, *& pax sit rebus*, Vict. Man. Grut. Vides hunc locum interpolatum esse contra veterum codicum fidem, procul dubio a nostrorum sacrorum consortibus, qui sæpius audierant, *Pax vobiscum, pax huic domui*. Ciceronis manus fuit, *Quæso, inquit, ne me e somno excitetis*. *Pax*. *Verum audite cætera*. Hoc est, tacete, & desinite ingemiscere, & exclamare. Notum est vocula hac *pax* uti Græcos & Romanos, cum aut sibi, aut aliis silentium indicunt. Terent. Heaut. IV. 3. *Pax*. *Nihil amplius*. Plaut. Mil. Gloriof. III. 1.

Pl. *Quam nominem?*
PA. *Glyceram*. PL. *nempe eandem, quæ dudum constituta est*. PA. *Pax, abi*.

Hæc mea de hoc loco sententia est. Sed quod in plerisque codicibus habetur *parum rebus*, quamvis nec hoc mihi probetur, malui retinere, cum Langio, Lambino, aliisque, quam pessime interpolatam, *& pax sit rebus*, quæ fuco sani coloris incauto lectori imponit. *Grævius*. Ego vero levissima mutatione legerim, *& parumper audite cætera*. Veteres fortasse librarii pro *parumper* legerant *parumreb.* Unde natum sit *parum rebus*. Bucherius.

36 *Concilia cœtusque hominum, jure sociati, quæ civitates appellantur*] Recte adjicitur *jure sociati*. Nam & *servilis quondam & gladiatoria manus*, ut recte inquit Macrobius, *concilia cœtusque hominum fuerunt, sed non jure sociati: illa autem sola est justa multitudo, cujus universitas in legum consentit obsequium*. Atque hæc definitio a Platone ponitur in lib. de Repub. & ab Aristot. III. Polit. 1. 2. & 4. *Ger. Vossius*.

37 *Hinc profecti*] Cicero cum Platone sentiens dicit omnes eos, qui rebuspublicis bene præfuerint, post suum ex hac vita discessum, recta in cælum, veluti domicilium germanamque suam patriam, redire, ex qua in hoc miserum orbis theatrum, tanquam in exilium, missi sunt. Est siquidem animorum origo cælestis (secundum eos) non ex terra, quos procreator ille mundi (ut dixit Cicero) e sua mente & divinitate genuit. Hoc ipsum & V. Tusc. Quæst. sensisse videtur, dum ait: *Humanus animus decerptus ex mente divina* &c. Vide & librum de Senectute, & de Amicitia. *Idem*.

38 *Viveretne ipse pater Paulus*] Satis constat P. Scipionem hunc nostrum L. Æmilii Pauli, qui Persem, Macedoniæ regem, devicit, natura fuisse filium; adoptione vero P. Scipionis, qui fuit Africani superioris filius. *Sigonius*.

ter, & alii, quos nos extinctos arbitraremur. Immo vero, inquit, ii vivunt, qui ex corporum vinculis, tanquam e carcere, evolaverunt [39]: vestra vero, quæ dicitur vita, mors est [40]. Quin tu adspicias ad te venientem Paulum patrem. Quem ut vidi, equidem vim lacrymarum profudi. Ille autem me complexus, atque osculans, flere prohibebat. Atque ego ut primum fletu represso loqui posse cœpi, Quæso, inquam, pater sanctissime atque optime, quoniam hæc est vita, (ut Africanum audio dicere) quid moror in terris? quin huc ad vos venire propero? Non est ita, inquit ille. Nisi enim Deus is, cujus hoc templum est omne quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides [41], quæ terra dicitur: hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quæ sidera & stellas vocatis: quæ globosæ [42], & rotundæ, divinis animatæ mentibus [43], circulos suos orbesque conficiunt celeritate mirabili [44]. Quare & tibi, Publi,

39 *Ex corporum vinculis, tanquam e carcere, evolaverunt:*] Hæc sunt plane Socratica. Ipse Socrates in Phædone Platonis, biturus cicutam, inter alia, quæ de anima præsentibus discipulis disputavit, illud adduxit, corpus animi esse carcerem: agere in eo animum dixit non sponte, sed vi quadam: non esse locum illum animi naturalem, sed puriorem, videlicet cælum: mortem solutionem esse a corpore, & reditum ad cælestia. *Olivarius.*

40 *Vestra vero quæ dicitur vita, mors est*] Illud ipsum quasi ad verbum refert in Platonis Gorgia Socrates: *Quis*, inquit, *novit, utrum vivere quidem mori sit, mori autem vivere: & nos forte revera mortui sumus? Audivi jam equidem a sapiente quodam, nos nunc mortuos esse, corpusque nostrum sepulcrum esse nobis*. G. Vossius.

41 *Quem in hoc templo medium vides*] Communis est veterum sententia in totius universi centro tellurem nostram positam esse, ita ut in medio sit omnium stellarum & planetarum. (Vide II. de Nat. D.) Sed hæc sententia philosophis ætatis nostræ accuratioribus dudum est explosa. Non magis in universi medio est, quam Saturnus aut stella quævis fixa. *Grævius.*

42 *Quæ globosæ*] Stellas globosas esse Aristoteles existimat, tum quia nusquam progrediantur, nec aliam idcirco formam requirant: tum quia verisimile sit Lunæ, quæ stella item sit, reliquas stellas forma similes esse. Stoici eadem ratione tributam sideribus istam formam crediderunt, ut 2. de Natura Deorum Cicero, qua mundo universo: quia nil sit ea figura pulchrius, „ quæ sola omnes alias figuras complexa continet, „ quæque nil asperitatis habeat, nil offensionis, nil incisum angulis, nil anfractibus, nil eminens, nil lacunosum. De N. „ D. 11. 18. *Ramus.*

43 *Divinis animatæ mentibus*] Divinis animatas esse mentibus stellas ex Platonico dogmate est: minores siquidem sunt illi dii, quos fingit in Timæo Plato a summo Deo factos, & immortalitate donatos. Sed vide Macrobium. *Idem.*

44 *Celeritate mirabili*] Quanta celeritate circulos suos dii illi conficiant, solis cursus indicare potest, qui cum viginti quatuor horis 360. gradus orbis percurrat singulis diebus, si uni gradui 60. millia passuum duntaxat (ut terræ gradibus attribui solent) attri-

bli, & piis omnibus retinendus eſt animus in cuſtodia corporis: nec injuſſu ejus, a quo ille eſt vobis datus, ex hominum vita migrandum eſt, ne munus humanum aſſignatum a Deo defugiſſe videamini: Sed ſic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, juſtitiam cole, & pietatem: quæ, cum ſit magna in parentibus & propinquis, tum in patria maxima eſt. Ea vita, via eſt in cælum, & in hunc cœtum eorum, qui jam vixerunt, & corpore laxati, illum incolunt locum, quem vides. Erat autem is ſplendidiſſimo candore inter flammas circus elucens, quem vos, ut a Graiis accepiſtis [45], orbem lacteum nuncupatis: ex quo omnia mihi contemplanti, præclara cætera & mirabilia videbantur. Erant autem eæ ſtellæ, quas nunquam ex hoc loco vidimus: & eæ magnitudines omnium, quas eſſe nunquam ſuſpicati ſumus: ex quibus erat illa minima, quæ ultima cælo, citima terris, luce lucebat aliena [46]. Stellarum autem globi terræ magnitudinem facile vincebant. Jam ipſa terra ita mihi parva viſa eſt, ut me imperii noſtri, quo quaſi punctum ejus attingimus, pœniteret.

IV. Quam cum magis intuerer, Quæſo, inquit Africanus, quouſque humi defixa tua mens erit? nonne adſpicis, quæ in templa veneris? Novem tibi orbibus, vel potius globis [47], connexa ſunt omnia: quorum unus eſt cæleſtis, extimus [48], qui

attribuas, ſemel & vicies ſupra ſexcentena ſenaque millia paſſuum ſingulis diebus conficiet. *Ranur.*

45 *Ut a Graiis accepiſtis*] Heroice & ampliore ſono *Graios* dicere Scipio, quam Græcos maluit. A *Graiis* vero acceptum eſſe ait nomen orbis lactei: Græcis enim eſt γαλαξίας, aut γαλάξιος κύκλος. Unde autem ille in orbe hoc quaſi candor? Poetæ commenti ſunt effuſo Junonis lacte candidum eſſe. Democritus cenſuit candorem illum eſſe συναυγασμὸν plurimarum ſtellarum minutiſſimarum, *quæ in orbe illo denſatæ ſint*. Marcilius. Democriti ſententiam ſic expreſſit Manilius lib. I. 752.

An maior denſa ſtellarum turba corona
Contexit flammas, & craſſo lumine candet,
Et fulgore nitet collato clarior orbis?

Quod Democritus vetereſque conjectura ſagaciter ſunt aſſecuti, hoc noſtro tempore teleſcopia ſic detexerunt, ut doctis omnem ſcrupulum eripuerint. *Grævius.*

46 *Luce lucebat aliena*] Lunam ſignificat, lucem a ſole mutuantem. *Manut.*

47 *Novem tibi orbibus, vel potius globis*] Novem orbes aut globos numerat Cicero, Ariſtoteles octo. Ratio hujuſce differentiæ illa eſt, quod Cicero terræ globum adnumerat: magis philoſophice ſcienterque Ariſtoteli non venit in hunc numerum terra, quia inſtar puncti ſive centri eſt. Dixit autem Cicero, *Vel potius globis*, quia terra non eſt orbis, ſive cava, ſed globus, ſive ſolida, & ſtellæ ſunt globi Ariſtoteli *lib. II. de cælo c. 8. & 11. Marcilius.*

48 *Quorum unus eſt cæleſtis, extimus &c.*] Orbi nono appoſuit quinque proprias quaſi notas.

qui reliquos omnes complectitur, summus ipse Deus, arcens & continens cæteros; in quo infixi sunt illi, qui volvuntur, stellarum cursus sempiterni: cui subjecti sunt septem, qui versantur retro contrario motu, atque cælum [49]: ex quibus unum globum possidet illa, quam in terris Saturniam nominant [50]. Deinde est hominum generi prosperus [51] & salutaris ille fulgor, qui dicitur Jovis. Tum rutilus, horribilisque terris, quem Martem dicitis [52]. Deinde subter mediam fere regionem Sol obtinet, dux, & princeps, & moderator luminum reliquorum, [52] mens mundi, & temperatio [53], tanta magnitudine, ut cuncta sua luce illustret, & compleat. Hunc ut comites consequuntur, alter Veneris, alter Mercurii cursus

notas. Prima, quod cælestis est, sive cælatus stellis: itaque lib. II. de Divinatione, hunc orbem proprie *cælum* vocavit. Altera nota est, quod ille orbis *extimus*, sive extremus. Sic Manilius, *lib.* I. agens de inerrantibus stellis, *Altius*, inquit, *his nihil est*. Tertia nota est, quod *reliquos omnes complectitur*. Apulejus, libro de Mundo: *Complexu illius orbis, qui inerrabilis dicitur, stellarum errantium orbes continentur*. Quarta nota, *quod summus Deus*. Sic Cleanthes apud Ciceronem lib. I. de Nat. Deor. *Æthera* dixit *certissimum esse Deum*. Quinta nota, quod *cæteros arces & continet*. Coercet, ne diffluant & vagentur: *continet* in officio conversionis. *Idem*.

49 *Contraria motu, atque cælum*] Quam cælestis globus extimus. *Atque* pro *quam*. Cælum hic est octava sphæra, cujus motui, solis & reliquorum erronum motus contrarius est. *Vinetus*.

50 *Quam in terris Saturniam nominant*] Signanter dixisse videtur, *in terris*, quasi aliter nominetur a diis in cælo. Sic infra: *Quem Martem* dicitis. Et supra: *Quæ sidera & stellas vocatis*. Ex Homerica nempe ac veteris sapientiæ disciplina, alius hominum, alius deorum sermo. *Marcil.* Saturnia stella gelidæ ac rigentis naturæ, unde serum sidus existimatum, qui morosi idcirco sunt ac difficiles: orbem suum conficit 29. annis, diebus 162. horis 12. ob quam motus tarditatem Saturnus, ratione quadam physica, appellatus est, *quod saturetur annis*, ut ait Cicero de Nat. Deorum, lib. II. cap. 25. quodque *consumat ætas temporum spatia, annisque præteritis insaturabiliter expleatur*. Ramus.

51 *Prosperus*] Sic habent omnes libri veteres, atque ita legendum. Sic enim loquebantur veteres. Immo vero usitatius est *prosperus*, quam *prosper*: & sic legit Priscianus, lib. 6. *Vinetus*. Ipsum Jovis nomen a mansueta clementique syderis natura formatum est. Jupiter enim, id est, *juvans pater*, ait Cicero, de Nat. D. II. 25. alligasse Saturnum in fabulis dicitur, quia immoderata Saturni frigora temperat. Hinc illud Persii:

Saturnumque gravem nostro Jove frangimus una.

Cursum suum absolvit II. annis, diebus 313. horis 20. *Ramus*.

52 *Quem Martem dicitis*] Romani. Græcis etiam Ἄρης, id est, Mars, & Ἡρακλῆς, Hercules, ut apud Plinium, lib. II. cap. 8. & πυρόεις, ut apud Plut. II. de Placitis, ab igne, qui πῦρ appellatur. Binis fere annis orbem suum conficit. *Vinetus*.

52 *mens mundi*] Mens ad multa traducitur pro vario divinitatis explicandæ modo. Hic late sumitur pro summa vi, non tamen, opinor, pro summo & maximo numine; ut sumitur a Masinissa initio hujus opusculi. *Facc.*

53 *Et temperatio*] Quod cælum & terram suo calore temperat. *Vinetus*. Legendum, *mens mundi & temperator*, non, ut vulgo, *mens mundi & temperatio*. Lamb. Voluit Tullius oratorie *temperationem* dicere pro *temperatore* metonymice, ut cum mentis nomine magis conveniret. *Marcilius*.

ſus [54] : in infimoque orbe Luna, radiis ſolis accenſa convertitur. Infra autem jam nihil eſt, niſi mortale & caducum, præter animos generi hominum munere deorum datos. Supra lunam ſunt æterna omnia. Nam ea, quæ eſt media [55], & nona tellus, neque movetur [56], & infima eſt, & in eam feruntur omnia ſuo nutu pondera [57].

V. Quæ cum intuerer ſtupens, ut me recepi, Quid? hic, inquam, quis eſt, qui complet aures meas tantus & tam dulcis ſonus [58]? Hic eſt, inquit ille, qui intervallis conjunctus imparibus [59], ſed tamen pro rata portione [60] diſtinctis, impulſu

54 *Hunc ut comites conſequuntur, alter Veneris, alter Mercurii curſus*] Veneris & Mercurii ſtellæ curſum habent ſolis celeritati parem. Anno enim uno fere ambitum zodiaci conficiunt. Ad hæc a ſole tum ſubſequentes, tum antecedentes, non longe ſeparantur, tanquam ſi juſſæ ſint eum obſervare, comitari, deducere, quocunque eat. Legimus namque apud Ciceronem lib. II. de Nat. Deorum, Venerem a Sole non diſcedere longius duorum ſignorum intervallo, quæ eſt pars ſexta ambitus cæli: Mercurium vero non remotius uno ſigno, quæ pars eſt duodecima ejuſdem circuli. *Vinetus*.

55 *Quæ eſt media*] In mundi medio & centro, quæ & centrum ipſum, & mundi medium punctum, ut Cleomedes, Plinius, Ptolemæus & alii confirmant. *Vinetus*. Hæc tamen ſententia jam exploſa eſt ab accuratioribus Philoſophis & Mathematicis, nec magis terra in medio eſt univerſi ſeu mundi, quam ſol, aut luna, aut alius erro: ut dictum eſt ſupra. *Grævius*.

56 *Neque movetur*] Fuerunt quondam Philoſophi, & noſtris temporibus Nicolaus Copernicus, qui confirmarent eam moveri. Vide in Lucullo, cap. 39. quæ fuerit Hicetæ Syracuſii opinio. *Vinetus*.

57 *Et in eam feruntur omnia nutu ſuo pondera*] Tuſculana I. cap. 17. *Eam porro naturam eſſe quatuor omnia gignentium corporum, ut quaſi partita habeant inter ſe, & diviſa momenta: ut terrena & humida ſuopte nutu, & ſuo pondere, ad pares angulos in terram & in mare ferantur: reliquæ duæ partes, una ignea, altera animalis, ut illæ ſuperiores in medium locum mundi gravitate ferantur, & pondere, ſic hæ rurſum rectis lineis in cæleſtem locum ſubvolent, ſive ipſa natura ſuperiora appetente, ſive quod a gravioribus leviora natura repellantur*. Vinetus. Male quidam legunt, *ſuo motu pondera*. *Suo nutu* eſt ſua ſponte & quaſi natura. Cic. II. de Nat. Deor. *Suis nutibus in ſe globata terra*. Et in loco, quem Vinetus attulit ex prima Tuſculana, cap. 17. *Ut terrena & humida ſuopte nutu & ſuo pondere ad pares angulos in terram & in mare ferantur*. Grævius.

58 *Tantus & tam dulcis ſonus?*] Hanc Pythagoræ fabellam de muſica mundana, Cicero lib. III. de Nat. Deor. riſit in tranſitu, & accepit, ut fabellam accipi dignum eſt. In hoc autem Scipionis Somnio eam fuſius enarravit. In ſomnio quippe quidvis licet, ac prope etiam quaſi decorum eſt. *Marcilius*.

59 *Intervallis conjunctus imparibus*] Intervallum ſonorum definitur Severino Boetio, *ſoni acuti graviſque diſtantia*. Veluti *ut* & *re*, verbi gratia, duo ſunt ſoni, ſeu, quomodo vulgo appellantur, voces: *ut* gravis, *re* acuta: *ut* velut inferior ſonus, *re* ſuperior. Sic *ut* & *la* ſoni duo: *ut* ſicut diximus, gravis, *la* acutus, & idem *la* etiam acutior quam *re*, ita ut *re* comparatus cum *ut* ſit acutus & ſuperior; cum *la* vero gravis & inferior. Quod igitur intereſt inter *ut* & *re* inferam & ſuperam vocem, tanquam inter duos ſcalarum gradus, id intervallum appellatur. Eodem modo inter *ut* & *la* accipiendum intervallum, ſed hoc longe majus, quam eſt inter *ut* & *re*. Quia *la*, ut diximus, multo acutius ſonat quam *re*. Sic fiunt intervallorum multa & varia genera, veluti, τόνος ἡμιτόνιον, δίτονον, διὰ τεσσάρων, διὰ πέντε, διὰ πασῶν, & alia. *Tonus* id intervallum dicitur, quod eſt inter *ut* & *re*, inter *re* & *mi*, *fa* & *ſol*, *ſol* & *la*. *Hemi-*

pulsu & motu, ipsorum orbium [61] efficitur: qui acuta cum gravibus temperans [62], varios æquabiliter concentus efficit [63]. Nec enim silentio tanti motus [64] incitari possunt, & natura

mitonium dimidium toni significat, id agnoscunt nostri cantores inter *mi* & *fa*: majus nusquam inter prædictos sex sonos. *Trihemitonium*, tria hemitonia sunt, hoc est, tonus & hemitonium, quod est intervallum sonorum *re* & *fa*. Est enim tonus inter *re* & *mi*, hemitonium minus inter *mi* & *fa*. Eodem intervallo trihemitonio distat *mi* & *sol*. *Ditonium*, duo toni, quot sunt inter *ut* & *mi*, ac inter *fa* & *la*. *Dia tessaron* duo toni, & hemitonium minus, quod est intervallum sonorum *ut* & *fa*, *re* & *sol*, *mi* & *la*. Invenit nomen a quatuor sonorum numero, vulgo *quartam* appellant. *Dia pente* tres toni cum eodem hemitonio minore, intervallum sonorum, *ut* & *sol*, *re* & *la*. *Quintam* nunc cantores dicunt. *Dia pason* tanquam ex *dia tessaron*, & *dia pente* fiat, quinque toni sunt, & duo hemitonia minora, quæ tonum non complent: aut sex omnino integri toni, quemadmodum contra Pythagoreos disputavit Aristoxenus Musicus insignis. Soni æquales, & quæ unisonæ voces vulgo appellantur, quanquam consonant & concordant, tamen consonantia non solet ea appellari, sed definitur consonantia (ita Græcorum συμφωνίαν dicit Severus) vocum, sive sonorum inæqualium inter se junctorum dulcis concentus. Sonorum autem inæqualitas varia est, postquam sonorum multiplicia sunt intervalla, nec dispares soni quilibet eum concentum efficere possunt: sed certa quædam sunt intervalla, quibus efficiatur συμφωνία, ut quæ διὰ τεσσάρων, διὰ πέντε, & διὰ πασῶν dicta sunt. Pythagoras statuebat orbes cælestes consonare & concinere, & intervallis Musicis intervalla sphærarum convenire ostendebat. A terra ad lunam putabat esse tonum, a Mercurio ad Venerem hemitonium. Vide Plin. II. & 22. Censorin. de Die natali. c. 13. Orbium multorum qui eum sonum edunt, multa sunt intervalla, eaque inæqualia: quam autem rationem habent inter se orbium intervalla, eandem inter se quoque retinere sonorum, quos ipsi edunt, intervalla volebat Pythagoras. Sonorum intervalla sunt ubi soni sunt impares, hoc est graves alii, alii acuti, quæ sonorum inæqualitas constituit consonantiam. *Vinetus*. Non solum Pythagoræ, sed & Platonis opinio erat, circumvolutione orbium cælestium concitatissima admirandum excitari concentum. Ob quem Dorilaus apud Censorin. c. 13. mundum vocabat *organum Dei*, & Varro *Divum lyram* in Sat. ὄνος λύρας:

Quam mobilem Divum lyram Sol ἁρμογῇ
Quadam gubernans motibus diis veges.

Solem enim censebant in medio collocatum motus moderari sydereos, quæ & Orphei fuit sententia in Orphicis hym. in Apoll. Sed hujusmodi harmoniam refellit Aristoteles II. de cælo, cap. 9. Immo ne illud quidem an complures reapse sint orbes cælestes, controversia caret. *G. Vossius*, II. de Idololat. Orig. 37.

60 *Pro rata portione*] Vetus: *pro partium ratione distinctis*. Bene. *Langius*. Cicero, hoc puto, voluit dicere, inæqualia illa intervalla distincta esse, & definita certa quadam ratione, & proportione, unde sonorum fiat convenientia & concentus. Non enim sunt concentui apta quælibet intervalla, sed ex multis paucula quædam. Vinetus. *Pro rata*, *&c.* hoc est, pro fixa & immutabili lege & natura intervallorum. *Grævius*.

61 *Impulsu & motu ipsorum orbium*] Plato x. de rep. singulis orbibus singulas Sirenas insidere dixit, quæ cum suis orbibus simul versentur, & canant. Alii Sirenas istas non audiverunt, neque volunt orbium esse istum sonitum, sed astrorum ipsorum, quæ in orbibus infixa convertuntur. Vide Aristot. II. de cælo c. 9. Plin. II. Hist. Nat. 3. *Vinetus*.

62 *Acuta cum gravibus temperans*] Fit enim concentus ex dissonis. Ovidius Metamorph. l. x. de Orpheo:

Et sensit varios, quamvis diversa sonarent,
Concordare modos. Marcilius.

63 *Varios æquabiliter concentus efficit*] Varias consonantias dia tessaron, dia pente, dia pason in orbium harmonia Pythagoras audiebat. Impares autem soni cum ita conveniunt, & concordant, ex ea inæqualitate æquabilitas quædam fieri videtur. *Vinetus*.

64 *Nec enim silentio tanti motus*] Sic ratiocinabantur Pythagorei. Quæ hic apud nos moventur, ut lapis, funda, sagitta arcu emissa, sonitum edunt, eumque tanto majorem,

fert, ut extrema ex altera parte [65] graviter, ex altera autem acute sonent. Quam ob causam summus ille cæli stelliferi cursus [66], cujus conversio est concitatior, acuto & excitato movetur sono: gravissimo autem hic lunaris atque infimus. Nam terra, nona, immobilis [67] manens, ima sede semper hæret, complexa medium mundi locum. Illi autem octo cursus, in quibus eadem vis est duorum [68], septem efficiunt

rem, quanto illa fuerint majora, & majore vi impellantur. Atque ætherei orbes longe maximi sunt, & inenarrabili celeritate convertuntur. Necesse igitur est, ut motus illi immensum efficiant sonum. Ita Pythagorei, ex quibus esset quærendum, quidnam definiant sonum. Si enim sonus est, qui non fit aliter, quam ex corporum collisione, & aere percusso, sicut vulgo definitur, vix poterit illic esse sonus, ubi nulla collisio, nulla aeris percussio. Sed lege quæ contra hoc Pythagoreum commentum disputat Aristot. 11. de cælo. *Idem*.

65 *Ut extrema ex altera parte*] Ejusdem nervi extrema eodem modo percussa, non audio dispares sonos edere: sed in musicis instrumentis soni hoc modo solent disponi, ut altera ex parte graves, ex altera acuti temperentur, sicut natura videtur constituisse, gradatim sursum versus adscendentes a gravissimo ad acutissimum. *Idem*.

66 *Summus ille cæli stelliferi cursus*] Octava sphæra, in qua fixæ sunt stellæ cunctæ, præter septem errantes appellatas, cujus conversio & motus est velocior, quo ab oriente ad occidentem illam fieri videmus, (est enim hic motus, ex quo suos sonos & Musicos concentus Pythagorei eliciebant, altero huic contrario, ob suam scilicet lentitudinem nihil resonante,) acuto, inquit, illa sono, excitato & penetrantiore movetur: gravissimo vero lentior lunæ cursus & terræ proximus. Servius tamen cum lyræ Orphei septem discrimina vocum interpretatur in vi. Æn. vers. 645. videtur orbi lunæ sonitum adjicere. Porro voces & soni sequuntur suorum instrumentorum modum. Quarum chordarum par est longitudo, crassitudo, intentio, percussio, & motus, earum & soni pares sunt. Nervus vero longior, crassior, remissior, & leniore etiam modo percussus, graviorem emittit sonum. In gutturibus quoque ac tibiis varia magnitudo, cavum, spiritus, inæquabiles reddit voces & sonitus. Hæc cum in rebus notassent isti cælestium sonorum artifices, dubitarunt utri extremorum acutum sonum assignarent, utri gravem. Quod lunaris globus minor sit, octava sphæra longe major, acutior sonus lunæ deberi videtur, ut breviori & tenuiori nervo, aut tibiæ: gravior stellis fixis, tanquam majori & crassiori chordæ. At contra longe celerius sese versat cæli stelliferi cursus, quam lunaris. Contemplaris namque hodie lunam cum aliqua ex stellis fixis simul occidere, quam cras aut perendie post illam eandem stellam non exiguo temporis spatio occidere admiraberis. Præterea si ponamus etiam sphæras lunæ, & stellarum fixarum, pari temporis spatio conversiones suas absolvere, profecto par esse videtur, ut major orbis majore vi & celerius moveatur. Motus autem celerior, sicut percussio & flatus vehementior acutiorem excitat sonum. Acutius ergo sunat supremum cælum, gravius lunare infimum. Sic Ciceronem ab aliis hic dissentire meminit Severinus lib. 1. de Musica. *Idem*.

67 *Nam terra, nona, immobilis*.] Quanquam extrema est ex ea parte, qua graves sonos constituimus, tamen nemini mirum sit, inquit, quod lunari orbi gravissimum sonum damus. Terra enim soni est expers; quæ immobilis manet apud ipsum universitatis centrum, ut etiam ante dictum est, aliis orbibus sonitum non aliunde habentibus, quam ex suo motu. *Vinetus*. Utrumque falsum esse, terram non moveri, eamque in centro universitatis sitam, omnes eruditi Mathematici hoc seculo, vi veri victi, testantur & credunt. *Grævius*.

68 *Eadem vis est duorum*,] Post hæc verba Manutius, Lambinus, & Gruterus, addunt, *Mercurii & Veneris*: quæ non agnoscit Victorius, neque Langius. neque vero Eulogius, qui hunc locum sic explicat. *Cum ex alia*

ciunt diſtinctos intervallis ſonos: qui numerus rerum omnium fere nodus eſt. Quod docti homines nervis imitati, atque cantibus [69], aperuere ſibi reditum in hunc locum: ſicut alii, qui præſtantibus ingeniis, in vita humana, divina ſtudia coluerunt. Hoc ſonitu oppletæ aures hominum obſurduerunt [70]: nec eſt ullus hebetior ſenſus in vobis: ſicut ubi Nilus ad illa, quæ Catadupa [71] nominantur, præcipitat ex altiſſimis montibus, ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem ſonitus, ſenſu audiendi caret. Hic vero tantus eſt totius mundi incitatiſſima converſione ſonitus, ut eum aures hominum capere non poſſint: ſicut intueri ſolem adverſum nequitis, ejuſque radiis acies veſtra ſenſuſque vincitur. Hæc ego admirans, referebam tamen oculos ad terram identidem.

VI. Tum Africanus, Sentio, inquit, te ſedem etiam nunc hominum ac domum contemplari: quæ ſi tibi parva, ut eſt, ita videtur, hæc cæleſtia ſemper ſpectato: illa humana contemnito. Tu enim quam celebritatem ſermonis hominum, aut quam expetendam gloriam conſequi potes? Vides habitari

 in

alia parte acutum perſonet mundus, ex alia grave, temperantur hæc mediis, & ita gradatim univerſa miſcentur, ut ſit in cæteris vis duorum, acuti ſcilicet atque gravis: ut acuto Zodiacus circulus, gravi lunaris, illudque dicatur νήτη, hoc ὑπάτη, ſono Dorio moveatur. Et nihil certius. Quid enim abſurdius, quam hic inſerere *Mercurii & Veneris?* in quibus eadem vis eſt, ſcilicet ſonorum acuti & gravis. Octo, inquit, ſunt ſphæræ, quæ moventur & ſonitum edunt: nona eſt terra, quæ nec movetur, nec ſonitum edit. Sed illæ octo ſphæræ, quæ moventur, in quibus eſt vis duorum horum ſonorum, acuti & gravis, efficiunt horum ſonorum temperata ratione illam mundi harmoniam. Vix credas quomodo viri doctiſſimi ſe torſerint, cum *duorum* retulerint non ad ſonos, ſed ad curſus planetarum. *Idem.*

69 *Quod docti homines nervis imitati atque cantibus,*] Intelligi vult ex muſica cæleſti profectam eſſe humanam: eamque eſſe duplicem; unam videlicet *nervorum*, alteram vocum, ſive *cantionem*. *Doctos homines* intelligi vult poetas, ut Orpheum, & philoſophos, ut Pythagoram. Hic enim fertur quaſi auctor & inventor muſicæ. Adde Linum, Amphionem &c. *Marcilius.*

70 *Hoc ſonitu oppletæ aures hominum obſurduerunt:*] Reſponſio eſt ad objectionem. Quoniam videbatur abſurdum, ſi ſonarent ſphæræ, nos eam vocem non exaudire; dicebant Pythagorei, jam inde a primo ortu noſtro ſonum adeſſe perpetuum, qui ita obſideat ac oppleat aures noſtras, ut ipſum a ſilentio internoſcere non poſſimus: Vox enim & ſilentium inter ſe comparata dignoſcuntur, diſcernunturque maxime, ſicut motus & quies, candor & nigror; ſed qui perpetuum audit ſtrepitum, quid de ſilentio judicare poteſt? Πολυηχεῖσθαι itaque hoc loco Africanus dicit, primum aures noſtras hoc ſono oppletas ita obſurduiſſe, ut de eo judicare nihil poſſent, deinde eum ſonum tam magnum eſſe, ut aures noſtræ, anguſtæ ſcilicet hæ nimium, eum capere nequeant. Sed vide contra hæc diſputantem Ariſtotelem II, de cælo. *Vinetus.*

71 *Catadupa*] Vide Plin. v. Hiſt. Nat. 9. Sunt ad ultimum cataractem: ab iis Nilus incipit & Ægyptus. Æthiopes etiam ad catadupa colentes dicuntur catadupi. Vide Herodot. in Euterpe, & Senec. IV. Nat. Quæſt. cap. 2. *Grævius.*

in terra raris & angustis in locis [72] : & in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interjectas: hosque, qui incolunt terram [73], non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit: sed partim etiam aversos [74], partim etiam adversos stare vobis: a quibus expectare glo-

72 *Raris & angustis in locis:*] Sic persuasum olim Geographis, nusquam habitari terras nisi in zonis duabus temperatis. Sed hodie ex navigationibus compertum est, omnibus in locis terram habitari. *Marcil.*

73 *Hosque qui incolunt terram,*] Antiqui sibi persuaserunt terram aqua in quatuor partes hoc modo divisam esse. Mare per Septentrionem, Orientem, Austrum, Occidentem, cingere terram, & eam in duas dividere, superam nostram & inferam. Rursus idem mare, utrasque has terras, in alias totidem secare, ab ortu & occasu illas ingressum, secundum zonæ torridæ tractum. Ad hunc modum illi terram dividebant quadrifariam, in duas superas & inferas totidem, septentrionales duas, & totidem Australes: existimabantque, quemadmodum Hyginus meminit, Trajani ille, non Octaviani Augusti libertus, hominibus ultra quartam partem orbis terræ, in qua nati sunt, ire non permitti. Corpora humana, rigorem extremarum zonarum ferre non posse, earumque regionum maria gelu perpetuo manere durata, ut navigiis ea penetrari nequeant. In medio autem orbis terræ, ardere omnia, & eum medium pelago aperiri: cujus navigationem etiam si æstus permittat, nemo tentare audeat propter vastitatem. Physicorum namque quorundam opinio fuit, sicut scribit Cleomedes, partem illius magni maris maximam, zonæ torridæ subjici, alendorum siderum gratia. Quæ denique maria, per ortum & occasum temperatas zonas disterminant, ea adeo lata, & sæva esse, ac ut ipso Cleomedis verbo utar, κητώδη, id est, multarum & immanium belluarum capacia, ut ingredi nemo ausit. Sed toto illi cælo errabant, ut tempora nostra comperetunt. Primum enim nullum mare per ortum & occasum, nullum per zonam calidam, ita dividit terram quemadmodum opinabantur. Deinde, quæ maria ubi ubi sunt, nisi forte sub ipsis mundi verticibus frigore perpetuo concreta maneant, omnia sunt navigabilia. Strabo Amasensis, nobilis ille Geographus, Herodoto, Heraclidi Pontico, Posidonio, Cornelio Nepoti, non credidit, qui scripserant quosdam ab India ad Gades, & usque in Germaniæ litora navigasse. At eo itinere Lusitani anno Christi millesimo quadringentesimo & nonagesimo septimo, navigare in Indiam ingressi, exinde illuc quotannis navigant: desperatam illam Macrobio zonam invenerunt, & mediam habitari compererunt, sicut Juba, idem Posidonius, Polybius, & quidam alii ante Ptolemæum ostenderant: quorum argumenta & rationes fere repetunt Strabo & Cleomedes. Refertam namque zonam torridam suis hominibus invenerunt: nostrosque temperato cælo natos, istis ignibus tandem resistere sinit. Sunt enim jam in ea infinitæ Hispanorum coloniæ, ut quod Scythæ, gens septentrionibus vicina, de generis vetustate cum Ægyptiis contendentes, dicebant apud Trogum, id ita plane habere conspiciatur: Naturam, quæ „ calore & frigore regiones distinxisset, ad „ locorum patientiam homines quoque & a„ lia animalia generasse. *Vinetus.*

74 *Aversos*] *Versos*. Vict. *transversos*: Lambinus. *Obliquos* Græci vocant περιοίκους, qui circum quasi habitare dicuntur. Habent enim nobiscum eundem parallelum & meridianum. *Aversi* Græcis sunt ἄντοικοι, aliter, ἄντωμοι, quasi oppositis humeris: sui enim sunt sub oppositis parallelis, ac diversos respiciunt polos. *Adversi* sunt ἀντίποδες, qui & ἀντίχθονες dicuntur, qui sunt sub Meridianis oppositis, & sub adversis parallelis. De Periœcis & Antipodibus quæstio fuit olim, sintne ulli. Vide Plin. 11. 65. Cum Cicerone & Plinio Cleomedes, Strabo, Mela, Solinus, sentiunt Antipodas esse, & hodie patefactis omnibus terræ latebris, apertisque in Æthiopiam ultimam, in Indiam, in novas terras, navigationibus, obliquos, aversos, adversos populos oculis ipsis judicibus assecuti sumus. Augustinus in Civitate Dei fabulas incredibiles esse existimat, quæ de Antipodibus afferuntur. Lactantius idiotas ridiculos facit, qui credant esse homines, quorum vestigia sint

gloriam certe nullam poteſtis. Cernis autem eandem terram, quaſi quibuſdam redimitam & circumdatam cingulis [75]: e quibus duos maxime inter ſe diverſos [76], & cæli verticibus [77] ipſis ex utraque parte ſubnixos, obriguiſſe pruina vides: [78] medium autem illum, & maximum, ſolis ardore torreri. Duo ſunt habitabiles: quorum auſtralis ille, in quo qui inſiſtunt, adverſa vobis urgent veſtigia. Nihil ad veſtrum genus. Hic autem alter ſubjectus aquiloni [79], quem incolitis, cerne, quam tenui vos parte contingat. Omnis enim terra, quæ colitur a vobis,

ſint ſuperiora, quam capita. E recentioribus Galeotus in hanc eandem ſententiam adductus eſt. Cujus erroris cauſa eſſe potuit, quod inferius hemiſphærium terræ totum aquis occupatum crederent: ideoque nullos Periœcos, nullos Antipodas eſſe. Verum premimur, atque violenter urgemur a nautis & mercatoribus, ab hiſque in rem præſentem deducimur, ut illis potius licet imperitis & ignaris literarum, quam doctiſſimis illis, graviſſimiſque auctoribus aſſentiamur: neque tantum credamus eſſe quoſdam obliquos nobis, averſos quoſdam, quoſdam penitus adverſos, ut Cicero ſcribit: ſed Ciceroni ipſi repugnemus, non interruptos ita eos eſſe, quin ab aliis ad alios permulta tum navigiis, tum vehiculis exportari poſſint: nec ab his tantum laudem & honorem, cum de noſtris rebus geſtis loquentur, ſed etiam fructus & utilitates plurimarum, maximarumque rerum ſingulares expectare poſſimus. Quod autem exiſtimarit Cicero, hic interruptos eſſe, qui adverſi eſſent, effecit quædam vetus opinio ex fabuloſis Atlantici maris ædibus concepta: crediderunt enim veteres, cum mare mediterraneum trajeciſſent, uberiora illa immenſi pelagi æquora navigabilia non eſſe. Et apud Platonem in Timæo, Ægyptius quidam ſacerdos affirmat mare illud quondam terram continentem fuiſſe, in eaque reges admirabilis potentiæ fuiſſe: ſed ingenti terræ motu in aquas mariaque eſſe demerſam. Quæ cauſa fuerit, ut propter relictum abſorptæ terræ limum, mare illud innavigabile redderetur. *Ramus.*

75 *Quibuſdam redimitam & circumdatam cingulis:*] Quinque zonas dicit de quibus Ovid. Metam. I. 43. & Virgil. Georg. I. 234. *Grævius.*

76 *Inter ſe diverſos,*] Circulum nimirum Arcticum & Antarcticum. *Idem.*

77 *Cæli verticibus*] Græcis poli dicuntur, puncta circa quæ cælum convertitur ab oriente ad occidentem. Virgilius quoque vertices dixit II. Georg. & Cic. in Arato:

Extremuſque adeo duplici de cardine vertex
Dicitur eſſe polus. Vinetus.

78 *Medium autem illum & maximum,*] Medius vero cingulus ille, & maximus intra tropicos quadraginta octo partes patet, ac trecentas ſexaginta in longum porrectus eſt, ſi totum circulum metiare. Nullus autem eſt ardor, nullus ſolis æſtus, quin ſingularis temperies vel in medio ejus loco, ex æqualitate dierum, noctiumque. Illic enim cum dies æquales ſint noctibus, neceſſe eſt diurnos calores nocturnis frigoribus temperari: & terræ illæ cognitæ magnis argumentis ſuam temperiem demonſtrant. Celebris & locuples inſula eſt Taprobane, quam tamen ſatis conſtat æquatori ſubnixam eſſe, quales multæ ſunt regiones in Americis terris, hoc ſeculo repertæ navigationibus Hiſpanorum. *Ramus.* Vide Plinium, Hiſt. Nat. lib. II. cap. 68. Quod autem ſit omnium cingulorum maximus hic, ex zonarum pictura & deſcriptione cognoſces. *Vinetus.*

79 *Hic autem alter ſubjectus Aquiloni*] Zona ſeptentrionalis temperata. Septentrio eſt urſa, ſidus, & ventus, & unus ex quatuor cæli cardinibus, & polorum alter. Inter hunc ſeptentrionem & eum locum, unde Sol æſtate oritur, cum eſt ſolſtitium, ponit Plinius (lib. II. cap. 47.) Aquilonem ventum, & cæli regionem, unde hic flat, & Gellius (lib. II. cap. 22.) Aquilonem ab ipſa æſtiva & ſolſtitiali orientis meta venire dicit. Hæc autem loca quoniam Septentrioni vicina ſunt, Aquilo pro Septentrione crebro uſurpatur. *Vinetus.*

vobis, angusta verticibus, lateribus latior [80], parva quædam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum [81], quod magnum [82], quem Oceanum appellatis in terris: qui tamen tanto nomine, quam sit parvus, vides. Ex his ipsis cultis notisque terris, num aut tuum aut cujusquam nostrum nomen, vel Caucasum [83] hunc, quem cernis, trascendere potuit, vel illum Gangem transnare? Quis in reliquis orientis, aut obeuntis solis ultimis, aut aquilonis, austrive partibus tuum nomen audiet? Quibus amputatis, cernis profecto, quantis in angustiis vestra gloria se dilatari velit. Ipsi autem, qui de vobis loquuntur, quam loquentur diu?

VII. Quin etiam, si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniuscujusque nostrum a patribus acceptas posteris prodere; tamen propter eluviones exustionesque terrarum [84], quas accidere tempore certo necesse est, non modo non

80 *Lateribus latior*,] Veteres Græci terræ longitudinem, ab uno mundi vertice ad alterum, latitudinem ab ortu ad occasum definiebant, ut Aristoteles a. de cælo. Quam sententiam hic Cicero sequitur, cum latitudinem ab ortu ad occasum, longitudinem intra polos interpretatur. Zona autem nostra intra vertices & polos est angusta propter interjectum mare mediterraneum: tum quia per se sex gradibus minor sit media: *lateribus latior*, centum octoginta gradus cultæ & habitatæ hujus zonæ Ptolemæus in Geographia monstravit, & multo plus hoc seculo cognitum est. Plinius lib. a. habitatæ terræ longitudinem maximam ab ortu ad occasum, hoc est ab India ad Herculis columnas octuagies quinquies centena septuaginta millia passuum. Latitudinem autem a Meridiano situ ad septentrionem dimidio fere minorem colligit quinquagies quater centena sexaginta duo millia. *Ramus*. Accipitur latitudo etiam pro spatio ab ortu in occasum; longitudo vero a polo ad polum. Aristot. 11. de cælo cap. a. λέγω δὲ μῆκος αὐτῆς τὸ κατὰ τὰς πόλεις διάστημα. Et sane putabant illi longitudinem semper esse, quæ sit inter vertices mundi. Latera igitur vocabant partes inter ortum & occasum sibi oppositas. Et sic Cicero hoc loco accepit. Hinc factum est ut dextras mundi partes plurimi ad orientem collocarint, sinistras vero ad occasum. *Isaacus Vossius*.

81 *Atlanticum*,] Atlas Mauritaniæ in Africa & mons, & rex fuit. Hic propter Astronomiam a se inventam, ille propter altitudinem stellifer vocatur. Virgilius sexto Æneidos,

Jacet extra sidera tellus,
Extra anni solisque vias, ubi cœlifer Atlas, &c.

Ab eo igitur monte, quem alluit, mare dicitur Atlanticum. *Ramus*.

82 *Magnum*,] Μεγάλην θάλατταν etiam Græci, ut Cleomedes lib. 1. quod terram circumdat, unde oriri videntur minora illa maria, quæ intrant terram, veluti quod internum frequentius Latinis, quam mediterraneum vocatur. *Idem*.

83 *Caucasum*.] Caucasus Tauri montis pars excelsissima. Plinius l. v. c. 27. Taurum ubi se quoque exuperat, Caucasum vocari. Montem illum P. Scipionis temporibus imperii limitem factum esse inter populum Romanum, & Antiochum magnum, scripsit Tullius, in Oratione pro Rege Dejotaro. *Marcilius*.

84 *Propter eluviones exustionesque terrarum*] Diserta est apud Platonis Timæum senis sacerdotis Ægyptii narratio, Græcos ob vetustatis ignorationem pueros appellantis: *O Solon, Solon, Græci pueri semper estis, nec quisquam a Græcia senex*. Cur istud diceret, percontante Solone, respondisse sacerdotem: Quia

non æternam, ſed ne diuturnam quidem gloriam aſſequi poſſumus. Quid autem intereſt, ab iis, qui poſtea naſcentur, ſermonem fore de te, cum ab iis nullus fuerit, qui ante nati ſint, qui nec pauciores, & certe meliores fuerunt viri? cum præſertim apud eos ipſos, a quibus audiri nomen noſtrum poteſt, nemo unius anni memoriam conſequi poſſit: homines enim [85] populariter [86] annum tantummodo ſolis, id eſt, unius aſtri reditu metiuntur: cum autem ad idem, unde ſemel profecta ſunt, cuncta aſtra redierint, eandemque totius cæli deſcriptionem longis intervallis retulerint, tum ille [87] vere vertens annus appellari poteſt: in quo vix dicere audeo, quam multa ſecula hominum teneantur. Namque, [88] ut olim deficere ſol hominibus extinguique viſus eſt, cum Romuli animus hæc ipſa in templa penetravit: ita quandoque eadem parte

Quia juvenis ſemper vobis eſt animus, in quo nulla eſt ex vetuſtatis commemoratione priſca opinio, nulla cana ſcientia. Quod ideo vobis contingit, quia multa & varia hominum exitia fuerunt, eruntque: maxima quidem aut ignis conflagratione, aut aquæ inundationibus pervenire neceſſe eſt; minora vero aliis quibuslibet calamitatibus fieri. Nam quod apud vos fertur, Phaethontem quondam ſolis filium currus aſcendiſſe paternos, nec patris aurigatione ſervata exuſſiſſe terrena, ipſumque flammis cæleſtibus conflagraſſe, quamvis fabuloſum videatur, verum quodammodo eſſe putandum eſt. Fit enim longo temporis intervallo cæleſtis circuitus permutatio quædam, quam inflammationis vaſtitas neceſſario ſequitur. Tunc ii qui edita & arida incolunt loca, magis pereunt, quam mari, fluviiſque vicini. Nobis porro Nilus cum in pleriſque ſalutaris eſt, tum hujuſmodi a nobis arcet exitium. Quando vero dii aquarum colluvione terræ ſordes diluunt, paſtores ovium, atque bubulci, qui juga montium habitant, periculum illud evadunt: veſtræ autem civitates in planitie ſitæ, impetu fluminum ad maria rapiuntur. Sed in hac noſtra regione, neque tunc, neque alias unquam aqua in agros ſuperne deſcendit: contra vero ſurſum e terræ viſceribus ſcaturit. Quam ob rem antiquiſſimarum rerum apud nos monumenta ſervantur. Proinde ubicunque nec imbrium tempeſtas nimia, nec incendium ingens contingit, licet alias pauciores, alias plures, ſemper tamen homines ſunt. Quæcunque vero a noſtris, ſive a veſtris, ſive aliis nationibus geſta ſunt memoratu digna, modo ad aures noſtrorum pervenerint, noſtris in templis deſcripta ſervantur: apud vos & alias gentes res geſtæ nuper literis monumentiſque traduntur, ſed certis temporum curriculis eluvies immiſſa cælitus omnia populatur: ideo qui ſuccedunt, & literis & muſis orbati ſunt. Quo fit, ut quaſi juvenes iterum ſitis, & rudes præteritarum rerum omnium prorſus ignari. Hæc Ficinus ita convertit. *Ramus.*

85 *Homines enim*] Duplex annorum vertentium genus facit; unum populare, alterum ſolis cognitum philoſophis. Populariter annum vertentem eſſe annum ſolarem, ſive ex converſione ſolis: vere autem vertentem eſſe ex totius mundi ſive cæli converſione. *Marcilius.*

86 *Populariter*] Jculariter. *Lamb.*

87 *Vere vertens annus*] Plene ſive perfecte verſus. Cenſorinus *De die natal.* c. 18. hunc ait ab Ariſtotele *annum maximum* appellari potius quam magnum. Et annus ſolis dicitur quoque interdum *magnus*, ſed comparatione ad Lunarem. Virg.

Interea magnum ſol circumvolvitur annum. Marcilius.

88 *Ut olim*] Petit principium magni anni a morte Romuli, ſed peti poteſt a puncto quolibet. *Facc.*

te sol, eodemque tempore iterum defecerit, tum signis omnibus ad idem principium, stellisque revocatis, expletum annum habeto [89]. Hujus quidem anni nondum vicesimam partem scito esse conversam. Quocirca, si reditum in hunc locum [90], desperaveris [91], in quo omnia sunt magnis & præstantibus viris: quanti tandem est ista hominum gloria, quæ pertinere vix ad unius anni partem exiguam potest? Igitur alte spectare si voles, atque hanc sedem, & æternam domum contueri: neque te sermonibus vulgi dederis, nec in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum: suis te oportet illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus. Quid de te alii loquantur, ipsi videant: sed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille, & angustiis cingitur iis regionum, quas vides; nec unquam de ullo perennis fuit; & obruitur hominum interitu; & oblivione posteritatis extinguitur.

VIII. Quæ cum dixisset, Ego vero, inquam, o Africane, si quidem bene meritis de patria [92] quasi limes ad cæli aditum patet, quanquam a pueritia vestigiis ingressus patriis, & tuis, decori vestro non defui: nunc tamen, tanto præmio proposito, enitar multo vigilantius. Et ille, Tu vero enitere, & sic habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc. Nec enim tu is es, quem forma ista declarat: sed mens cujusque, is est quisque; non ea figura, quæ digito demonstrari potest. [93] Deum te igitur scito esse: si quidem Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit, & moderatur, & movet id corpus, cui præpositus est,

quam

89 *Hujus quidem anni nondum vicesimam partem*] Ab excessu Romuli ad consulatum M'. Manilii, quo tempore somniasse fingitur hæc Scipio, anni sunt fere DLVII. Hi sunpti vicies anni essent undecies mille CCCXL. qui anni magni numerus plenus non est. Ideoque nunc Tullius dixit necdum vicesimam partem esse anni hujusce magni conversam. *Marcil.* Partem exiguam & certam ponit pro incerta. Nihil enim de spatio tam longo definitum a philosophis est. *Facc.*

90 *Desperaveris*] Recentiores, *speraveris*, contra codices calamo depictos, editionesque priscas. *Gruterus*.

91 *In quo omnia sunt magnis & præstantibus viris:*] In quo loco & cælo, in qua re præclara & excellentia ingenia habent & reponunt omnes spes suas, eo solum spectant, ad eum solum finem adspirant. *Vinet.*

92 *Quasi limes*] *limen*. Lamb. Sicut dixit supra cultum justitiæ & pietatis esse viam in cælum. *Limites* dicunt Siculus Flaccus, Hygenus, Aggenus semitas & vias quasdam, quæ agros divisos dirimant. *Vinet.*

93 *Deum te scito esse*] Hominem Stoici definiebant *animal rationale mortale*, Deum *animal rationale immortale*. Qua igitur parte homo immortalis est, non differt a Deo, ex eorum opinione. *Facc.*

quam hunc mundum princeps ille Deus : & ut mundum ex quadam parte mortalem ipſe Deus æternus, ſic fragile corpus animus ſempiternus movet. Nam quod ſemper movetur [94], æternum eſt : quod autem motum affert alicui, quodque ipſum agitatur aliunde ; quando finem habet motus, vivendi finem habeat neceſſe eſt. Solum igitur, quod ſeſe movet, quia nunquam deſeritur a ſe, nunquam ne moveri quidem deſinit. Quin etiam cæteris, quæ moventur, hic fons, hoc principium eſt movendi. Principio autem nulla eſt origo. Nam ex principio oriuntur omnia : ipſum autem [95] nulla ex re alia naſci poteſt : nec enim id eſſet principium, quod gigneretur aliunde. Quod ſi nunquam oritur, ne occidit quidem unquam. Nam principium extinctum, nec ipſum ab alio renaſcetur, nec ex ſe aliud creabit : ſi quidem neceſſe eſt a principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo ſit, quod ipſum a ſe movetur : id autem nec naſci poteſt, nec mori : vel concidat omne cælum, omniſque natura [96], & conſiſtat neceſſe eſt, nec vim ullam nanciſcatur, qua ut primo, impulſa moveatur.

IX. Cum pateat igitur, æternum id eſſe quod a ſe ipſo moveatur, quis eſt, qui hanc naturam animis eſſe tributam neget? Inanimum eſt enim omne, quod pulſu agitatur externo : quod autem animal eſt, id motu cietur interiore, & ſuo. Nam hæc eſt natura propria animæ, atque vis. Quæ ſi eſt una ex omnibus, quæ ſeſe moveat : neque nata eſt certe, & æterna eſt. Hanc tu exerce in optimis rebus. Sunt autem optimæ curæ, de ſalute patriæ : quibus agitatus & exercitatus animus velocius in hanc ſedem & domum ſuam pervolabit : idque ocyus faciet, ſi jam tum, cum erit incluſus in corpore, eminebit foras, & ea, quæ extra erunt, contemplans, quam maxime ſe a corpore abſtrahet. Namque eorum animi,

 qui

94 *Quod ſemper movetur*] Ex Platonis Phedro. Vide Tuſcul. I. 23. Vide etiam Lactantium l. 7. cap. 8. qui rationem hanc expendit & ex principiis validioribus confirmat. *Facc.*

95 *Nulla ex re*] Olivet. & Al. poſt *nulla ex re* addunt *alia naſci poteſt*, Al. *Fieri poteſt* : ſcilicet de more, ut opem ferant Ciceroni ad intelligendum. *Facc.*

96 *Omniſque natura, & conſiſtat*] Peccat Antonius Muretus Var. Lect. l. VIII. c. 3. & Dionyſ. Lambinus, qui corrigunt, *Omniſque terra* &c. Stulte Cicero dixiſſet, fore ut *terra conſiſtat*, quæ ne moveri quidem poteſt. *Marcilius*. Lectio hæc Oliveti paulo magis reſpondet Platonis verbis in Phædro, unde totum hoc Cicero ſumpſit. *Facc.*

qui se corporis voluptatibus dediderunt, earumque se quasi ministros præbuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium, deorum & hominum jura violaverunt: corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur: [97]; nec hunc in locum, nisi multis exagitati seculis, revertuntur. Ille discessit: ego somno solutus sum.

DE JURE CIVILI [98].

CARIS.) Aliquo excellente ac nobili viro.

GEL. *lib.* VII. *c.* 22.) Nec vero scientia juris majoribus suis Q. Ælius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit.

DE AUGURIIS [99].

CARISIUS,) Oscen.
Idem.) Avi incerta.
Idem.) Oscinis.

DE PHILOSOPHIA, sive HORTENSIUS [1].

NON. *Occupare*.) & Paulum Marcelli [2] occupavisse.

NON.

97 *Volutantur*] Quid est illud. *circum terram volutantur?* unde sumptum? Platonicum, inquam, illud est. Socrates enim in Phædone improborum & impurorum hominum animas ait grave quiddam terrenumque ex corporis contagione & libidinosis affectibus contraxisse, ac earum post mortem circa sepulcra monumentaque umbras & visa conspici. Ergo (inquit) flagitiosorum animæ circa tumulos volutantur, nec in cælum, nisi multis exagitatæ seculis, revertuntur. De purgationibus animarum apud inferos Virgilius Æneid. VI. 745. *Ramus*.

98 Neque vero Cicero libros solum de legibus, sed etiam de jure civili in artem redigendo librum scripsit. Siquidem ejus meminit Gellius, & Carisius. Quin etiam Quintilianus auctor est, Ciceronem de jure civili componere cœpisse: quasi vero velit, opus ei imperfectum & rude excidisse. Habuisse etiam eum in animo hoc argumenti literis prodere, ipse in primo de Oratore testis est, cum rationem expouit, qua facile jus civile redigi ad artem possit. Sunt tamen qui existiment, libros *de jure civili* eosdem fuisse, atque *de legibus*; in quo vehementer errant. *Sigonius*.

99 Quid, quod libros etiam Augurales Ciceronem scripsisse testimonio ejusdem Carisii certum est? Neque vero solum Carisii, sed etiam Servii, qui in quintum Æneidos scribit in hæc verba: *Secundum Romanos dies incipit a media nocte, quod Cicero exequitur in Auguralibus*. Hi vero libri fortasse sunt, quos ille proconsul Ciliciæ ad App. Pulchrum adornavit, libris Appii ejusdem argumenti ad se missis commotus. De quibus ipse in epistolis. (Fam. III. 11.) *Idem*.

1 Hunc librum *Hortensium* inscripsit: nimirum, quod in ea disputatione primas partes.

NON. *Annuere*.) Quod cum uterque nostrum annuisset [3], omnesque ad id tempus, quod erat dictum, postero die venissemus.

FRONTO.) Lucullo quidem noster adventus & gratus & jucundus fuisse.

Idem.) Hic primum Catulus delectatur ipso loco.

NON. *Inanima*.) Nam cum omnis solertia [4] admiranda est, tum ea, quæ efficit, ut inanima quæ sunt, vivere & spirare videantur.

tes vituperandæ philosophiæ, & laudandæ eloquentiæ Q. Hortensio, viro consulari, atque oratori summo, concesserit. Hoc autem ipse demonstrat lib. II. de Divinatione, cap. I. & in I. de Finibus, cap. I. Lactantius etiam lib. III. cap. 6. idem confirmat, cum ait: *Ciceronis Hortensius, contra philosophiam disserens, circumvenitur arguta conclusione: qui cum diceret, philosophandum non esse, nihilo minus philosophari videbatur: quoniam philosophi est, quid in vita, faciendum, vel non faciendum sit, disputare*. Interfuisse porro huic sermoni Q. Catulum, L. Lucullum, & M. ipsum Ciceronem invenio, dum vestigia antiquitatis studiosius persequor. Catulum autem, & Ciceronem cum Hortensio contendisse opinor. Lucullus utram partem defenderit, pro certo affirmare non ausim. De Catulo certum est ex eo, quod scriptum est apud Lactantium lib. VI. c. 2. *Apud Ciceronem*, inquit, *Catulus in Hortensio philosophiam rebus omnibus præferens, malle se dicit vel unum parvum de officio libellum, quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio*. De Cicerone illud est indicio, quod est in Academicorum libro eo, qui *Lucullus* inscribitur: in quo Lucullus ad Ciceronem conversus ait, (cap. 19.) *Tunc cum tantis laudibus philosophiam extuleris, Hortensiumque nostrum dissentientem commoveris*. De Lucullo illud etiam ex Hortensii fragmentis ostendit. *Quare velim, mi Luculle* (sive, ut nos cum Patricio legimus, *dari mihi, Luculle*) *jubeas indicem tragicorum*. Hunc autem librum pulcherrimum omnium, & gravissimum fuisse, cum honestissimum rei ipsius argumentum, tum veterum, qui illum legerunt, testimonia multa confirmant. D. quidem Augustinus in tantam ejus admirationem adductus est, ut ejus potissimum lectione se ad veræ philosophiæ, id est Christianæ, contemplationem incensum esse sæpe profiteatur. *Sigonius*.

2 *Et Paulum Marcelli*] Ut cæteris libris, sic etiam huic verisimile est Ciceronem proœmium præfixisse. In quo, si, quid ego sentiam, aperiendum est, Hortensium ab eo laudatum esse opinor: quo modo etiam Catulum, & Lucullum in iis libris ornatos esse invenio, quos eorum nomine *Catulum*, & *Lucullum*, ut hunc Hortensii *Hortensium* appellavit, quod in iis primæ disputationis partes Catulo, & Lucullo essent tributæ. Quoniam autem inquit, *Paulum Marcelli occupavisse*, id est, ut exponit Nonius, *invenisse*: Paulum Marcelli consulis collegam interpretor. Quare quoniam Q. Hortensius, ut idem scribit in Bruto, L. Paulo & C. Marcello Coss. obiit, *Hortensium his consulibus* paulo ante, quam ex hac vita decederet, hæc disseruisse dicemus: quo modo Scipionem etiam, & Catonem, alterum de rep., alterum de senectute, paucis ante mortem diebusne, an mensibus, disputantes induxit. *Idem*.

3 *Quod cum uterque nostrum annuisset*] Hæc, & sequentia ex dialogi præparatione videntur esse, in quibus ut inter se illi convenerint, planum facit. *Idem*.

4 *Nam cum omnis solertia*] Duas quidem fuisse Hortensianæ disputationis partes invenio; unam, in qua eloquentiæ studium, in quo ipse excelluit, extulit; alteram, in qua philosophiam accusavit. Itaque hoc ab eo ad eloquentiæ laudem dictum puto: cujus vim tantam esse ait, ut efficiat, ut, quæ inanima sint, vivere & spirare videantur. Quibus verbis virtutes illas dicendi expressit, quas ἐνάργειαν & ἐνέργειαν Græci rhetores nominant. Quarum altera fit, ut non intelligere, sed prope videre rem videamur; altera vero actio etiam quædam rerum inanimatarum exprimitur. *Sigonius*.

NON. *Effero*.) * præter cæteras nostra extulit civitas.

NON. *Lentus*.) * [5] hunc Crassum, qui lentus (ut scitis) dicere solebat, ad imitationem quasi nostri generis contendisse.

NON. *Imbuere*, *sufficere*.) [6] Ut ii, qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam, sic literis talibusque doctrinis ante excoli animos, & ad sapientiam concipiendam imbui & præparari decet.

NON. *Subigere*, *segetes*.) [7] Ut enim segetes agricolæ subigunt aratris multo ante quam serant.

NON. *Grave*, *Acre*, *Mite*.) Quid enim aut Herodoto dulcius, aut Thucydide gravius, aut Philisto brevius, [8] aut Theopompo acrius, aut Theophrasto mitius inveniri potest?

NON. *Cognoscere*, *Grave*.) Unde autem facilius, quam ex annalium monumentis, aut res bellica, aut omnis reipublicæ disciplina cognoscitur? unde ad agendum, aut dicendum copia depromi major gravissimorum exemplorum, quasi incorruptorum testimoniorum, potest?

NON. *Exorsum*.) Perge, quæso: nec enim imperite exorsus es.

NON. *Contendere*.) [9] Magna etiam animi contentio adhibenda est in explicando Aristotele, si legeris.

NON.

5 *Hunc Crassum*,] Crassi exemplum, quem ait ad imitationem sui in dicendo contendisse, ad eundem de eloquentia sermonem pertinet. M. autem Crassum, Cn. Pompeii M. æmulum, intelligit, quem item in Bruto Q. Hortensii æqualem vocat. Quod autem hic ait, eum lente dicere solitum, convenit cum verbis ejus, quæ sunt in Bruto de ipso Crasso, *Animi magna, vocis parva contentio: omnia fere ut similiter, atque uno modo dicerentur*. Idem.

6 *Ut ii, qui purpuram volunt*] Hanc similitudinem nescio an Hortensius attulerit, an ex iis unus, qui Hortensio repugnabant. Ea vero docetur ante animos nostros elegantibus eloquentiæ studiis imbuendos, quam ad graviora ulla sapientiæ studia accedamus. *Idem*.

7 *Ut enim segetes*] Hæc similitudo eodem fortasse, quo superior, referenda est: ut segetes ante subiguntur aratris, quam semen eis committatur; sic animos hominum ante esse eloquentia, quam sapientia excolendos. Cujus similitudinis non oblitus dixit etiam in libris de Oratore: *Subacto mihi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed novato, & iterato*. Idem.

8 *Aut Theopompo acrius, aut Ephoro mitius &c.*] Sic legendum, non ut vulgo, *aut Theophrasto mitius &c.* Quid enim *Theopompo* cum *Theophrasto* commune? Hic loquitur de historicis. Theophrastus philosophus est. Præterea vetus codex hanc emendationem adjuvat, atque adeo comprobat, in quo legitur, *Euphoro*. Sic lib. II. de Orat. ad Q. Fratrem, Theopompum & Euphorum conjunctim commemorat, de historia loquens, & historicos Græcos enumerans. *Lambin.*

9 *Magna etiam animi contentio*] Hoc videtur Hortensii argumentum, homines a philosophiæ studio avocantis; quod nimiam animi contentionem philosophorum explicatio desideraret, quippe quos incredibilis quædam in dicendo obscuritas delectaret: se autem solere quærere, cum a negotiis publicis discessisset, non ea, quibus intenderet animum, sed quibus relaxaret. *Sigonius*.

NON. *Comest.*) Se ad extremum pollicetur prolaturum, quæ seipsa comest: quod efficit dialecticorum ratio.

NON. *Relaxo. Remitto.*) Quæro enim, non quibus intendam rebus animum, sed quibus relaxem & remittam.

LACT. *lib.* III. *cap.* 15.) Quando philosophi esse cœperunt? Thales, ut opinor, primus. Recens hæc quidem ætas.

D. AUG. *lib.* III. *contra Acad.*) Id enim est sapientis providere: ex quo sapientia est appellata, prudentia.

SERVIUS.) Epicurei plures volunt esse cælos.

NON. *Urgeo.*) Itaque tunc Democriti manus urgebatur: est enim non magna.

SERVIUS *in* I. & 2. *Æneid.*) Annum magnum esse voluerunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum: quod fit post XII. millia nongentos quinquaginta quatuor annos.

D. AUG. *lib.* XII. *cap.* 4. *Trin.*) Beati certe omnes esse volumus.

NON. *Differre.*) Quantum inter se homines studiis, moribus, & omni vitæ ratione differant.

NON. *Præfractum.*) Huic contrarius Aristo Chius, præfractus, ferreus, nihil bonum, nisi quod rectum & honestum est.

D. AUG. *de Trin. lib.* XIII. *cap.* 5.) Ecce autem non philosophi illi quidem, sed prompti tamen ad disputandum homines, omnes ajunt esse beatos, qui vivant, ut ipsi velint. Falsum id quidem. Velle enim quod non deceat, id ipsum miserrimum est: nec tam miserum est, non adipisci, quod velis, quam adipisci velle, quod non oporteat.

LACT. *lib.* I. *cap.* 7.) Si Deus unus est, [10] quis beatus esse in solitudine queat?

NON. *Præcipere.*) Præcipiunt hoc isti, & facit nemo.

LACT. *lib.* III. *cap.* 16.) Profecto omnis istorum disputatio, quanquam uberrimos fontes virtutis & scientiæ contineat, tamen, collata cum horum actis perfectisque rebus, vereor ne tantum videatur attulisse negotiis hominum quandam oblectationem otii.

NON. *Lautum.*) Quæ est igitur philosophia, Socrates? nec dubi-

10 *Quis beatus*] Sigonius legit: *quæ esse beata solitudo queat?*

dubito, quin, quæcumque sit, lautum victum & elegantem, magnifice, neque minus quam deceret, colere instituisset.

NON. *De doct. ind.*) Vidi in dolore podagræ vel omnium maximum Stoicorum Posidonium, nihilo ipsum, quam Nicomachum Tyrium, hospitem meum, fortiorem.

NON. *Sublatum*.) [11] Eloquentiam tueri, quam tu in cælum, Hortensi, credo, ut ipse cum ea simul ascenderes, sustulisses.

NON. *Eventus*.) Tu me & alias nonnunquam, & paulo ante adhortatus es, ut aliorum facta & eventa conquiram.

FRONTO.) [12] Qui cum hodie bellum cum mortuo gerant.

NON. *Sumo*.) Quare velim dari mihi, Luculle, jubeas indicem tragicorum, ut sumam, si qui forte mihi desunt.

NON. *Facesso*.) [13] Facessant igitur omnes, qui docere nihil possunt, quo melius sapientiusque vivamus.

D. AUG. *de Trin. lib.* IV. *cap.* 2.) Prudentiæ partes sunt, memoria, intelligentia, providentia.

D. AUG. *ibid.*) Si nobis, cum ex hac vita migraverimus, in beatorum insulis, immortale ævum, ut fabulæ ferunt, degere liceret, quid opus esset eloquentia, cum judicia nulla fierent? aut ipsis etiam virtutibus? nec enim fortitudinis indigeremus, nullo proposito aut labore, aut periculo: nec justitia, cum esset nihil, quod appeteretur alieni: nec temperantia, quæ regeret eas, quæ nullæ essent, libidines: ne prudentia quidem egeremus, nullo delectu proposito bonorum & malo-

11 *Eloquentiam tueri*] Hæc sunt vel Catuli respondentis, vel Ciceronis. Ex quibus apparet, superiore sermone eloquentiam ab Hortensio nimis anxie esse laudatam, quod artem suam commendaret. *Sigonius*.

12 *Qui cum hodie bellum cum mortuo gerant*] Hæc verba contra historiæ studium videntur prolata: quod sit periculosum historiam scribere cum etiam posteri cum historicis mortuis, si quid in majoribus suis vituperarent, bellum gerant. Quam sententiam, ne ipse somniasse videar, unde acceperim, ostendam. Docet hoc Trebellius Pollio in Salonino, cum ait: *Huc accedit, quod quædam etiam studiose prætermisi, ne ejus posteri multis rebus editis læderentur. Scis enim ipse, quales homines cum iis, qui aliqua de moribus eorum scripserint, quantum gerant bellum; nec ignota esse arbitror, quæ dixit M. Tullius in Hortensio, quem ad exemplum Protreptici scripsit.* Idem.

13 *Facessant igitur omnes*,] Nimirum in Hortensium hæc dicta sunt, qui vituperabat philosophiam vitæ magistram. In eandem sententiam est illud Catuli etiam, de quo supra ex Lactantio diximus: qui in Hortensio dixit, *malle se parvum unum de officia libellum, quam lancem pro seditioso homine Cornelio orationem*. Idem.

malorum. Una igitur essemus beati cognitione naturæ, & scientia, quæ sola etiam deorum est vita laudanda. Ex quo intelligi potest, cætera necessitatis esse: unum hoc, voluptatis.

NON. *Capere*.) * deinde boni mores, & modestiores, & ad capienda præcepta molliores.

NON. *Aptum*.) Altera est nexa cum superiore, & inde, apteque pendens.

NON. *Spectare*.) * Cæli signorum admirabilem ordinem, insatiabilemque pulchritudinem magis spectant.

D. AUG. *lib.* IV. *cap.* 15. *Civit.*) * Ut easdem tenebras efficiat, quas effecit in interitu Romuli: qui in obscuratione solis factus est.

NON. *Increpo*.) Tune pseudomenon, & soritem, & totam dialecticam aut illudis, aut increpas?

NON. *Pressum*.) Quis te aut est, aut fuit unquam in partiendis rebus, in definiendis, in explanandis pressior?

LACT. *lib.* VI. *cap.* 2.) Malo vel unum parvum de officio libellum, quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio.

NON. *Convenire*.) Nam quod vereris, ne non conveniat nostris ætatibus ista oratio, quæ spectat ad hortandum.

NON. *Cædere*.) Aut tibi id ipsum pervertendum fuit, quod tu ne attigisti quidem: aut ejus partes, quasi membra quædam, cædendæ.

NON. *Æra*.) [14] Quid tu? inquam; soles, cum rationem a dispensatore accipis, si æra singula probasti, summam, quæ ex his confecta sit, non probare?

NON. *Scripta*.) [15] Itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet.

NON. *Gratificari*.) Quare egredere, quæso; & gratificare reipublicæ.

IDEM, *Tollere*.) * nihil tamen esse, in quo se animus excellens tollat.

IDEM,

14 *Quid tu? inquam; soles,*] Acuta similitudine ostendit, si partes argumentationis approbavit, totam etiam approbare debere. *Sigonius*.

15 *Itaque tibi concedo*] De hoc loco lege quæ scripsit Petrus Victorius lib. V. c. 13. Var. Lect. *Patricius*.

IDEM, *Capere*.) Captum me fortasse, inquis, tu putas, & id quod nollem, confiteri coactum.

IDEM, *Subducere*.) [16] An cum videat me & meos comites, fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam, constantiam, gravitatem, fidem, ipsa se subducat?

PRISC. *lib.* VI.) * ut ait Ennius: [17] *Refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu*.

NON. *Præstare*.) Itaque nec in philosophia cuiquam cessit, & vitæ gravitate præstitit.

IDEM, *Contemptus*.) * magnitudo animi, patientia laborum, mortis denique contemptio.

IDEM, *Detrahere*.) * ut ea sibi ratio vera restituat, quæ consuetudo vitiosa detraxerit.

NON. *Despicere*.) Consolabitur eum magnitudo animi, & humanarum opinionum alta quædam despectio.

IDEM, *Deductum*.) Habet enim ipsa certam & definitam viam, sed ex ea multis vitiis & erroribus depravata deducitur.

IDEM, *Vindicare*.) * deinde imitator, ut sibi quidem videtur, naturæ mos vindicat.

IDEM, *Exultare*.) Imbecillus autem est pudoris magister timor, qui si quando paululum aberraverit, statim spe impunitatis exultat.

SERVIUS. *lib.* IX. *Æn.*) Sufficit ad gloriam benefacti conscientia.

NON. *Redundo*.) Tum intelligas, quam illud non sit necessarium, quod redundat.

IDEM, *Glisco*.) Ad juvenilem libidinem, copia voluptatum gliscit illa, ut ignis oleo.

IDEM, *Verecundantur*.) Hi nostri amici verecundantur, capti splendore virtutis.

D. AUG. *Vita beata*.) [18] Oratæ, homini ditissimo, amœnissimo, delicatissimo, neque ad voluptatem quidquam defuit, neque

16 *An cum videat*] Loquentem justitiam videtur inducere, quæ dicat, si ipsa cum cæteris virtutibus rotam tormentorum ascendat, ne beatam quidem ipsam vitam se debere subducere. Quod colligitur ex Tusculana v. 5. & 28. *Sigonius*.

17 Vide *de Finibus*, V. 11.

18 *Oratæ*] Vide *de Fin.* II. 22.

neque ad gratiam, neque ad bonam integramque valetudinem: Nam & prædiis quæstuosissimis, amicis jucundissimis, quantum libuit, & abundavit, & illis omnibus aptissime ad salutem corporis usus est: ejusque (ut breviter totum explicem) omne institutum voluntatemque omnem successio prospera consecuta est.

NON. *Balneæ*.) [19] Primus balneolas suspendit, inclusit pisces.

PRISC. *lib.* x.) * & amœnitate summa perfructus est.

NON. *Ostrea*.) * solertiamque eam, quæ posset vel in tegulis proseminare ostreas.

IDEM, *Summus*) Vixit ad summam senectutem valetudine optima.

IDEM, *Invitare*.) Voluptates autem nulla ad res necessarias invitamenta afferunt senibus.

D. AUG. *lib.* IV. *contra Pelagium*. NON. *Conficere*.) An vero voluptates corporis expetendæ, quæ vere & graviter a Platone dictæ sunt illecebræ atque escæ malorum? Quæ enim confectio est valetudinis, quæ deformatio coloris & corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non evocetur atque eliciatur voluptate? cujus motus ut quisque est maximus, ita est inimicissimus philosophiæ. Congruere enim cum cogitatione magna voluptas corporis non potest. Quis enim, cum utatur voluptate ea, qua nulla possit major esse, attendere animum, inire rationem, cogitare omnino quidquam potest? Quis autem tantus est gurges, qui dies & noctes sine ulla minimi temporis intermissione velit ita moveri suos sensus, ut moventur in summis voluptatibus. Quis autem bona mente præditus non mallet nullas omnino nobis a natura voluptates datas?

D. AUG. *contra Pelag. lib.* v. *cap.* 5.) * tunc obsequatur naturæ, cum sine magistro senserit, quid natura desideret.

NON. *Ubi genitivus pro ablativo*.) Et qui exspectat, pendet animi, quia semper, quid futurum sit, incertum est.

NON. *Noxia a noxa*.) Et cæteris quidem in rebus, in quibus

19 *Primus*] Orata, de quo supra.

bus peccata non maxima infunt, noxias tamen inferunt.

NON. *Equuleus*.) [20] Ut igitur domitores equorum non verbera folum adhibent ad domandum, fed cibum etiam fubtrahunt, ut fame debilitetur equuleorum nimis effrenata vis.

NON. *Lentum*.) [21] Qui cum publicas injurias lente tuliffet, fuam non tulit.

NON. *Continens*.) In continentibus quidem tertis veftrum nomen dilatari poteft.

NON. *Conficere*.) Ea facultas noftris majoribus erat, qui confectis fenatufconfultis.

NON. *Acre*) * quod alterius ingenium fic dulce, ut acetum Ægyptium; alterius fic acre, ut mel Hymettium dicimus.

NON. *Fides*.) Ponendæ funt fides, & tibiæ.

NON. *Severum*.) Aliud ex filvis feverum & trifte.

NON. *Tenue*.) Eundem enim non modo ex mediocri pecunia, fed etiam ex tenui percipere poffum.

NON. *Priores a Primores*.) Qui iidem nefcio quid, quod in primoribus habent, ut ajunt, labris.

NON. *Subducere*.) * non & fine ea cogitatione ineundis fubducendifque rationibus.

D. AUG. *lib.* IV. *contra Pelagium*.) Ex quibus humanæ vitæ erroribus & ærumnis fit, ut interdum [22] veteres illi five vates, five in facris initiifque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua fcelera fufcepta in vita fuperiore, pœnarum luendarum caufa natos effe dixerunt, aliquid vidiffe videantur; verumque fit illud, quod eft apud Ariftotelem, fimili nos affectos effe fupplicio, atque eos, qui quondam, cum in prædonum Etrufcorum manus incidiffent, crudelitate excogitata necabantur: quorum corpora viva cum mortuis, adverfa adverfis accommodata, quam aptiffime colliga-

20 *Ut igitur domitores*] Præclara comparatio, qua ufus eft fortaffe, dum de domandis corporis cupiditatibus ageret. *Sigon.*

21 *Qui cum publicas*] Hoc de Ariftogitone dictum acutiffime oftendit P. Victorius in Var. Lect. *Idem*.

22 *Veteres illi five vates*] Vatem Orpheum intelligit, qui corpus animæ fepulcrum effe dixit, ut quafi carcere inclufus fupplicio quodam afficeretur. Id quod fcriptum eft apud Platonem in Cratylo, unde hæc Cicero fumpfit. *Idem*.

ligabantur : ita nostros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis esse conjunctos.

NON. *Appendix.*) Vidit enim, quod videndum fuit, appendicem animi esse corpus, nihilque in eo esse magnum.

D. AUG. *lib.* XIV *cap. ult. Trin.*) Quæ nobis dies noctesque considerantibus, acuentibusque intelligentiam, quæ est mentis acies, caventibusque, ne quando illa hebescat; magna spes est, aut si hoc [23] quod sentimus & sapimus, mortale & caducum est, jucundum nobis, perfunctis muneribus humanis, occasum, neque molestam extinctionem, & quasi quietem vitæ fore: aut si, ut antiquis philosophis, hisque maximis, longeque clarissimis placuit, æternos animos, ac divinos habemus: sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in cursu, id est, in ratione & investigandi cupiditate, & quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum vitiis atque erroribus, hoc illis faciliorem adscensum & reditum in cælum fore. Quapropter, ut aliquando terminetur oratio, si aut extingui tranquille volumus, cum in his artibus vixerimus, aut si ex hac in aliam haud paulo meliorem domum sine mora demigrare, in his studiis nobis omnis opera & cura ponenda est.

[24] M. CATO, SEU, LAUS M. CATONIS.

GELL. *lib.* XIII. *cap.* 18.) Pronepos M. Catonis censorii.

MACR. *lib.* IV. *cap.* 2.) Contingebat in eo, quod plerisque contra solet, ut majora omnia re, quam fama viderentur: id quod non sæpe evenit, ut exspectatio a cognitione, aures ab oculis vincerentur.

23 *Quod sentimus & sapimus*,] Haud scio an commodius legatur, *quo sentimus*; alioqui in Consolatione ait: *Quod sentit, quod sapit*. Illud item, *In ratione & investigandi cupiditate*, vereor, ne legi debeat, *& veri investigandi*. Denique illud, *Cum his artibus vixerimus*: *cum in his artibus vixerimus*. Patricius.

24 Catones duos Ciceronem scripsisse omnes sciunt: unum, in quo M. Catonem, censorium illum, de senectute disputantem cum Scipione induxit: alterum, in quo Catonem, virum prætorium, Cæsaris inimicum, qui se, ne victori Cæsari traderetur, Uticæ interfecit, laudavit. Priorem illum integrum habemus, hunc vero integrum amisimus: de quo sic ipse Cicero in Oratore locutus est: *Hoc sum aggressus statim Catone absoluto: quem ipse*

DE GLORIA, LIB. I.

CARIS.) [25] In Tusculanum mihi nuntiabantur gladiatorii sibili.

FESTUS *lib.* XIII.) Oppidorum appellationem usurpatione appellatam esse existimo, quod opem darent.

DE GLORIA, LIB. II.

GELL. *lib.* XV. *cap.* 6.) [26] Apud eundem poetam Ajax cum Hectore congrediens depugnandi causa agit, ut sepeliatur, si sit forte victus, declaratque se velle, ut suum tumulum multis etiam post seculis prætereuntes, sic loquantur:

Hic

ipse nunquam attigissem, tempora timens inimica virtuti, nisi tibi hortanti, & illius memoriam mihi caram excitanti, non parere nefas esse duxissem. Et lib. XIII. ad Atticum: *Legi Cæsaris epistolam: multa de meo Catone: quem sæpissime legendo se dicit copiosiorem factum: Bruti Catone lecto, se sibi visum disertum.* Et lib. II. de Divin. cap. 1. *Quoniam philosophia vir bonus efficitur, & fortis, Cato noster in horum librorum numero ponendus est.* Huic autem laudationi, quoniam Cæsaris animum offendebat, Cæsar ipse respondit libro, quem *Anticatonem* nominavit; cujus meminit quoque Cicero lib. XII. epist. ad Attic. hoc modo: *Qualis futura sit Cæsaris vituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit, in quo colligit vitia Catonis, sed cum maximis laudibus meis.* Item: *Hirtii epistolam si legeris, quæ mihi quasi πρόπλασμα videtur ejus vituperationis, quam Cæsar scripsit de Catone, facies me, quid tibi visum sit, certiorem.* Vide item ad Atticum, XII. 2. & Topic. 25. *Sigonius.*

25 *In Tusculanum mihi nuntiabantur gladiatorii sibili.*] Hoc ex libri proœmio sumptum opinor, ex ea parte, qua occasionem aperuit, cur se ad scribendum de Gloria contulerit. Quos autem *gladiatorios sibilos* ait, eos intelligit, qui gladiatorum consessu excitarentur. Etenim, ut scripsit in Sextiana: *Tribus locis significari maxime populi R. judicium ac voluntas potest, concione, comitiis, ludorum gladiatorumque consessu.* Unde post etiam addit: *Theatrales gladiatoriique consessus dicuntur omnino solere levitatem nonnullorum, emptos plausus, & exiles, & raros excitare. Attamen facile est, cum id fit, quemadmodum, & a quibus fiat, & quid integra multitudo faciat, videre.* Ex his ergo intelligi potest, gladiatorias populi significationes valere ad gloriam. Apponam etiam verba Festi quædam, ubi de oppidis agit: *Oppidorum*, inquit, *originem optime refert Cicero libro primo de Gloria, eamque usurpatam appellationem esse existimat, quod opem darent, adjiciens, ut imitetur ineptias Stoicorum.* Idem.

26 *Apud eundem poetam*] De his sic Gellius: „ In libro M. Tullii, qui est secundus „ de Gloria, manifestus error est, non ma- „ gnæ rei, quem errorem esse possit cogno- „ scere non aliquis eruditorum, sed, qui „ tantum legerit Ὁμήρου τὸ ζ. Quamobrem „ non tam id mirabamur, errasse in eam „ rem M. Tullium, quam non esse animad- „ versum hoc postea, correctumque, vel ab „ ipso, vel a Tyrone liberto ejus, diligen- „ tissimo homine, & librorum patroni sui „ studiosissimo. Ita enim scriptum in eo li- „ bro est: *Apud eundem poetam* &c. Hujus autem sententiæ versus, quos Cicero in linguam Latinam vertit, non Ajax apud Homerum dicit, sed Hector dicit, & Hector de sepultura agit, prius quam sciat, an secum depugnandi causa congressurus sit Ajax. *Sigonius.*

Hic ſitus eſt vitæ jampridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo perculſus concidit enſe.
Fabitur hoc aliquis, mea ſemper gloria vivet.

CARIS.) Quo ſtante & incolume.

PHILARG.) [27] Statuerunt gloria leæna.

[28] DE CONSOLATIONE LIBER.

PLIN. *præfatione*.) Crantorem ſequor.

LACT. *lib.* III. *cap.* 18.) Idcirco nati ſumus, ut ſcelerum pœnas lueremus.

LACT. *lib.* II. *cap.* 19.) [29] Non naſci, longe optimum, nec in hos ſcopulos incidere vitæ: proximum autem, ſi natus ſis, quamprimum mori, & tanquam ex incendio effugere fortunæ.

LACT. *lib.* III. *cap.* 14.) Sed neſcio qui nos teneat error, aut mirabilis ignoratio veri.

CIC. *Tuſcul.* I. LACT. *de Ira cap.* 10. *& Inſtit. lib.* I. *cap.* 5.) Animorum nulla in terris origo inveniri poteſt. Nihil enim eſt in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum eſſe videatur; nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura provideat, & complecti poſſit

27 Citat Philargyrus in Virgilii Eclog. II. 63. Janus Rutgerſius, *Var. Lect.* v. 3. emendabat: *Statuerunt gloriæ leæna*. Tanaquillus Faber, *Statuerunt æream leænam*. Vide Plinium, lib. VII. cap. 33. & lib. XXXIV. cap. 8. n. 12. *Olivetus*.

28 Cum Cicero jucundiſſimam filiam amiſiſſet, incredibile auditu eſt, quanto propterea dolore exarſerit. Ut autem ſapiens, cum alia remedia multa ad mitigandam animi acerbitatem ſui quæſivit, tum vero librum etiam ſcripſit, in quo, ut philoſophus, ſemetipſum, quantum potuit, conſolatus eſt. Quem librum *Conſolationem*, vel *de luctu minuendo*, inſcripſit. Hujus autem libri, quantum ego aſſequi judicio, & conjectura poſſum, tale fuit argumentum, atque adeo etiam artificium. Primum miſerias hominum mihi videtur deploraſſe, qui quaſi luendorum ſcelerum cauſa in hanc vitam prodierint. Sed tamen leviſſime omnia eſſe ferenda adjeciſſe, cum his nos calamitatibus uno mortis ſubſidio facile perfungamur. Deinde caſum ſuum acerbiſſimum multorum clariſſimorum virorum, quos collegerit, exemplo mitigaſſe. Tum vero, de æternitate animorum, & de filia inter Deos ad immortalitatem conſecranda, quo modo multi homines ſunt conſecrati, diſputaſſe. Crantorem autem philoſophum in primis eſt ſecutus. Quas res ſigillatim, fragmentis ipſis explicandis, non erit fortaſſe inutile demonſtrare. *Sigonius*.

29 *Non naſci*] Affertur de Sileno fabella, quam vide Tuſc. I. 48.

possit præsentia: quæ sola divina sunt. Nec invenietur unquam, unde ad hominem venire possint, nisi a Deo. Singularis est igitur quædam natura atque vis animi, sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita quidquid est illud, quod sapit, quod vult, quod viget, cæleste & divinum est: ob eamque rem æternum sit necesse est. Nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens, ipsaque prædita motu sempiterno.

LACT. *lib.* I. *cap.* 15.) Cum vero & mares, & fœminas complures ex hominibus in deorum numero esse videamus, & eorum in urbibus atque agris augustissima templa veneremur: assentiamur eorum sapientiæ, quorum ingeniis & inventis omnem vitam, legibus & institutis excultam, constitutamque habemus. Quod si ullum unquam animal consecrandum fuit, illud profecto fuit. Si Cadmi, aut Amphionis progenies, aut Tyndari, in cælum tollenda fama fuit, huic idem honos certe dicandus est. Quod quidem faciam, teque omnium optimam doctissimamque, approbantibus diis immortalibus ipsis, in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium consecrabo.

LACT. *lib.* III. *cap.* 19.) Nec enim omnibus iidem illi sapientes arbitrati sunt eundem cursum in cælum patere. Nam vitiis & sceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cœno jacere docuerunt: castos autem, puros, integros, incorruptos, bonis etiam studiis atque artibus expolitos, levi quodam ac facili lapsu ad deos, id est, ad naturam sui similem pervolare.

LACT. *lib.* III. *cap.* 28.) [30] Cedo, en manum tollo.

30 *Cedo, en manum tollo.*] Lactantius ibidem: *M. Tullius in sua Consolatione pugnasse se semper contra fortunam loquitur, eamque a se esse superatam, nec tum quidem se ab ea fractum, cum domo pulsus patria caruit: tum autem, cum amiserit carissimam filiam, victum se a fortuna turpiter confitetur.* Cedo, *inquit*, en manum tollo.

DE

[31] DE SUIS CONSILIIS.

BOET. *lib.* I. *Mus.*) Sed ut aliqua similitudine adductus, maximis minima conferam, ut cum vinolenti adolescentes, tibiarum etiam cantu, ut fit, instincti, mulieris pudicæ fores frangerent, admonuisse tibicinam, ut spondeum caneret, Pythagoras dicitur. Quod cum illa fecisset, tarditate modorum, & gravitate cantus, illorum furentem petulantiam resedisse.

[32] DE VIRTUTIBUS.

CARIS. *lib.* II.) Illud neutiquam probares.

[33] CHOROGRAPHIA.

PRISC. *lib.* VI.) Ibi quercorum rami ad terram jacent, ut sues, quasi capræ ex ramis, glande pascantur.

[34] ACADEMICORUM LIB. I.

NON. *Digladiari*.) Quid autem stomachetur Mnesarchus, quid Antipater digladietur cum Carneade tot voluminibus?

ACA-

31 *De suis consiliis.*] Citatur a Boetio liber Ciceronis de Consiliis suis, cum iis verbis, quæ inter fragmenta retuli. Quem librum eundem esse sine dubio arbitror, atque eum, quem Asconius in Commentario orationis in Toga candida vocat, *Expositionem suorum consiliorum*; nec fortasse alius est, quam is, quem Dio appellat ἀπόῤῥητον βιβλίον, in quo rationem rerum a se in rep. actarum reddebat. *Sigonius*.

32 In hoc libro, mea quidem sententia, Cicero, quæ copiose in libro de Officiis tradiderat, breviter comprehensa literis consignavit: plane ad Aristotelis imitationem, qui post libros τῶν ἠθικῶν ad Nicomachum, etiam περὶ ἀρετῶν opusculum scripsisse dicitur. *Patricius*.

33 Hunc librum, idem ex quo fragmentum desumptum est, citat Priscianus: & quidem sic citat, uti Ciceronis. Ego tamen vereor, ne Varronem pro Cicerone citare debuerit: si modo is error non librarii culpa in libros irrepserit. Est enim plane Chorographia Varronis liber. *Idem*.

34 Postea quam in Hortensio Philosophiam verissimis, atque amplissimis ornavit laudibus, statuit, cum multa philosophandi tum genera colerentur, Platonicorum, Peripateticorum, Stoicorum, Academicorum, Epicureorum, quod ipse maxime omnium probaret, ostendere. Ea vero fuit Academiæ novæ ratio. Hoc autem fecit scriptis primum libris duobus Academicis, quorum unum *Catulum*, *Lucullum* alterum appellavit. Post

mu-

ACADEMICORUM LIB. II.

NON. *Adhamare*.) Qui enim serius honores [35] adhamaverunt, vix admittuntur ad eos, nec satis commendati multitudini possunt esse.

NON. *Exponere*.) Frangere avaritiam, scelera ponere, vitam suam exponere ad imitandum juventuti.

NON. *Hebes*.) Quid? lunæ quæ lineamenta sint, potesne dicere? cur ejus nascentis alias hebetiora, alias acutiora videantur cornua?

NON. *Purpurascit*.) [36] Quid? mare nonne cæruleum? at ejus unda, cum est pulsa remis, purpurascit: & quidem aqua tinctum quodam modo & infectum.

NON. *Æquor*.) Quid tam planum videtur, quam mare? ex quo etiam *æquor* illud poetæ vocant.

NON. *Alabaster*.) Quibus etiam alabaster plenus unguenti putere videatur.

NON. *Siccum*.) Alius adultis, alius senibus: alius ægris, alius sanis: alius siccis, alius vinolentis.

NON. *Urinari*.) Si quando enim nos demersimus, ut qui urinantur, aut nihil superum, aut obscure admodum cernimus.

NON. *Perpendiculum*.) Atqui, si id crederemus, non egeremus perpendiculis, non armis, non regulis.

NON. *Gallina*.) [37] Cum ovum inspexerant, quæ gallina peperisset, dicere solebant.

DIOMED.) Opera affixa.

mutato consilio, ac ea re, ac quæstione copiosius, atque accuratius tractata, libris Academicis alteris quatuor, quos ad Varronem misit. Ex priore scriptione *Lucullum* habemus, ex posteriore duntaxat primi libri particulam. Reliqua vis vetustatis consumpsit. *Sigonius*. Fragmenta hæc, ex Academicis ad eos libros pertinent, qui erant posterioris editionis. Nonius, dum quartum esse putat ejus editionis, qui est prioris secundus, fecit, ut quarti libri fragmentum certum demonstrare nullum possimus. *Patricius*.

35 *Adhamaverunt*,] Ita legi jubent Scaliger in Catalectis, itemque Rutgersius, Var. Lect. III. 3. Sed, *adamaverunt*; legi volunt Lambinus, & Davisius.

36 *Quid? mare nonne cæruleum*?] Eadem fere in *Lucullo*, cap. 33.

37 *Cum ovum inspexerant*,] Hæc verba leguntur etiam in *Lucullo*, cap. 18. Credo, quod Cicero: cum priorem lucubrationem improbaret, magnam partem ejus in posteriorem iisdem etiam verbis, ut hoc ipsum, transtulerit. *Sigonius*.

ACADEMICORUM LIB. III.

NON. *Ingenerari*.) In tanta animalium varietate, homini ut soli cupiditas ingeneraretur cognitionis & scientiæ.

NON. *Vindico*.) Aliqua potestas si sit, vindicet se in libertatem.

NON. *Digladiari*.) Digladiari autem semper, depugnare cum facinorosis & audacibus, quis non cum miserrimum, tum etiam stultissimum dixerit?

NON. *Exulto*.) [38] Et ut nos nunc sedemus ad Lucrinum, pisciculosque exultantes videmus.

LACT. *lib.* VI. *cap.* 24.) Quod si liceret, ut iis, qui in itinere deerravissent, sic vitam deviam secutis, corrigere errorem pœnitendo, facilior esset emendatio temeritatis.

EX LIBRO INCERTO ACADEMICORUM.

LACT. *lib.* III. *cap.* 15.) Mihi autem non modo ad sapientiam cæci videmur, sed ad ea ipsa, quæ aliqua ex parte cerni videantur, hebetes & obtusi.

MARCIAN. *lib.* V. FORTUN. *lib.* III.) Latent ista omnia, Varro, magnis obscurata & circumfusa tenebris.

D. AUG. *lib.* III. *contra Acad.*) Academico sapienti ab omnibus cæterarum sectarum, qui sibi sapientes viderentur, secundæ partes dantur, cum primas sibi quemque vindicare necesse sit: ex quo potest probabiliter confici, cum [39] recte primum esse judicio suo, qui omnium cæterorum judicio sit secundus. Fac enim, verbi causa, Stoicum adesse sapientem: nam contra eos potissimum Academicorum exarsit ingenium.

38 *Et ut nos nunc sedemus.*] Olet hæc sententia disputationem, quæ haberi solet de infinitate mundorum, quæ tractatur etiam in Lucullo: *Cur in reliquis mundis, & his quidem innumerabilibus innumerabiles Q. Lutatii Catuli non modo possint esse, sed etiam sint, in hoc tanto mundo Catulus alter non possit effici!* Sigonius.

39 *Recte primum esse judicio suo, qui cæterorum omnium sit secundus.*] Sic Amazonum quoque statuam probatissimam electam fuisse in templo Dianæ Ephesiæ, scribit Plinius, ipsorum artificum, qui præsentes erant, judicio, quam apparuit eam fuisse, quam omnes secundum a sua quisque judicassent. Plin. l. XXXIV. cap. 8. *Potr.*

Ergo Zeno, vel Chrysippus si interrogentur, quis sit sapiens, respondebit, eum esse, quem ipse descripserit. Contra Epicurus, vel quis alius adversariorum negabit, suumque potius peritissimum voluptatum aucupem, sapientem esse contendet. Inde ad jurgium. Clamat Zeno, & tota illa porticus tumultuatur, hominem natum ad nihil aliud quam honestatem: ipsam suo splendore in se animos ducere, nullo prorsus commodo extrinsecus posito, & quasi lenocinante mercede: voluptatemque illam Epicuri solis inter se pecoribus esse communem, in quorum societatem & hominem, & sapientem trudere nefas esse. Contra ille, convocata de hortulis in auxilium quasi libera turba temulentorum, quærentium tantum, quem incomptis unguibus bacchantes asperoque ore discerpant, voluptatis nomen, suavitatem, quietem teste populo exaggerans, instat acriter, ut sine ea beatus nemo esse posse videatur. In quorum rixam si Academicus incurrerit, utrosque audiet trahentes se ad suas partes. Sed si in illos, aut in istos concesserit, ab eis, quos deserit, insanus, imperitus, temerariusque clamabitur. Itaque cum & huc & illuc aurem diligenter admoverit, interrogatus quid ei videatur, dubitare se dicet. Roga nunc Stoicum, quis sit melior, Epicurusne, qui delirare illum clamat: an Academicus, qui sibi adhuc de re tanta deliberandum esse pronuntiat. Nemo dubitat Academicum prælatum iri. Rursus te ad illum converte, & quære, quem magis amet, Zenonem, a quo bestia nominatur, an Arcesilam, a quo audit, Tu fortasse verum dicis, sed requiram diligentius: nonne apertum est totam illam porticum insanam, Academicos autem præ illis modestos cautosque homines visum iri Epicuro?

D. AUG. *lib.* II. *contra Acad.*) Talia mihi videntur omnia, quæ probabilia, vel verisimilia putavi nominanda: quæ tu si alio nomine vis vocare, nihil repugno: satis enim mihi est, te jam bene accepisse, quid dicam: id est, quibus rebus hæc nomina imponam. Non enim vocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem decet esse sapientem.

D. AUG. *lib.* III. *contra Acad.*) Mos fuit Academicis occul-

cultandi ſententiam ſuam, nec eam cuiquam, niſi qui ſecum ad ſenectutem uſque vixiſſent, aperiendi.

EX LIB. DE NATURA DEORUM III.

LACT. *lib.* II. *cap.* 9.) Primum igitur non eſt probabile, eam materiam rerum, unde orta ſunt omnia, eſſe divina providentia effectam, ſed habere & habuiſſe vim, & naturam ſuam. Ut igitur faber, cum quid ædificaturus eſt, non ipſe facit materiam, ſed ea utitur, quæ ſit parata: fictorque item e cera: ſic iſti providentiæ divinæ materiam præſto eſſe oportuit: non quam ipſa faceret, ſed quam haberet paratam. Quod ſi non eſt a Deo materia facta, ne terra quidem, & aqua, & aer, & ignis a Deo factus eſt.

LACT. *lib.* II. *cap.* 3.) [40] Non ſunt iſta vulgo diſputanda, ne ſuſceptas publice religiones diſputatio talis extinguat.

EX LIB. I. DE DIVINATIONE.

DIOMED. *lib.* I.) [41] Præterea ſimiliter cohortatione circum conciliabula antecellunt.

EX LIB. I. DE LEGIBUS.

LACT. *lib.* V. *cap.* 8.) Sicut una eademque natura mundus omnibus partibus inter ſe congruentibus cohæret ac nititur; ſic omnes homines inter ſe natura confuſi, pravitate diſſentiunt, nec ſe intelligunt eſſe conſanguineos, & ſubjectos omnes ſub unam eandemque tutelam: quod ſi teneretur, deorum profecto vitam omnes viverent.

40 *Non ſunt iſta*] Quamvis Lactantius librum non memoret ex quo hæc ſint hauſta; tertio tamen libro de N. D. adſcribere nullus equidem dubitavi; nam, ut ait ille lib. I. Div. Inſt. cap. 17. *totus liber tertius de Natura Deorum omnes funditus religiones evertit ac delet*. Daviſius.

41 *Preterea ſimiliter*.] Libros de Divinatione duos habemus, ſed primum in extremo imperfectum. Eſſe autem *conciliabulum*, quo hic utitur Cicero, ex Latinis vocabulis, demonſtrat Feſtus lib. III. qui etiam illud interpretatur pro loco, ubi in concilium convenitur. *Patricius*.

EX LIB. II. DE LEGIBUS.

LACT. *lib.* I. *cap.* 20.) [42] Magnum audaxque consilium Græcia suscepit, quod Cupidinum & Amorum simulacra in gymnasiis consecravit.

EX LIB. V. DE LEGIBUS.

MACR. *lib.* VI.) Visne igitur, quoniam sol paululum a meridie jam devexus videtur, neque dum satis ab his novellis arboribus omnis hic locus opacatur, descendamus ad Lirim, eaque, quæ restant, in illis alnorum umbraculis persequamur?

EX LIB. INCERTO DE LEGIBUS.

LACT. *lib.* III. *cap.* 19.) Gratulemurque nobis, quoniam mors aut meliorem, quam qui est in vita, aut certe non deteriorem est allatura statum. Nam sine corpore, animo vigente, divina est vita: sensu carenti nihil profecto est mali.

AUGUST. *lib.* XXI. *Civit.*) Octo pœnarum genera in legibus continentur, damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exilium, mors, servitus.

EX LIB. DE FATO.


GEL. *lib.* V. *cap.* 3.) Chrysippus æstuans, laboransque quonam pacto explicet, & fato omnia fieri, & esse aliquid in nobis, intricatur hoc modo.

MACR. *lib.* III.) Nam cum esset apud se ad Lavernium Scipio, unaque Pontius: allatus est forte Scipioni [43] acipenser,

42 *Magnum audaxque*] Assentior opinanti Sigonio, ex secundo de Legibus hæc verba excidisse. Etenim cum aperte significet Lactantius huic isti sententiæ etiam verba illa adjecta fuisse, quæ extant manifeste II. de Legibus: *Virtutes oportere, non vitia consecrari*: profecto perspicuum est, quid de his quoque, quæ antegressa fuerunt, sit nobis judicandum. *Idem*.

43 *Acipenser*,] Plin. IX. 17.

ſer, qui admodum raro capitur, ſed eſt piſcis, ut ferunt, in primis nobilis. Cum autem Scipio unum & alterum ex iis, qui eum ſalutatum venerant, invitaſſet, pluresque etiam invitaturus videretur: in aurem Pontius, *Scipio*, inquit, *vide quid agas: acipenſer iſte paucorum hominum eſt*.



[1] TIMÆUS,

SEU

[2] DE UNIVERSITATE.

I. MULTA sunt a nobis & in Academicis conscripta contra physicos, & sæpe cum P. Nigidio, Carneadeo more & modo disputata. Fuit enim vir ille cum cæteris artibus, quæ quidem dignæ libero essent, ornatus omnibus; tum acer investigator, & diligens earum rerum, quæ a natura involutæ videntur. Denique sic judico, post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina extincta est quodam modo, cum aliquot secula in Italia Siciliaque viguissent; hunc exstitisse, qui illam renovaret. Qui cum me in Ciliciam proficiscentem, Ephesi exspectavisset, Romam ex legatione ipse decedens: venissetque eodem Mytilenis mei salutandi & visendi causa Cratippus, Peripateticorum omnium, quos quidem ego audiverim, meo judicio facile princeps: perlibenter & Nigidium vidi, & Cratippum cognovi. Ac primum quidem tempus salutationibus, reliquum percontatione consumpsimus. * * *

Quid

1 Qui liber Ciceronis vulgo *de Universitate* inscriptus est, is *Timæus* appellari debet. Est enim de Timæo Platonis conversus. Itaque grammatici veteres cum ejus libri meminerunt, ubique Ciceronem Timæo citarunt. Videtur autem ab hujus memoriæ hominibus *De Universitate* inscriptus, quod in extremo eo, quod habemus, fragmento hæc verba legerint: *Nam hæc, quæ est habita de* universitate *oratio, a nobis haud umquam esset inventa*. Universitatem autem Cicero vertit ex Platone τὸ πᾶν. D. quidem Hieronymus, ut de Œconomici, & Protagoræ, sic de Timæi Ciceroniana translatione judicavit, cum in Amos cap. v. ita scripsit: *Obscurissimus Platonis Timæus ne Ciceronis quidem aureo ore fit planior*. Scriptum autem esse hunc librum post Academicos, declarat ipse Cicero, cum in proœmio hujus libri scribit: *Multa sunt a nobis in Academicis conscripta contra physicos*. Ciceronem Timæo commemorant Boetius in Topica, Nonius, Priscianus, D. Augustinus, sed ea fere proferunt loca, quæ habemus. Illud unum adducitur a Nonio, quo caremus. *Ratione igitur & mente divina ad originem temporis curriculum inventum est Solis, & Lunæ*. Quibus verbis hæc respondent apud Platonem: ἐξ οὖν λόγου καὶ διανοίας θεοῦ τοιαύτης πρὸς χρόνου γένεσιν ἥλιος, καὶ σελήνη, καὶ πέντε ἄλλα ἄστρα ἐπίκλην ἔχοντα πλάνητες εἰς διορισμὸν &c. *Sigonius*.

II. Quid eſt, quod ſemper ſit, neque ullum habet ortum? & quod gignatur, nec unquam ſit? Quorum alterum intelligentia & ratione comprehenditur; quod unum ſemper, atque idem eſt: alterum, quod affert opinionem per ſenſus, rationis [3] expers; quod totum opinabile eſt, id gignitur & interit, nec unquam eſſe vere poteſt. Omne autem quod gignitur, ex aliqua cauſa gigni neceſſe eſt. Nullius enim rei, cauſa remota, reperiri origo poteſt. Quocirca ſi is, qui aliquod munus efficere molitur, eam ſpeciem, quæ ſemper eſt eadem, intuebitur, atque eam ſibi proponet exemplar, præclarum opus efficiat neceſſe eſt. Sin autem illam, quæ gignitur: nunquam illam, quam expetet, pulchritudinem conſequetur. Omne igitur cœlum, ſive mundus, ſive quovis alio vocabulo gaudet, hoc a nobis nuncupatus ſit. De quo id primum conſideremus, quod principio eſt in omni quæſtione conſiderandum, ſemperne fuerit, nullo generatus ortu, an ortus ſit ab aliquo temporis principatu. Ortus eſt, quandoquidem cernitur, & tangitur, & eſt undique corporatus. Omnia autem talia ſenſum movent: ſenſuſque moventia quæ ſunt, eadem in opinatione [4] conſidunt, quæ ortum habere gignique diximus: nihil autem gigni poſſe ſine cauſis. Atque illum quidem quaſi parentem hujus univerſitatis invenire, difficile: & cum jam inveneris, indicare in vulgus, nefas. Rurſus igitur videndum, ille ſabricator tanti operis utrum ſit imitatus exemplar, idne, quod ſemper unum & idem, & ſui ſimile: an id, quod generatum ortumque dicimus. Atqui ſi pulcher eſt hic mundus, ſi probus ejus artifex: profecto ſpeciem æternitatis imitari maluit: ſin ſecus, quod ne dictu quidem fas eſt; generatum exemplum eſt pro æterno ſecutus. Non igitur dubium, quin æternitatem maluerit [5] exequi, quandoquidem neque mundo quidquam pulchrius, neque ejus, ædificatore præſtantius [6]. Si ergo generatus, ad id eſt effectus, quod ratione ſapientiaque comprehenditur, atque immutabi-

3 *Expers*;] Lamb. *expertes*. Boetius in Topica, Comment. III. ſic legit: *Alterum offert opinioni ſenſus rationis expers*. Vide Pauli Leopardi Emend. lib. VIII. cap. 20.

4 *Conſidunt*,] Lamb. *conſiſtunt*.

5 *Exequi*,] Lamb. *ſequi*,

6 *Si ergo*] Lamb. *Sic ergo*. Recte. Vide P. Leopardum loco laudato.

tabili æternitate continetur. Ex quo efficitur, ut sit necesse, hunc, quem cernimus, mundum, simulacrum æternum esse alicujus æterni. Difficillimum autem est in omni conquisitione rationis, exordium. De iis igitur, quæ diximus, hæc sit prima distinctio.

III. In omni oratione cum iis rebus, de quibus [7] explicandum, videtur esse cognitio. Itaque cum de re stabili & immutabili disputatur: oratio talis sit, qualis sit illa, quæ neque redargui, neque convinci potest. Cum autem ingressa est imitata & efficta simulacra: bene agi putat, si similitudinem veri consequatur. Quantum enim ad id, quod ortum est, æternitas valet: tantum ad fidem veritas. Quocirca si forte de deorum natura ortuque mundi differentes, minus id, quod [8] avemus, animo consequimur, ut tota dilucide & plane exornata oratio sibi constet, & ex omni parte secum ipsa consentiat: haud sane erit mirum; contentique esse debebitis, si probabilia dicentur. Æquum est enim meminisse, & me, qui differam, hominem esse: & vos, qui judicatis: ut si probabilia dicentur, nil ultra requiratis. Quæramus igitur causam, quæ eum impulerit, qui hæc machinatus sit, ut originem rerum, & molitionem novam quæreret. Probitate videlicet præstabat: probus autem invidet nemini. Itaque omnia sui similia generavit. Hæc nimirum gignendi mundi causa justissima. Nam cum constituisset Deus bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiscere, quod natura pateretur: quidquid erat, quod in cernendi sensum caderet, id sibi assumpsit, non tranquillum & quietum, sed immoderate agitatum & fluctuans: idque ex inordinato in ordinem adduxit. Hoc enim judicabat esse præstantius. Fas autem nec est, nec unquam fuit, quidquam nisi pulcherrimum facere eum, qui esset optimus. Cum rationem igitur habuisset, reperiebat nihil esse eorum, quæ natura cernerentur, non intelligens, intelligen-

7 *Explicandum, videtur esse cognitio.*] Verba Platonis in Timæo hæc sunt: Ὡς ἄρα τὰς λόγους, ὧνπερ εἰσὶν ἐξηγηταὶ, τούτων αὐτῶν ϗ συγγενεῖς ὄντας. Ex quibus apparet, legendum esse *cognatio*, non *cognitio*; ut fortasse ita locus restituendus sit: *In omni oratione, cum iis rebus, de quibus explicatur, videtur esse cognatio*. P. Manut.

8 *Avemus*,] Vict. Man. Grut. *habemus*.

gente, in toto genere, præstantius: intelligentiam autem ulli rei adjunctam esse, sine animo nefas esse. Quocirca intelligentiam in animo, animum conclusit in corpore. Sic ratus est opus illud effectum esse pulcherrimum. Quam ob causam non est cunctandum profiteri, si modo investigari aliquid conjectura potest, hunc mundum animal esse, idque intelligens, & divina providentia constitutum.

IV. Hoc posito; quod sequitur, videndum est, cujusnam animantium Deus in fingendo mundo similitudinem secutus sit. Nullius profecto eorum quidem, quæ sunt nobis nota animantia. Sunt enim omnia in quædam genera partita, aut inchoata, nulla ex parte perfecta. Imperfecto autem nec absoluto simile, pulchrum esse nihil potest. Cujus ergo omne animal quasi particula quædam est, sive in singulis, sive in [9] diverso genere cernatur, ejus similem mundum esse dicamus. Omnes igitur, qui animo cernuntur, & ratione intelliguntur animantes, complexu rationis & intelligentiæ sicut homines hoc mundo, & pecudes, & omnia quæ sub aspectum cadunt, comprehenduntur. Quod enim pulcherrimum in rerum natura intelligi potest, & quod ex omni parte absolutissimum est [10], cum Deus similem mundum efficere vellet, animal unum, adspectabile, in quo omnia animalia continerentur, effecit. Rectene igitur unum mundum dixerimus; an fuit, plures & innumerabiles dictu verius & melius? Unus profecto, siquidem factus est ad exemplum. Quod enim omnes animantes eos, qui ratione intelliguntur, complectitur, id non potest esse cum altero. Rursus enim alius animans, qui eum contineat, sit necesse est, cujus partes sint animantes superiores: cœlumque hoc, simulacrum illius ultimi sit, non proximi. Quorum ne quid accideret, atque ut hic mundus esset animanti absoluto simillimus, hoc ipso, quod solus atque unus esset; idcirco singularem Deus hunc mundum, atque unigenam procreavit. Corporeum autem, & adspectabile, itemque tractabile omne necesse est esse, quod natum est. Nihil porro, igni vacuum, videri potest: nec vero tangi, quod careat solido: solidum autem

9. *diverso*] Lamb. *universo*

10 *cum Deus*] Idem. *ei cum Deus*.

tem nihil, quod terræ ſit expers. Quamobrem mundum efficere moliens Deus, terram primum, ignemque jungebat. Omnia autem duo ad cohærendum, tertium aliquid requirunt, & quaſi nodum vinculumque deſiderant. Sed vinculorum id eſt aptiſſimum atque pulcherrimum, quod ex ſe, atque de his, quæ adſtringit, quam maxime unum efficit. Id optime aſſequitur, quæ Græce ἀναλογία, Latine (audendum eſt enim, quoniam hæc primum a nobis novantur) comparatio, proportiove dici poteſt.

V. Quando enim trium vel numerorum, vel figurarum, vel quorumcunque generum contingit, ut quod medium ſit, uti primum proportione, ita id poſtremo comparetur, viciſſimque ut extremum cum medio, ſic medium cum primo conferatur; id quod medium eſt, tum primum fit, tum poſtremum; poſtrema vero, & prima media fiunt. Ita neceſſitas cogit, ut eadem ſint ea, quæ [11] dejuncta fuerunt. Eadem autem cum facta ſint, efficitur, ut omnia ſint unum. Quod ſi univerſitatis corpus, planum & æquabile explicaretur, neque in eo [12] quidquam eſſet requiſitum: unum interjectum medium, & ſe ipſum, & ea, quibus eſſet interpoſitum, colligaret. Sed cum ſoliditas mundo quæreretur: ſolida autem omnia uno medio nunquam, duobus ſemper copulentur: ita contigit, ut inter ignem & terram, aquam Deus, animamque poneret, eaque inter ſe compararet, & proportione conjungeret: ut quemadmodum ignis, animæ; ſic anima aquæ: quodque anima aquæ; id aqua, terræ proportione redderet. Qua ex conjunctione cælum ita aptum eſt, ut ſub adſpectum & tactum cadat. Itaque & ob eam cauſam, & ab iis rebus numero quatuor mundi eſt corpus effectum, ea conſtructum proportione, qua dixi. Ex quo ipſe ſe concordi quadam amicitia & caritate complectitur: atque ita apte cohæret, ut diſſolvi nullo modo queat, niſi ab eodem, a quo eſt colligatus. Earum autem quatuor rerum, quas ſupra dixi, ſic in omni mundo omnes partes collocatæ ſunt, ut nulla pars hujuſce gene-

11 *Dejuncta.*] Ex ſenſu & ex Platone corrigo, *devincta*. P. Manut.

12 *Quidquam eſſet*] Lamb. *quidquam altitudinis eſſet*, quemadmodum admonuit Joach. Perionius, qui, ut & H. Stephanus in hoc fragmentum legendus eſt.

generis excederet extra, atque in hoc universo inessent genera illa universa. Id ob eas caussas, primum ut mundus animans possit ex perfectis partibus esse perfectus: deinde ut unus esset, nulla parte, unde alter gigneretur, relicta: postremo ne quis morbus eum possit, aut senectus affligere. Omnis enim coagmentatio corporis, vel calore, vel frigore, vel aliqua impulsione vehementi labefactatur & frangitur, & ad morbos senectutemque compellitur. Hanc igitur habuit rationem effector mundi, molitorque Deus, ut unum opus totum atque perfectum ex omnibus totis atque perfectis [13] absolveretur, quod omni morbo seniove careret.

VI. Formam autem & maxime sibi cognatam & decoram dedit. A quo enim animante omnes reliquos contineri vellet animantes, hunc ea forma figuravit, qua una omnes reliquæ formæ concluduntur: & globosus est fabricatus; quod σφαιροειδὲς Græci vocant. Cujus omnis extremitas paribus a medio radiis attingitur: idque ita tornavit, ut nihil effici possit rotundius, nihil ut asperitatis haberet, nihil offensionis, nihil [14] inclusum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum: omnesque partes simillimæ omnium, quod ejus præstabat judicio dissimilitudini similitudo. Omni autem totam figuram mundi lævitate circumdedit. Nec enim oculis egebat, quia nihil extra, quod cerni posset, relictum erat: nec auribus, quia ne quod audiretur quidem: neque erant anima circumfusa extrema mundi, ut respirationem requireret: nec vero desiderabat aut alimenta corporis, aut detractionem confecti & consumpti cibi. Neque enim ulla decessio fieri poterat, neque accessio: neque vero erat unde. Ita se ipse consumptione & senio alebat sui, cum ipse per se, & a se & pateretur, & faceret omnia. Sic enim ratus est ille, qui ista junxit & condidit, ipsum se contentum esse mundum, neque egere altero. Itaque nec ei manus affinxit, quia nec capiendum quidquam erat, nec repellendum: nec pedes, nec alia membra, quibus [15] ingressus corpore sustineret. Motum enim

 dedit

13 *Absolveretur*] Lamb. *absolveret*

14 *Inclusum*] Lamb. *incisum*.

15 *Ingressus corpore sustineret*.] Maffæi liber, *ingressurus corpus sustineret*. Veram lectio-

dedit cœlo eum, qui figuræ ejus ſit aptiſſimus, qui unus ex ſeptem motibus mentem atque intelligentiam cohiberet maxime. Itaque una converſione atque eadem ipſe circum ſe torquetur & vertitur. Sex autem reliquos motus ab eo ſeparavit. Itaque eum ab omni erratione liberavit. Ad hanc igitur converſionem, quæ pedibus & gradu non egeret, ingrediendi membra non dedit. Hæc Deus is, [16] qui erat, de aliquando Deo futuro cogitans, lævem eum effecit & undique æquabilem, & a medio ad ſummum parem, & perfectum atque abſolutum ex abſolutis atque perfectis. Animum autem ut in ejus medio collocavit, ita per totum tetendit: deinde eum circumdedit corpore, & veſtivit extrinſecus: cœloque ſolivago, & volubili, & in orbem incitato complexus eſt, quod ſecum [17] ipſe propter virtutem facile eſſe poſſet, nec deſideraret alterum; ſatis ſibi ipſum notus & familiaris. Sic Deus ille æternus hunc perfecte beatum Deum procreavit. Sed animum haud ita, ut modo locuti ſumus, tum denique, cum corpus ei effeciſſet, inchoavit. Neque enim eſſet rectum minori parere majorem. Sed nos multa inconſiderate ac temere dicimus.

VII. Deus autem & ortu, & virtute antiquiorem genuit animum, eumque ut dominum atque imperantem, obedienti præfecit corpori: idque molitus tali quodam eſt modo. Ex materia, quæ individua eſt, & quæ ſemper unius modi, ſuique ſimilis, & ex ea, quæ corporibus dividua gignitur, tertium materiæ genus ex duobus in medium admiſcuit, quod eſſet ejuſdem naturæ, & quod alterius: idque interjecit inter individuum, atque id, quod dividuum eſſet in corpore. Ea cum tria ſumpſiſſet, unam in ſpeciem temperavit: naturamque illam, quam alterius diximus, vi cum eadem conjunxit, fugientem, & ejus copulationis alienam. Permiſcens autem cum materia, cum ex tribus effeciſſet unum, id ipſum in ea, quæ decuit, membra partitus eſt. Jam partes ſingulas ex eo-

dem,

ctionem puto: *Quibus ingreſſus corpus ſuſtineret*. Græca verba: Οὐ δ' ὅλως τῆς περὶ τὴν βάσιν ὑπηρεσίας. Lamb.

16 *Qui erat*,] Græca lectio: Ὄντος ἀεὶ λογισμὸς Θεοῦ: Ut videatur legendum, *Qui ſemper erat*. Idem.

17 *ipſe*] Vict. Man. Grut. *ipſum* ... *notum & familiare*.

dem, & ex altero, & ex materia temperavit. Fuit autem talis illa partitio. Unam principio partem detraxit ex toto: ſecundam autem primæ partis duplam: deinde tertiam, quæ eſſet ſecundæ ſeſquialtera, primæ tripla: deinde quartam, quæ ſecundæ dupla eſſet: quintam inde, quæ tertiæ tripla: tum ſextam octuplam primæ: poſtremo ſeptimam, quæ ſeptem & viginti partibus antecederet primæ. Deinde inſtituit dupla & tripla intervalla explere, partes rurſus ex toto deſecans: quas intervallis ita locabat, ut in ſingulis eſſent bina media: vix enim audeo dicere medietates, quas Græci *μεσότητας* appellant: ſed quaſi ita dixerim, intelligatur: erit enim planius. Earum alteram, eadem parte præſtantem extremis, eademque ſuperatam: alteram pari numero præſtantem extremis, parique numero ſuperatam. Seſquialteris autem intervallis, & ſeſquitertiis, & ſeſquioctavis ſumptis ex his colligationibus in primis intervallis, ſeſquioctavo intervallo, ſeſquitertia omnia explebat, cum particulam ſingulorum relinqueret. Ejus autem particulæ [18] intervallo habebat numerus ad numerum eandem proportionem, comparationemque in extremis, quam habent CCLVI. cum CCXLIII., atque ita permiſtum illud, ex quo hæc ſecuit, jam omne conſumpſerat. Hanc igitur omnem conjunctionem, duplicem in longitudinem diffidit: mediæque accommodans mediam, quaſi decuſſavit: deinde in orbem torſit, ut & ipſe ſecum, & inter ſe, ex commiſſura, quæ e regione eſſet, jungerentur: eoque motu, cujus orbis ſemper in eodem erat, eodemque modo ciebatur, undique eſt eas circumplexus. [19] Atque ita cum alterum eſſet exteriorem amplexus orbem: illum, ejuſdem naturæ; hunc, alterius nominavit: [20] eamque, quæ erat ejuſdem, detorſit a latere in dextram

18 *Intervallo habebat*] Vict. *intervallo relicto habebat*.

19 *Atque ita cum alterum eſſet exteriorem amplexus orbem:* Et ſenſus & Græca verba indicant, hæc duo verba deſiderari, *alterum interiorem*; ut hic ordo ſit: *Atque ita cum alterum eſſet exteriorem, alterum interiorem amplexus orbem*. Quod etiam ex inſequenti membro clarius oſtenditur, cum ſubjiciat, *illum ejuſdem naturæ, hunc alterius nominavit*. Græca verba Platonis hæc ſunt. Καὶ τὴν μὲν ἔξω, τὴν δ' ἐντὸς ἐποιεῖτο τῶν κύκλων, τὴν μὲν ἐν ἔξω φορὰν, ἐπεφήμισεν εἶναι τῆς ταὐτοῦ φύσεως τὴν δ' ἐντὸς τῆς θατέρου. *Man.*

20 *Eamque, quæ erat ejuſdem, detorſit... hanc autem*] Ex Græcis verbis videtur emendandum, *Eumque, qui erat ejuſdem, detorſit a latere in dexteram partem; hunc autem alte-*

tram partem : hanc autem citimam , a media linea direxit ad lævam : sed principatum dedit superiori , quam solam individuam reliquit . Interiorem autem cum in sex partes divisisset , septem orbes dispares duplo & triplo intervallo moveri jussit , contrariis inter se cursibus . Eorum autem trium fecit pares celeritates : sed quatuor , & inter se dispares , & dissimiles trium reliquorum .

VIII. Animum igitur cum ille procreator mundi Deus ex sua mente & divinitate genuisset ; tum denique omne , quod erat concretum atque corporeum , substernebat animo , interiusque faciebat : atque ita medio medium accommodans copulabat . Sic animus a medio profectus , extremitatem cœli a suprema regione rotundo ambitu circumjecit , seseque ipse versans , divinæ , sempiternæ , sapientisque vitæ induxit exordium. Et corpus quidem cæli spectabile effectum est , animus autem oculorum effugit obtutum . Est autem animus ex omnibus , [21] rationis concentionisque (ἁρμονίη Græce) sempiternarum rerum , & sub intelligentiam cadentium , compos & particeps ; quo nihil ab optimo & præstantissimo genitore melius procreatum : [22] quippe qui ex eadem vinctus , alteraque natura , adjuncta materia , temperatione trium partium , proportione [23] compacta , se ipse [24] conversans , cum materiam mutabilem arripuisset , & cum rursus individuam atque simplicem , per quam omnis movetur ; discernit , quid sit ejusdem generis , quid alterius , & cætera dijudicat , quid cuique rei sit maxime aptum , quid quoque loco , aut modo , aut tempore contingat , quæque distinctio sit inter ea , quæ gignantur , & ea , quæ sint semper eadem . Ratio autem vera , quæ ver-

ulterius , a medio &c. Est enim de orbibus oratio , ut in Platone perspicitur : & verbum *Citimam* non est in Maffei libro , sed *item* pro eo . *Manut.*

21 *Rationis , concentionisque &c.*] Vulgo , *contentionis* . Totum hunc locum opinor ita esse corrigendum : *Rationis concentionisque* (ἁρμονίη Græce) *compos & particeps : quo nihil ab optimo & præstantissimo sempiternarum rerum & sub intelligentiam cadentium genitore melius procreatum* . Λογισμῦ δὲ μετέχετε ἁρμονίας ψυχή . τῶν νοητῶν ἀεί τε ὄντων ὑπὸ τῦ ἀρίστε , ἀρίστη γενομένη τῶν γεννηθέντων . *Idem* .

22 *Quippe qui &c.*] Hic locus ex Græcis verbis ita corrigendus : *Quippe qui ex eadem junctus , alteraque natura , adjuncta materia , temperatione trium partium , proportione compactus , se ipse conversans , cum materiam mutabilem arripuit , & cum rursus individuam atque simplicem , in se omnis movetur , &c.* Idem .

23 *Compacta*] Lamb. *compactus*

24 *Conversans .*] A.ii , *conservans* . Male .

versatur in iis, quæ sunt semper eadem, & in iis, quæ mutantur, cum in eodem, & in altero movetur ipsa per se [25] sine voce, & sine ullo sono, cum eandem partem attingit, qua sensus cieri potest: [26] orbis illius generis alterius immutatus & rectus omnia animo mentique denuntiat: tum opiniones assensionesque firmæ veræque gignuntur. Cum autem in illis rebus vertitur, quæ manentes semper eædem, non sensu, sed intelligentia continentur; tum intelligentia scientiaque necessario efficitur. * * *

IX. Ratione igitur & mente divina, ad originem temporis, curriculum inventum est solis & lunæ. * * * Corpora autem eorum singulorum cum effecisset Deus, ea ad eas conversiones collocavit, quas alterius circuitus conficiebat, quæ sunt septem, ut & illa septem. Ita vim suam natura convertit, ut terram lunæ cursus proxime ambiret, eique supra terram proxima solis circumvectio esset. Lucifer deinde, & sancta Mercurii stella cursum habent solis celeritati parem, sed vim quandam contrariam: eaque conversione, quam inter se habent Lucifer, Mercurius, Sol, alii alios vincunt, vicissimque vincuntur. Reliquorum siderum quæ causa collocandi fuerit, quæque eorum sit collocatio, in sermonem alium differendum est, ne in eo, quod attingendum fuit, quam in eo, cujus causa id attigimus, longior ponatur oratio. [27] Quando igitur unumquodque eorum siderum cursum decorum est adeptum, e quibus erat motus temporis consignandus, colligatisque corporibus vinculis animalibus, tum animantia orta sunt: eaque imperio parere didicerunt: tum ex alterius naturæ motione transversa, in ejusdem naturæ motum incurrentia, in eoque hæren-

25 *Sine voce, & sine ullo sono,*] Si quis Græcam lectionem sequatur, intelliget addendum *revoluta* : φερόμενος ἄνευ φθόγγου ϗ ἠχῆς. Et quod sequitur, legendum, *cum eam partem*, non, *cum eandem partem*. Ex Græcis verbis: Ὅταν μὲν περὶ τὸ αἰσθητὸν γίγνηται. Idem.

26 *Orbis illius generis alterius.*] Ut hoc totum sine interspiratione cum superioribus continuetur, & omnia referantur ad illud, *tum opiniones*, crederem legendum *orbisque illius generis alterius*, ex Græcis verbis: Καὶ ὁ τοῦ θατέρου κύκλος. Quæ etiam vocem, *illius*, vacare significant. *Idem*.

27 *Quando igitur &c.*] Hoc totum, si cum Græco conferas, intelliges ad hunc fere modum esse restituendum: *Quando igitur unumquodque eorum siderum cursum decorum est adeptum, quibus erat motus temporis consignandus: colligataque corpora vinculis animantia orta sunt: tum imperio parere didicerunt*. Idem.

hærentia atque impedita, cum alia majorem lustrarent orbem, alia minorem, tardiusque majorem, celeriusque minorem, motu vero unius ejusdemque naturæ: quæ velocissime movebantur, ea celeritate vinci a tardioribus, & cum superabant, superari videbantur. Omnes enim orbes eorum quasi Helicis inflexione vertebantur: quam bifariam contrarie simul procedentia efficiebant: ut quod esset tardissimum, id proximum fieret celerrimo. Atque ut esset mensura quædam evidens, quæ in istis octo cursibus celeritates tarditatesque declaret: Deus ipse solem, quasi lumen, accendit ad secundum supra terram ambitum, ut quam maxime cœlum omnibus colluceret, animantesque, quibus jus esset doceri, ab ejusdem motu, & ab eo quod simile esset, numerorum naturam vimque cognoscerent. Nox igitur, & dies ad hunc modum, & ob has generata causas, unum circuitum orbis efficit sapientissimum atque optimum: mensis autem, quando luna lustrato suo cursu solem consecuta est: annus, ubi sol suum totum confecit & peragravit orbem. Cæterorum autem siderum ambitus ignorantes homines, præter admodum paucos, neque nomen appellant, neque inter se numero commetiuntur. Itaque nesciunt, hos siderum errores, id ipsum esse, quod rite dicitur tempus, multitudine infinita, varietate admirabili præditos. Attamen illud perspici & intelligi potest, absoluto perfectoque numero temporis, absolutum perfectumque annum tunc compleri denique, cum se octo ambitus, confectis suis cursibus, ad idem caput retulerunt, cumque eos permensus est idem, & semper sui similis orbis. Has igitur ob causas nata astra sunt, quæ per cœlum penetrantia solstitiali se & brumali revocatione converterent: ut hoc omne animal, quod videmus, esset illi animali, quod sentimus, ad æternitatis imitationem simillimum.

X. Et cætera quidem usque ad temporis ortum impressa ab illis, quæ imitabatur, effinxerat: sed quia nondum omne animal in mundo intus incluserat, ex ea parte deficiebat ad propositum exemplar imaginis similitudo. Quot igitur, & quales animalium formas mens, in speciem rerum intuens,

pote-

poterat cernere, totidem & tales in hoc mundo secum cogitavit effingere. Erant autem animantium genera quatuor: quorum unum divinum atque cœleste: alterum pennigerum & aerium: tertium aquatile: terrestre quartum. Divinæ animationis maxime speciem faciebat ex igne, ita ut splendidissimus esset, & adspectu pulcherrimus. Cumque * similem universitatis naturæ efficere vellet, ad volubilitatem rotundavit, comitemque eum sapientiæ quam optimæ mentis effecit, circumque cœlum æqualiter distribuit, ut hunc hac varietate distinctum, bene Græci *κόσμον*, nos lucentem mundum nominaremus. Dedit autem divinis duo genera motus: unum, quod semper esset in eodem æque, & idem in omnibus, atque uno modo celeraret: alterum, quod in anticam partem a conversione ejusdem, & similis pelleretur. Quinque autem reliquis motibus orbem eum esse voluit expertem, immobilem, & stantem. Ex quo genere ea sunt sidera, quæ infixa cœlo non moventur loco, quæ sunt animantia, eaque divina, ob eamque causam suis sedibus inhærent, & perpetuo manent. Quæ autem vaga & mutabili ratione labuntur, ita generata sunt, ut supra diximus. Jam vero terram, altricem nostram, quæ trajecto axe sustinetur, diei noctisque effectricem, eandemque custodem, antiquissimam corporum voluit esse eorum, quæ intra cœlum gignerentur. Flexiones autem deorum, & inter ipsos deos concursiones, quæque in orbibus eorum conversiones antecessionesque eveniant, cumque inter se pene contingant, eos, qui prope copulentur contraria regione, & pone quos, aut ante labantur, quibusque temporibus a nostro adspectu oblitescant, rursusque emersi terrorem incutiant, rationis expertibus, si verbis explicare conemur, nullo posito sub oculis simulacro, earum rerum frustra suscipiatur labor. Sed hæc satis sint dicta nobis. Quæ de deorum, qui cernuntur, quique orti sunt, natura præfati sumus, habeant hunc terminum.

XI. Reliquorum autem, quos Græci *δαίμονας* appellant, no-

 stri

* *Similem universitatis naturæ*] Nihil muto; tamen magis arrideret, *universitatis figuræ*, quam *universitatis naturæ*. *Τῷ δὲ παντὶ προσηκίζων*. *Manut.*

ſtri (opinor) Lares, ſi modo hoc recte converſum videri poteſt, & noſſe, & nuntiare ortum eorum, majus eſt, quam ut profiteri ſcribere nos audeamus. Credendum nimirum eſt veteribus [28] & priſcis, ut ajunt, viris, qui ſe progeniem deorum eſſe dicebant. Itaque eorum vocabula nobis prodiderunt. Noſſe autem generatores ſuos optime poterant: ac difficile factu eſt, a diis ortis, fidem nos habere; quanquam nec argumentis, nec rationibus certis eorum ratio confirmatur: ſed quia de ſuis rebus ac ſibi notis videntur loqui, veteri legi morique parendum eſt. Sic igitur, ut ab his eſt traditum, horum deorum ortus habeatur, atque dicatur: ut Oceanum Salaciamque Cæli ſatu, Terræque conceptu generatos editoſque memoremus: ex his Phorcyn, Saturnum, & Opem, deinceps Jovem, atque Junonem, reliquos, quos fratres inter ſe, agnatoſque uſurpari atque appellari videmus, & eorum, ut utamur veteri verbo, prolapiam. Quando igitur omnes, & qui moventur, palamque oſtenduntur, & qui eatenus nobis declarantur, quoad ipſi volunt, creati ſunt: tum ad eos is Deus, qui omnia genuit, fatur hæc, Vos, qui deorum ſatu orti eſtis, attendite. Quorum operum ego parens effectorque ſum, hæc ſunt indiſſoluta, me invito: quanquam omne colligatum ſolvi poteſt: ſed haudquaquam boni eſt, ratione vinctum velle diſſolvere. Sed quoniam orti eſtis, immortales vos quidem eſſe, & indiſſolubiles non poteſtis: neutiquam tamen diſſolvemini, nec vos ulla mortis fata periment, nec fraus valentior, quam conſilium meum, quod majus eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram, quam illa, quibus eſtis tum, cum gignebamini, colligati. Quid ſentiam igitur, cognoſcite. Tria nobis genera reliqua ſunt, eaque mortalia: quibus prætermiſſis, cœli abſolutio perfecta non erit. Omnia enim genera animalium complexu non tenebit: teneat autem [29] oportebit, ut eodem ne quid abſit, quæ a me ipſo effecta ſint, quod deorum vitam poſſit adæquare. Ut igitur mortali generentur conditione, vos ſuſcipite, ut illa gignatis, imiteminique vim meam,

28 *& priſcis*, Lamb. *& caſcis*

29 *Oportebit*, Lamb. *Oportet ut ab eo ne quid abſit: quæ ſi a me ipſo effecta, vitam que conſecuta ſint, deorum vitam poſſint adæquare.*

meam, qua in vestro ortu me usum esse meministis: in quibus qui tales creantur, ut deorum immortalium quasi gentiles esse debeant, divini generis appellentur, teneantque omnium animantium principatum, [30] vobisque jure & lege volentes pareant: quorum vobis initium statusque traditur a me. Vos autem ad id, quod erit immortale, partem attexitote mortalem. Ita orientur animantes, quos & vivos alatis, & consumptos sinu recipiatis. Hæc ille dixit.

XII. Deinde ad temperationem superiorem revertit: in qua omnem animum universæ naturæ temperans permiscebat, superiorisque permixtionis reliquias fundens æquabat, eodem modo ferme, nisi quod non ita incorruptas, ut ea, quæ semper idem; sed a diis [31] secundum sumebat, atque tertium. Toto igitur omnino constituto, sideribus parem numerum distribuit animorum, & singulos adjunxit ad singula, atque ita quasi in currum universitatis imposuit, commonstravitque leges fatales ac necessarias, & ostendit primum ortum unum fore omnibus, eumque moderatum atque constantem, nec ab ullo imminutum: satis autem, & quasi sparsis animis, fore uti certis temporum intervallis oriretur animal, quod esset ad cultum Deorum aptissimum. Sed cum duplex esset natura generis humani, sic se res habebant, ut præstantius genus esset eorum, qui essent futuri viri. Cum autem animis corpora cum necessitate insevisset, cumque ad corpora tum accessio fieret, tum abscessio; necesse erat, sensum existere unum, communemque omnium, vehementiore motu excitatum, conjunctumque naturæ: deinde voluptate & molestia mixtum amorem: post iram, & metum, & reliquos motus animi, comites superiorum, & his etiam contrarios dissidentes: quos qui ratione rexerit, juste vixerit; qui autem his se dediderit, injuste. Atque ille, qui recte & honeste curriculum vivendi a natura datum confecerit, ad illud astrum, quocum aptus fuerit, revertetur. Qui autem immoderate & intemperate vixerit, eum secundus ortus in figuram muliebrem transferet. Et, si ne tum quidem

 finem

30 *Vobisque*] Idem. *nobisque & juri ac legi*.

31 *secundum* Man. *secundas ... tertias ....* Lamb. *secunda ... tertia ..*

finem vitiorum faciet : gravius etiam jactabitur , & in ſuis moribus ſimillimas figuras pecudum & ferarum transferetur : neque malorum terminum prius adſpiciet , quam illam ſequi cœperit converſionem , quam habebat in ſe ipſe , ejuſdem & unius , ſimul innatam & inſitam . Quod tum eveniet , cum illa , quæ ex igne , aere , aqua , atque terra , turbulenta & rationis expertia inſederint , denique ratione depulerit , & ad primam atque optimam affectionem animi pervenerint .

XIII. Quæ cum ita deſignaſſet , ſeſeque , ſi quid poſtea fraudis , aut vitii eveniſſet , extra omnem culpam cauſamque poſuiſſet : alios in ſolem , alios in lunam , alios in reliquas mundi partes , quæ ſunt ad ſpatiorum temporis ſignificationem notæ conſtitutæ , ſpargens quaſi ſerebat . Poſt autem ſationem eam diis , ut ita dicam , junioribus permiſit , ut corpora mortalia effingerent , quantumque eſſet reliquum ex humano animo , quod deberet accedere , id omne , & quæ ſequentia eſſent , perpolirent & abſolverent : deinde ut huic animanti principes ſe , duceſque præberent , vitamque ejus pulcherrime regerent & gubernarent : niſi quatenus [32] ipſe ſua culpa ſibi aliquid miſeriæ quæreret . Atque is quidem , qui cuncta compoſuit , conſtanter in ſuo manebat ſtatu . Qui autem erant ab eo creati , cum parentis ordinem cognoviſſent , hunc ſequebantur . Itaque cum accepiſſent immortale principium mortalis animantis , imitantes genitorem & effectorem ſui , particulas ignis , & terræ , & aquæ , & aeris a mundo , quas rurſus redderent , mutuabantur , eaſque inter ſe copulabant , haud iiſdem vinculis , quibus ipſi erant colligati , ſed talibus , quæ cerni non poſſent propter parvitatem , crebris quaſi cuneolis injectis , unum efficiebant ex omnibus corpus : itemque in eo influente atque effluente animo [33] divino ambitus illigabant . Itaque illi in flumen immerſi , neque tenebant , neque tenebantur : ſed vi magna tum ferebant , tum ferebantur . Ita totum animal movebatur illud quidem , ſed immoderate , & fortuitu , ut ſex motibus veheretur . Nam & ante , & pone , ad lævam , & ad dexteram , & ſurſum , & deorſum , modo huc , modo illuc , * * * ſex

oras ,

32 Vict. *ipſe bene factus*

33 Lamb. *animi divini*


oras, regionesque versus errans procedebat. *** Jam vero earum imaginum, quæ finguntur & redduntur in speculis, eorumque, quæ splendida & lævia sunt, rationem perspicere, haud difficile est. Nam ex ignis utriusque externi atque interni communione inter ipsos, cum unus per singulas partes effectus, & multis modis concors & aptus redditus in lævore consedit. ***

XIV. Sed si in splendore consedit: tum vel eadem species, vel interdum immutata redditur. *** Omniaque hujusmodi necessario in speculo referuntur, *** cum ignis oculorum cum eo igne, qui est ob os offusus. *** in re lævi, & splendida, *** se confudit, & contulit. Dextra autem videntur, quæ læva sunt, quia contrariis partibus oculorum, contrarias partes attingunt *** præter morem usitatum adjectionis & commissuræ. *** Respondent autem dextra dextris, læva lævis, conversione luminum, cum ea inter se non cohærescunt. Id fit, cum speculorum lævitas hinc illincque altitudinem assumpsit: & ita dextra detrusit in lævam partem oculorum, lævaque in dextram. Supina etiam ora cernuntur depulsione luminum: quæ convertens inferiora reddit, quæ sunt superiora. Atqui hæc omnia ex eo genere sunt, quæ rerum adjuvant causas. Quibus utitur ministeriis Deus, cum optimi speciem, quoad fieri potest, efficit. Sed existimant plerique non hæc adjumenta causarum, sed has ipsas esse omnium causas, quæ vim habeat frigoris & caloris, concretionis & liquoris: careant autem omni intelligentia atque ratione, quæ, nisi in animo, nulla alia in natura reperiantur. Animus autem sensum omnem effugit oculorum. At ignis, & aqua, & terra, & aer, corpora sunt, eaque cernuntur. Illum autem, qui intelligentiæ sapientiæque se amatorem profitetur, necesse est, intelligentis sapientisque naturæ primas causas conquirere, deinde secundas causas rerum earum, quæ necessario movent alias, cum ipsæ ab aliis moventur. Quocirca nobis sic cerno esse faciendum, ut de utroque nos quidem dicamus genere causarum: separatim autem de iis, quæ cum intelligentia sunt efficientes pulcherrimarum rerum, atque opti-

optimarum: & de iis, quæ vacantes prudentia, inconſtantia, perturbataque efficiunt. Ac de oculorum quidem cauſis, ut haberent eam vim, quam nunc habent, ſatis ferme eſſe dictum puto. Maxima autem eorum utilitas, donata humano generi deorum munere, deinceps explicetur. Rerum enim optimarum cognitiones nobis oculi attulerunt. Nam hæc, quæ eſt habita de univerſitate oratio a nobis, haud unquam eſſet inventa, ſi neque ſidera, neque ſol, neque cœlum ſub oculorum adſpectum cadere potuiſſent. Nunc vero dies, noctesque oculis cognitæ, tum menſium, annorumque converſiones ad numerum machinatæ ſunt, & ſpatium temporis demenſæ ſunt, & ad quæſtionem totius naturæ impulerunt. Quibus ex rebus philoſophiam adepti ſumus: quo bono nullum optabilius, nullum præſtantius, neque datum eſt mortalium generi deorum conceſſu, atque munere, neque dabitur.

Aliud ex Timæo.

PRISC. *lib.* 1. *Part.* Defenſtrix.



VARIÆ

VARIÆ LECTIONES,

E primariis quatuor Editionibus

VICTORII, MANUTII, LAMBINI, GRUTERI,

Collectæ: præter illas quæ in hac Editione Textu subjunctæ sunt, aut in Commentariis propositæ.

Paginam indicat numerus prior: lineam posterior.

5. 27. *ut certissimis*] V. G. delent *ut*
6. 23. *docti*] M. docti, putaverunt & probaverunt.
7. 15. *duo*] M. L. duos
8. 15. *communio jura*] V. M. communi jure
29. *sic*] M. delet
9. 5. *possim*] M. L. possimus
6. *equidem*] M. L. quidem
22. *& in signif.*] M. L. delent, *in*
10. *repulsu*] V. G. repulsus
13. *video*] V. vides
26. *nunquam*] V. nonnunquam
11. 10. *modo*] V. G. delent.
12. *pro*] M. L. pro omnibus iis rebus
14. *serpentum*] V. L. serpentium
13. 3. *Quid*] L. Cum
7. *vitolia*] L. vitai
10. *monebant*] L. movebant
13. *vetusto*] V. vetustæ
15. 5. *disputentur de divin.*] V. G. disputantur, & de divinatione.
8. *Carneadee*] M. L. Carneade
13. *jeceris*] G. ejeceris
15. *veneris Coæ*] M. L. G. Cnidiæ, Coæque
16. 13. *Nam*] M. L. Jam
16. *&*] M. L. & jam
ult. *solidum*] L. solum
17. 8. *impetriri*] M. L. impertiri, V. impartiri
18. 1. *ementitum*] G. ementita
subscripserit] V. subscriberet
4. *cepisse*] L. accepisse
8. *diræ*] V. G. dira
sicut] V. sicut &
10. *nuntiant*] M. L. enuntient
17. *vobis*] M. L. nobis
19. 11. *regiones*] V. M. G. regione
13. *unum*] L. eum
19. *allatam*] M. L. illatam
20. 7. *divinationum*] M. L. divinationis
27. *adducar*] V. M. G. abducar
22. 6. *Tegeotis*] V. M. Taygetis
20. *multis*] L. multa sæcula
23. 1. *Galeotæ*] M. L. G. Galleotæ
16. O *gnato*] V. M. G. cognata
18 *effatu' pater*] M. L. G. pater effatus
ult. *mentis*] L. mentem
24. 1. *sumptus*] V. M. L. sumpeis
6. *oraclo*] M. oraculo
8. *temperaret tollere*] L. G. tempora, hunc si tolleret
11. *quod in Numerii*] V. quod innumerum
16. *Acii*] V. Accius
19. *visus*] M. L. G. visum
pastor] M. L. pastorem
22. *immolare*] L. involare
25. 3. *rex*] V. res
7. *mirum*] V. mirandum
21. *somniis*] L. somnis
27. *Dinonis*] V. M. L. Dionysii
Persicis] M. L. Persici
26. 22. *minarique*] M. L. minitarique
27. 11. *protinus*] L. protenus
26. *maxima*] V. magna
28. 1 *somnis*] V. somniis
7. *eventus*] M. L. exitus
14. *tenebatur*] M. L. premebatur
26. *adjungamne*] M. adjungam
29. 12. *præsultorem*] G. præsulem
13. *jussum*] G. visum

30. 27.

30. 27. *proconful*] M. L. provinciæ
32. 3. *vifa*] M. vifu
4. *videamur*] V. videatur
9. *agitata*] L. excitata
11. *præftringere*] L. præftinguere
13. *affluit*] V. M. L. effluit
24. *fomnum*] M. fomnium
28. *quærenti*] L. G. quærentis
33. *omnino*] M. L. omnino eft
33. 5. *quæ*] L. quod
7. *qui deincepe*] G. qui deinde deinceps
27 *rabere*] V. M. rapere
34. 10. *ferte*] G. referte
19. *primie*] V. primo
23. *fugientibufque*] V. M. delent, *que*
35. 17. *expofitis*] M. L. ex ipfis
20. *autem*] V. tamen
36. 4. *Syllæ*] V. M. L. Sifennæ
6. *ille*] M. L. Scylla
10. *Samnitium*] V. M. Samnitum
11. *in*] V. delet
23. *et*] V. ac
38. 1. *proficeretur*] M. L. proficeret
accederent] L. acceffiffent
2. *tribus horis*] V. G. tribus his horis
7. *factæ*] M. L. facta fit
12. *ditiffimum*] G. divitiffimum
15. *pravifa*] L. prævifa
39. 12. *ut Bacchi*] V. aut Baccha
27. *hæc fatem*] G. effactam
40. 22. *non, fi*] V. M. fi non
23. *nec*] V. nec non, fi
41. 2. *fint*] V. funt
14. *rotionem*] M. L. ac rationem
16. *audivimus*] V. G. audimus
24. *cenfet*] G. fenfit
28. *claffium*] L. G. claffis
42. 2. *dicebant*] L. prædicebant
11. *Palyidum*] V. M. Polybum
19. *Druidæ*] M. L. Druides
43. 3. *Jamidarum*] V. Janudarum
Cluditarum] V. M. Glutidarum
17. *Etenim*] V. G. ut enim
25. *oftentorum*] L. portentorum, M. extorum
44. 5. *Telmeffes*] V. Telmeffenfes
13. *qua*] M. L. in quo
27. *incubabant*] V. G. excubabant
45. 15. *defluxit*] G. effluxit
21. *quamque*] V. quanquam
46. 5. *perfugiffe*] M. L. G. profugiffe
9. *folutare*] V. falutaris
16. *vidimus*] M. L. videmus.
25. *adverfus*] V. G. exadverfus
47. 1. *obfervitaverunt*] M. L. obfervaverunt
12. *fumma*] V. fumma cum
majores] L. majores noftri
13. *omen*] V. M. omnes
14. *ominum*] G. omnium
16. *vefperam*] M. L. vefperum
18. *animadvertit*] V. animum advertit
48. 15. *aut aufpiciis*] V. delet.
49. 2. *unda*] L. undas
15. *hinc*] V. hic
16. *fervat*] M. L. fervans
17. *fervans*] V. M. L. fervat
19. *omnibu'*] M. L. omnis
ult. *timebat*] V. timebant
50. 23. *libetot*] M. L. delibatos
51. 4. *fluxiones*] L. eluviones
&] M. L. ut deflagrationes
21. *ex*] V. in
52. 19. *Publicius*] V. Publius
25. *fomnis*] V. M. fomniis
liberque] L. liber a fenfibus, atque ab omni
29. *potionibus*] M. potationibus
33. *Antiphonis*] M. L. Antiphontis
ult. *enim*] L. enim harum rerum
53. 5. *materia deinde*] V. G. materiave
19. *eafdemque*] V. delet, *que*
23. *modo. Nam*] V. modo. Nam non
32. *infcientia*] M. infcitia
54. 45. *quocunque*] M. L. quo
55. 6. *cernit*] L. cernet
7. *fomnis*] V. fomniis
12. *dæmanion*] L. dæmonium
23. *fuum*] M. L. G. delent.
28. *deterreri fe*] M. perterreri fe
57. 5. *modo talis*] V. G. mortalis
6. *falles*] V. G. fallat
58. 5. *quid*] M. L. aliquid, aut voveant, haud
19. *apparuerit*] M. apparuit
59. 4. *dicat*] G. dicat
15. *poffint*] V. M. poffunt
32. *exclufa*] V. exclufam
64. 14. *conjunxerint*] V. conjunxerunt
15. *in eundem*] V. eundem librorum numerum
17 *alacri*] M. acri
75. 8. *mea*] G. mei
17. *procuratione*] G. procreatione
66. 4. *num nefcio*] M. L. G. delent *num*
26. *confuluit*] V. confulit
33. *aut*] M. L. autem
ult. *apus eft*] V. delet, *eft*
67. 16. *quidam*] M. L. quidem
69. 7. *incurrat*] M. incurrit
16. *fi*] M. L. fi ea quæ funt
21. *fin* L. fi

70. 3.

70. 3. *accessarium*] M. L. familiarem
17. *num*] V. non
23. *ista*] V. delet.
72. 2. *scisset*] V. sciret
7. *Pampejana*] G. Pompeja
73. 14. *experiamurque*] M. L. experiamur itaque
21. *artificiosæ*] V. artificiosa
74. 2. *primmns*] M. L. primo
3. *esse*] M. G. delent.
12. *Quam*] M. ecquam , L. at quam
75. 10. *hac*] V. L. hæc
27. *exquirimus*] L. exquisivimus
76. 28. *cognatione*] V. G. conjunctione , L. cogitatione
77. 5. *impetrire*] V. M. impertire
11. *tato*] V. tota
20. *immolataris*] M. L. immolantis
24. *igitur*] M. G. delent.
25. *subita*] M. L. subita
78. 2. *adspexis*] V. L. adspexerit
32. *casum*] V. G. casus
79. 10. *impertire*] V. impertiri
21. *conjectura*] V. G. conjecturaque
28. *hominum*] L. homines
31. *nefas*] L. nefas esse
80. 3. *fuit*] M. L. fuerit
8. *id*] M. L. omittunt.
12. *sint*] V. sunt
21. *jecit*] L. jacit
81. 11. *premerem te*] M. L. pugnarere
causas] M. L. causam
18. *scamoneam*] L. scammoneæ , aristolochiæque
23. *possunt*] V. G. potuerunt
82. 9. *reservatuc*] M. L. servatus
13. *Venereum*] M. L. G. Venerium
28. *de fulguribuc*] M. L. G. delent , *de*
83. 9. *ante*] M. L. autem
84. 9. *depugnari*] M. L. pugnare
85. 1. *uno*] M. L. unum in locum
16. *utile*] V. omittit.
18. *quid*] M. L. qui
86. 6. *tu*] V. tum
8. *salent*] V. G. solerent
20. *russis*] M. rursus
87. 17. *vosissent*] V. nocte essent
19. *diem*] M. L. diem &
22. *corrasuc*] V. G. rosus
30. *poteris*] M. L. G. potes
88. 5. *quæram*] M. L. quæras
18. *circumiectus*] M. circumvectus , L. circumnexus
20. *esse portentum*] V. esse , quod fieri posset , portentum
28. *emiserit*] V. emisit
89. 18. *panetrabat*] V. G. penetraret
25. *formavic*] M. L. firmavit
90. 2. *pœna*] V. pœnis
18. *cecidisse*] M. L. accidisse
21. *ad*] M. L. apud
22. *responderinc*] M. L. G. responderunt
91. 2. *ejus*] V. delet.
15. *coranam*] M. L. coronam extitisse , quam herbarum concep.
92. 3. *quanda*] V. cum
93. 10. *videbitur*] M. L. videtur
19. *ossa*] M. L. ossa jam
20. *nuntiatur*] M. L. G. nuntiant
94. 3. *jam*] M. L. jam vero
17. *comitiorum*] G. delet.
32. *aga*] M. L. & ego illius
95. 17. *fiat*] L. fiat , ne
24. *potuic*] M. L. poterat
96. 3. *hostem*] M. L. & hostem
97. 9. *possint*] V. G. possunt
22. *alia*] M. L. G. aliter
98. 3. *prærogativam*] V. prærogativum
29. *insculptac*] V. insculptis
ult. *notic*] M. L. notas
lacuc] L. lucus
99. 3. *eodemque*] M L. delent , *que*
6. *eaque*] L. in eamque
11. *amnia*] V. omnia cum
19. *omittamus*] M. omittemus
100. 7. *in astrologia*] L. delet , *in*
16. *vocantur*] V. vocentur
18. *nascatur*] M. L. G. nascitur
19. *nominont*] V. nominent
101. 10. *cum*] V. cur
27. *sint*] M. L. G. sunt
102. 19. *sunt*] V. sint
22. *sentiant*] V. sentiunt
103. 8. *atque medicina*] M. L. G. aut medicina
104. 1. *cecidernnt*] V. ceciderint
3. *singularec , num*] L. singulares nati sunt , num
ult. *ac*] V. hæc
105. 19. *hominem*] L. hominum
26. *sciemus*] M. L. scierimus
35. *autem*] M. L. G. delent.
106. 12. *efficiatur*] V. M. L. efficiatis
15. *plausu*] M. L. applausu
26. *negant*] M. L. negant enim id
majestatc] M. L. majestatis
30. *sint*] M. L. sunt
107. 3. *homini*] M. L. homini , sed
5. *divinatia*] L. divinatio . Sed fac dare , quod

26. *aliquid*] M. aliquid in divinatione dixerit, L. aliquid in divinatione vere dixerit
27. *fit*] M. L. eft
30. *mibi*] M. L. mihi quidem
108. 1. *præfumptio*] V. præfenfio
4. *dico*] L. dico effe
6. *tum*] M. L. quod
10. *naturam*] V. G. naturam effe
23. *quadam*] V. M. G. quædam
ult. *verfus*] L. verfuum
109. 5. *Q. Ennius*] V. M. G. quæ Ennius
6. *eft*] L. eft adhibentis diligentiam, non furentis, non
110. 15. *utrum*] L. verum
22. *unde*] L. unde hæc
26. *referenda*] V. deferenda
111. 11. *amphiboliam*] M. amphibologiam
17. *ut modo*] M. L. G. jam ut
19. *qua*] V. quod
112. 14. *Jam*] M. an
20. *femet*] V. G. fene.
113. 8. *tollimet*] M. L. collimet
10. *famniarimus*] M. L. fomniamus
30. *Qui*] V. M. Quid
116. 3. *omnium*] L. ad omnium
4. *ftertentes*] V. ftertentem aliquem
29. *explanatorem*] M. L. explanationem
117. 22. *qui*] V. G. quis
118. 19. *præfule*] M. L. præfultore
119. 9. *fugere*] M. L. effingere
10. *informata*] M. L. formata
17. *eaque*] M. L. atque
120. 2. *apparuit*] V. apparuerit
4. *cafu*] M. caufa
6. *non eft*] V. G. non effe
24. *nonnullas .... dicunt*] G. nonnullæ .... dicuntur
etiam] L. etiam funt
121. 16. *avi*] V. M. avis
17. *equidem*] L. eidem
vera] V. G. Baro
122. 15. *derogant*] L. derogent
16. *confirmant*] L. confirment
123. 7. *cognitione*] V. cognatione
12. *factumve*] V. factumque
125. 1. *quas*] V. G. quod
126. 12. *folebat*] M. folebam
14. *otia*] M. L. otio dicta funt
15. *actis*] M. L. acceptis
128. 4. *naufraga*] M. naufragio
6. *funt*] V. L. funt quidem
7. *ex*] M. L. G. de
129. 17. *contagione*] V. cogitatione
19. *videmus*] M. videamus
21. *differunt*] V. differant
130. 6. *pertinet*] M. pertinet, & operatur aliquid
11. *alii*] L. alii a
22. *cogi*] L. colligi
23. *rem res*] G. delet, *rem*
131. 4. *Megareum*] M. L. G. Megaricum
22. *qualibufnam*] L. quibufnam
23. *Percepta*] M. præcepta, *& ita femper.*
132. 1. *Sint*] M. L. G. funt
133. 7. *editum*] V. edictum
134. 5. *ita fua*] G. in fua
7. *dicant*] V. L. dicent
17. *Si*] V. G. delent.
135. 6. *dicere*] M. L. dicere, fi
17. *fieri*] L. fieri poffe
137. 3. *manantibus*] G. mutantibus
12. *converti*] V. convertere
139. 11. *Hinc*] M. id L. hoc
14. *poffe*] M. delet.
140. 9. *ipfa*] L. ipfa item
12. *a Phyficis*] M. Phyfici
26. *ita*] L. ita ut
141. 6. *everfa*] V. M. omittunt.
10. *fuerint*] V. fuerunt
142. 4. *nihil eft omnino quod agamus*] V. G. nihil omnino agamus.
6. *adhibueris*] M. G. delent.
13. *ne*] M. L. non
143. 8. *At*] M. L. G. ac
144. 21. *Oedipode*] M. L. Œdipo
22. *præpofitis*] V. M. L. propofitis
145. 5. *anguftiis*] V. L. anguftiis
16. *dicetur*] V. dicitur, M. L. diceretur
22. *infinite*] M. L. in infinitum
146. 4. *an*] M. aut
quo aliquid] M. L. eum aliquid
5. *quoniam*] V. quia nulla earum rerum fua vi efficit id cujus
10. *infula*] M. L. infula Lemno
13. *Philoctetes*] V. G. Philoctera
24. *infcientiam*] V. M. infcitiam
25. *eloquenda*] G. loquendo
147. 12. *ferire*] M. fe ferre
149. 22. *quid afferri*] V. delet, *quid*
150. 13. *quoniam*] M. L. cum
19. *aliud*] M. L. illud
20 *rebus cum*] L. delet, *cum*
151. 2. *enim*] V. G. delent.
6. *Aut*] L. delet.
7. *declinent*] V. declinet
23. *gravitate*] L. gravitate deorfum
24. *feratur*] L. feratur deorfum

155. 5. *quercus*] M. L. delent.
10. *vocent*] V. vocant
11. *hoc*] V. hæc
15. *responderis*] M. respondeas
certeno] V. M. G. omittunt, *ne*
18. *verumne sit*] M. L. G. hæc omittunt.
156. 18. *qui*] V. qui tuis
157. 5. *ætati*] V. M. G. ætate
11. *numerem*] M. L. memorem
158. 10. *capiatur*] V. G. capiat
17. *illummet*] V. illum &
13. *quæ*] V. M. L. quem
159. 1. *orsus*] V. M. orsus, si
4. *cessionem*] M. cessationem
11. *noscat*] L. agnoscat
160. 12. *vocat*] M. L. revocas
17. *pergimus*] V. pergamus
22. *egone?*] V. M. ego memini
23 *responsitore*] M. L. respondere
26. *quanquam*] V. M. quam
ult. *incognitum*] L. incognitum minus est in usu, minusque necessar.
161. 7. *te*] M. L. te satis de
15. *disputat*] V. disputans
20. *disputandi*] L. disputationis sic patefieri
21. *honeste*] V. M. honesta
162. 6. *explicanda*] M. G. explicata
163. 1. *nomine*] L. nomine *suo* a
11. *omnibus*] V. compluribus
15. *sapientius*] L. aptius
164. 3. *ab eo*] M. L. a Deo
16. *summo*] M. L. G. supremo
165. 13. *Ut jam*] V. M. L. unde etiam
166. 1. *animum*] L. G. animum tamen
2. *genus*] V. gens
24. *etiam*] V. &
167. 5. *speciem*] V. specimen
168. 24. *sunt*] L. delet.
169. 13. *pravitatibus*] V. M. pravis actibus
15. *est*] V. G. omittunt.
16. *Lenitate*] V. lævitate
18. *inscitia*] L. inscientia
21. *propterque*] V. M. propter quam
170. 13. *dicam*] L. dico
171. 3. *a natura*] L. ab honestate
5. *Unde est*] V. M unde enim illa
10. *differat*] M. afferat
172. 1. *autem*] M. L. autem loco
10. *distincteque*] V. defecta
13. *Et*] L. Aut
17. *vires*] L. vires, & ad
21. *duxerunt*] L. dixerunt
173. 13. *nimias*] L. miras
18. *ubi sunt*] M. ut sint
ult. *a natura jure aliquo*] V. a natura jura aliqua
174. 4. *at*] L. G. aut
9. *&*] M. L. vel
deserto] V. deserto aliquo
13. *facit*] L. faciet, & metietur
14. *acturus*] L. facturus
20. *scita*] L. sita
175. 12. *confirmatura*] M. L. confirmatum
ult. *potestas*] M. L. potentia
176. 6. *naturæ*] V. M. L. naturali
7. *dijudicantur*] V. M. G. dijudicatur
11. *posita*] M. ponere
177. 3. *aliter*] V. M. L. aliter quam
6. *opin.*] M. L. in opinionibus
9. *natura*] M. L. in natura
ult. *cernimus*] V. cernuntur
178. 1. *ratio*] V. L. oratio
12. *expetit*] G. exprimit
14. *sua sponte*] M. L. suapte
15. *expenditur*] M. L. expetitur
179. 7. *notatum*] V. M. L. multatum
14. *percipi*] M. L. perspici
20. *virtute*] V. G. virtutem
22. *postremo*] M. L. nam
180. 3. *apiscendi*] L. asciscendi, G. adipiscendi
4. *doctissimos, sed*] V. doctissimos. *M.* sed
7. *Quia me*] G. quoniam
8. *pro consule*] M. G. proconsul
19. *Ain'*] M. an
181. 2. *nihil*] V. omittit.
13. *Qui*] V. G. Quin
20. *dixerunt*] V. G. dixerant
21. *item*] V. itemque dedecus illi
181. 3. *sed ex iis tres*] L. sed nos tres
6. *pegerit*] V. M. pepigerit
183. 1. *aut*] L. aut ducem
6. *simus*] V. L. sumus
184. 4. *vero*] M. L. vere
185. 2. *coierit*] V. conjecerit
18. *ducuntur*] M. G. dicuntur
21. *judicandi*] M. G. judicio
186. 4. *laudes*] M. L. laudis
9. *nosse*] M. L. noscere.
12. *hoc pertinet*] M. L. G. hæc pertinent
17. *vero*] M. revera
ipse] L. recte
187. 2. *ambulatum*] M. L. deambulatum

4. *opinor illi*] L. opinor hoc illi
8. *aut ſcribo*] V. M. L. aliquid ſcribo
9. *primum*] V. G. potiſſimum
ult. *Nilos*] M. G. tubos
188. 3. *requietem*] V. L. quietem
5. *idque*] V. itaque
14. *hinc*] M. L. hic
antiq.] V. M. L. antiquiſſima fumus
15. *genus*] G. gens
189. 4. *Equidem*] M. L. & quidem
6. *idem*] L. quem
7. *Numquid*] V. M. L. numquid vos
12. *Itaque*] V. ita
ortu] V. ortus Tuſculano eſſet, civitatem Romam
15. *juris*] L. civitatis
17. *ducimus*] V. M. L. dicimus
190. 10. *videor*] V. M. videam
12. *Etenim*] V. M. G. ut enim
14. *quod*] L. quoad
a1. *quemadmodum*] V. M. G. quam
a3. *Thyamis*] V. M. G. Thebanus
25. *Amaltheo*] L. Emaltheo, G. Emathio
28. *ego*] L. ego me
191. 1. *Arati*] G. Aratio
a. *a cæteris*] M. L. G. delent, *a*
9. *recta*] V. recte
23. *parvis*] L. pueris
192. 17. *item*] L. item perfecta lex eſt cum in homine eſt perfecto
perfecta] G. perfectum
19. *deſcripta*] V. deſcriptæ, M. L. ſcriptæ
favore] G. ſi favore
23. *hominum*] M. L. omnium
conditas] G. inventas
a4. *ſanxerint*] M. L. ſanxerunt
193. 6. *legendi*] V. M. L. colendi
7. *Quo ſi*] V. Quod ſi quo
8. *careat*] V. careat, & ob
9. *id eſtne*] V. idemne
14. *perniciose*] V. M. L. pernicioſa ... peſtifera
16. *aliqua*] V. M. L. aliquas
194. 8. *conſcripſit*] M. L. cum ſcripſit
id] L. item
195. a. *jam*] G. delet.
4. *geri*] M. L. geri judicio, G. vi, ditione, ac
9. *& a*] V. aut a, L. & vera
1a. *aut eo*] G. aut ut ea
16. *cogant*] V. cogunt
qui] V. neque
a6. *& in hoc*] L. & hoc

196. 13. *delubra*] L. delubra in urbibus
197. 1. *patrumque*] V. patriæque
a. *habiti*] L. habiti ſunt
endo cælo] V. M. L. in cælum
11. *ad dies*] V. M. G. addes
fætuſque] V. fœturæque
198. 5. *fiant*] M. L. G. fiat
199. 5. *infectaque*] G. infeſtaque
ult. *duo*] V. M. omittunt.
diſceptanto] V. M. diſceptatio
200. a. *doceto*] M. G. docento
5. *fiant*] V. M. L. fient
8. *eſt*] L. eſto
10. *moderanto*] L. moderantor
a01. 4. *Caute*] M. L. ſancte
a0a. 13. *uti*] V. M. ut & tu, G. ut ei
aa. *ut caſto*] G. ut caſta corpora adhibeantur
24. *vaneſcere*] L. evaneſcere
25. *omnibus*] V. M. manibus
203. a. *adbibito*] G. addito
14. *domus*] L. domicilium
a1. *oportere*] V. M. L. oportere, deos omnia cernere, Deorum omnia eſſe
24. *veluti qui*] V. M. veluti quo infans eſſet maxime religioſus
28. *Larum*] V. M. patrum
29. *ſervare*] V. M. ſervari
204. ult. *Vice poetæ*] G. Vicepotæ
205. 6. *Fors*] V. M. forum
11. *compoſitor*] V. M. L. compoſitio
206. 9. *focus*] L. G. focum
11. *conſpecta*] L. G. complexa
12. *advigiletur*] L. advigilent
207. 2. *publice*] V. publicis
11. *jus*] L. munus
12. *cum*] V. M. cum eſt auctoritati
13. *exiſtimare*] V. exiſtimari
15. *poteſtatibus*] V. M. poteſtatibus comitia tollere, & concilia
17. *Alio die*] V. M. aliter, G. alium
ult. *Titiam*] V. M. etiam, L. Tetiam
208. 1. *conſulis*] V. M. L. conſules & augures
a. *foris*] V. familiæ
4. *fateorque*] M. L. fateorque omnia
8. *divinare*] V. M. divinari
a0. *Polyidi*] V. M. G. Poletis
209. 8. *dupliciter*] V. L. duplex
15. *jus ut*] L. delet, *ut*
a3. *excepto*] V. expectato
ult. *veſtri*] V. M. G. noſtri
210. 4. *videntur*] V. videantur
5. *vita*] L. vitam

10. *in*

10. *in nocturnis*] M. G. innocentes
211. 8. *dii peregrini*] V. de peregriuis
ult. *constitutis*] L. constitutæ
212. 15. *Ego*] V. ego autem
16. *compleri*] V. M. L. complecti
17. *severitate*] L. severitatem jucundam
20. *illapsa*] L. illapsa in
ult. *fidibus*] V. M. fidibus inde demi, L. fidibus incidi
213. 14. *Soles*] V. L. solem
214. 4. *Omnia*] M. L. omnia autem
5. *religionum*] V. regionum
7. *Circumsp.*] V. M. circumspicit hæc celeriter animus
24. *Quorum*] V. M. Quo, L. Quorum autem
25. *distracti*] V. M. distractæ ac dissipatæ
27. *vita*] L. vita cum cruciatu atque dedecore privati sunt
28. *etiam*] V. &
exequiarum] M. L. exequiis
215. 8. *cupiditate*] L. cupiditatum æstu, tum conscientia, quidquid
11. *jam*] L. jam me, &
12. *habeo*] V. M. L. habui
13. *ponam*] V. pœnam Erebi, M. pœnam merui, L. ponam brevi
14. *divinam*] L. divinam & humanam
15. *ea*] L. ex
19. *domiciliorum*] V. M. domicilium sacrum
22. *inani*] L. inanimo
25. *quodque*] L. quod quis
ult. *ne*] V. M. nec
216. 8. *subigendam*] V. G. subjiciendam
14. *Vero*] V. M. vera
19. *quæque*] V. M. quæque res & ars
24. *videantur*] V. M. videatur
26. *ars*] L. ars est
29. *Sæpe, inquis*] V. M. at, inquit
ult. *ulla*] L. luminum? Ergo
omnino] V. M. omnino si
217. 8. *Hoc*] V. M. hic posita, L. hoc posito
auctoritate] V. M. auctoritatem, L. auctoritates
consecuta] consecutæ
10. *iis essent*] V. M. & iis esset, L. & ut iis essent
19. *cum*] V. M. cum moriturus acceperit
218. 2. *hereditate*] M. L. G. hereditatem
3. *si inde*] M. L. aut si inde
5. *pontifices*] V. M. pontificum
6. *sacris*] V. M. sacto
7. *dant*] L. addunt
13. *insciente*] V. M. L. inscio
8. *approbat*] L. approbavit
ult. *solvat*] L. solvat, tantumque stipuletur ab herede, quantum legatum est: propterea
219. 8. *si vos*] V. M. usibus tantummodo pontificis esset, si pontificalis
10. *illam*] M. L. G. illa
12. *caperet*] V. caperent
16. *liberaretur*] V. liberarentur. *A.* Quid, si hic qui
17. *noluisset*] M. voluisset
19. *Superiores*] V. M. G. super
qui quid] V. M. L. quidquid
220. 7. *denicales*] V. Delphica lex
8. *quia*] V. M. qua
residentur] V. resident, M. residunt
11. *Eas*] L. quas
jus] V. jus ut nec, M. jus ut neque, L. jus est quibus
221. 1. *Lare*] L. Lari
2. *terra*] L. terra
quæque] L. quæ
5. *at*] L. ac
11. *usam*] V. M. humatam
222. 2. *timens*] L. timens ne ... posset
6. *incensum*] L. cessum est
11. *gleba*] V. M. gleba tumulis & humatus, L. gleba, tum his & humatus est, & tumulus vocatur
15. *extaret*] V. M. extare, L. extaret citra porcam
esse] V. M. esset
16. *contractam*] V. M. L. contra censet habendas
porco] L. porca
17. *pati*] L. dandum
26. *sunt*] V. M. L. sunt. *M.* Claros viros credo
223. 12. *minuendi*] L. de minuendo sumptu, lamentationeque funeris, translata sunt
ult. *& vinculis*] L. & clavis purpureis
224. 2. *radunta*] L. carpunto
5. *L. Ælius*] V. M. Lælius
9. *discrimen*] V. discrimen morte
ult. *quibus*] V. M. quæ
225. 8. *sanctum*] L. sancitum
ult. *excipit*] V. M. excipiae
226. 7. *videtur arcere*] V. M. G. veretur acerbum

8. *fo-*

8. *forum*] V. H'ρῷον
bustumve] L. bustive
11. *dominusque*] V. M. domusque
13. *memoranter*] G. memorentur
cantu] V. M. ad cantus ad
14. *prosequuntor*] V. M. prosequantor, G. prosequetur
Græci] V. M. Græcos, L. a Graccho, G. Graccho
15. *nominaue*] L. G. nominantur
227. 3. *hoc jus*] L. corporis
4. *invecerant*] M. fecerant
7. *inibant*] V. inirent propinqui
9. *confecta*] V. M. G. conjecta
13. *alia*] V. M. G. illa
14. *radunta*] L. carpunto
21. *sanctum*] L. sancitum
228. 2. *sumptum*] V. M. L. sumptus
5. *quid*] L. quidpiam
19. *ne plus*] M. L. G. omittunt.
heroicis] G. herois
29. *hæc*] V. hoc
30. *spera*] L. ut spero
229. 2. *Id enim*] M. L. G. idem enim
231. 6. *diri*] M. G. dici, nihil aliud
232. 11. *adversentur*] L. adversantur
16. *coerceta*] V. M. L. coercento
233. 9. *tuenta*] L. tuentor
15. *Huic*] V. M. L. huic potestati parento
234. 6. *escunt*] V. M. escunto
œnus] L. unus
si] L. nisi
8. *Equitem*] L. equitatum
9. *pari jure*] L. par jus
10. *consul is*] L. consulatus
magisterve] M. L. magistratusve
ult. *comitiatu*] M. L. comitiis
235. 14. *curatore*] V. M. cohærario
œsus] L. usus
15. *cœret*] V. M. cohæret
cœrandi] V. cohærendi, M. coercendi
236. 2. *plebes*] V. populus, M. plebs
3. *œsus erit*] V. M. sensus erit, L. censuerint
7. *Ast qui*] V. ast quid, L. si quid
8. *actoris*] M. auctoris
12. *patiunto*] V. M. L. patiuntor
237. 1. *censoris*] V. M. L. censores
fide] L. fidem legis
2. *Privati*] V. M. L. privata
4. *disce rem*] V. M. discere, L. discedere
9. *libris, &*] L. libris illis, &
temperationem] L. temperatio
11. *præsint.*] V. M. L. præsunt
13. *reip.*] V. M. in republ.
15. *non*] V. M. L. non modo
ult. *libris*] V. M. L. libris, quod faciendum fuit cum
238. 8. *ab hac*] L. ad hanc familiam
18. *preduxit*] V. M. perduxit
239. 4. *fuerat*] V. G. fuerit
11. *quo*] L. quod
20. *reapse*] V. re hac, M. hac re
240. 7. *decedatur*] L. G. discedatur
11. *nostra*] L. nostra est
18. *ablegatus*] V. M. G. legatus
20. *tempore*] V. M. L. tempore nescio quo pacto
ult. *recreatus ... natus*] L. recreatus ... renatus
241. 4. *sunt*] V. videntur propter vetustatem
9. *ruinis*] V. M. G. ruinis
iis ficis] V. M. emissitiis
22. *reperiri*] V. reperire
ne] M. L. nec
242. 5. *auxilii*] V. M. L. auxilium
12. *vituperia*] V. M. L. vituperabilis
ult. *nectus*] V. M. vetitus, L. nexus
243. 7. *creantur*] V. M. L. crearentur
8. *etiam*] V. M. L. &
9. *plebes*] M. L. plebs
16. *plebs*] V. plebes
26. *pepulisset*] L. perculisset
si tribunus] V. M. tribunitia, quæ
244. 17. *Nunc*] V. M. non mehercule
245. 11. *lex*] V. M. lex; sed & altera
20. *quisquam*] G. unquam
26. *alium*] M. alium cæteris
246. 6. *Non*] M. L. nonne
16. *fuerint*] M. L. G. fuerunt
17. *extiteris*] M. extiterat
18. *secutam*] M. L. G. secuturam
24. *sed etiam quod corrumpunt*] G. hæc delet.
29. *illis*] M. L. aliis
247. 2. *Tite*] V. M. L. Attice
4. *aut*] V. M. L. aut de
aut lege] M. quin in lege, L. itemque in lege
sciscenda] L. ferenda
14. *Quis*] V. M. G. Qui
18. *voces*] M. L. vocis
22. *rationi*] L. rogationi
248. 1. *omni*] V. M. L. omnis
12. *fluctus*] V. M. fletus

249. 2. *ab*

249. 2. *ab hoc*] V. G. delent, *ab*
9. *potestatem*] M. L. potestate
12. *valeant*] L. valeat; & utatur
15. *tolleret*] M. L. tollat
20. *tantum*] V. M. tamen
23. *ipso .... in quo*] V. M. L. ipsa .... in qua
250. 11. *Actor*] M. L. auctor
& fingit] V. & effingit, M. effingit.
12. *mentem*] L. mentes
13. *quod*] M. quod si in
19. *peccante*] V. M. L. spectante
251. 12. *de Cn.*] M. designatn
23. *meminisse*] L. meminisse se
252. 5. *est*] L. esse, &
8. *consilii*] M. L. auxilii
12. *capitis*] V. M. capitis, neque
16. *latrones*] V. patroni
18. *Sequuntur*] M. sequitur
253. 7. *locus*] M. locus tamen
ipse nos] V. ipse te
14. *lego*] L. peti
15. *plerosque*] V. M. quosque
17. *quoniam*] V. M. L. cum
19. *potestate*] L. potestate eorum & jure
20. *nam*] L. nam hac de re
21. *tuum*] V. M. suum
22. *cogitare*] V. M. cogitari, L. cogitabimus
23. *nos, atque .... debemus*] L. nos quæ .... debeamus
256. 20. *genus*] M. genus id
257. 7. *ordiri*] M. exordiri
15. *eoque*] L. eoque & colendo ... & negligendo
21. *pervertunt*] V. pervertant
sic instituit] G. delet, *sic*
24. *vincatur*] M. vincatur, fit ut neque
ult. *sunt*] V. L. sint
258. 10. *Sequemur*] V. G. sequimur
13. *quantum, quoque,*] G. quantocunque
18. *disputetur*] V. disputatur
259. 3. *confirmari*] L. conformari
260. 4. *perfectum*] M. L. perfectum autem
5. *dicant*] V. dicunt
11. *distrahatur*] V. M. L. distrahatur in deliberando
261. 13. *Hac*] M. L. hac in
22. *tributum*] L. attributum
24. *quæ sint*] G. quæcumque ad vivendum sint
26. *item*] V. L. G. autem
262. 4. *quod*] V. quoniam, M. L. qui
5. *causas*] M. L. principia & causas
progressus] L. prægressus
7. *& rebus*] V. M. L. rebusque
9. *Eademque*] L. eadem
20. *addiscere*] M. ac discere
ult. *ad beate*] M. L. ad bene beateque
264. 7. *implicata*] M. G. implicita
9. *prima*] V. G. primo
265. 6. *assentiamur*] M. G. assentiamus
7. *debent*] M. debebunt
15. *dialecticis*] M. G. dialectica
16. *gerendis*] M. L. agendis
24. *versatur*] V. M. L. versabitur
266. 3. *beneficentia*] G. beneficientia
ult. *ut*] M. autem ut
267. 7. *ortusque*] M. sed ortus
partem] M. partem patria, partem parentes vindicant
8. *atque ita*] V. M. G. atque ut
11. *mutatione*] L. mutuatione
19. *credamus*] M. L. G. credamusque
24. *manus*] M. manus violenter afferre
non] V. nec
268. 1. *aut amicos*] G. aut socios
8. *tum*] G. cum
19. *gloriæ*] V. M. L. gloriæve
20. *inciderint*] G. inciderunt
22. *possint*] V. possunt
25. *temeritas*] M. tempestas
269. 16. *videndum*] L. verendum
20. *ducant*] V. putant
Nam] V. M. Nam dum alterum
270. 7. *qui*] M. L. qui dum
271. 5. *dubitatio*] M. dubitatio autem
9. *depositum*] V. M. depositum, etiamne furioso?
12. *sit*] L. fit
proposui] V. L. posui principio
15. *& ... est*] M. ur ... sit
21. *scribitur*] V. dicitur
272. 2. *cui*] M. cui quidem
majus non anteponi] M. L. G. majus damnum anteponi
12. *sed*] M. L. &
273. 1. *Nec*] V. L. ne
probandus] M. L. probandus est, si
4. *finibus*] M. L. finibus agri a
16. *posthac*] M. posthac committat, &
23. *non*] V. M. L. nec
27. *aliquid*] V. M. illos
274. 6. *confugient*] V. M. L. confugiunt

23. *Tem-*

13. *Pompilius*] M. L. Popilius
18. *pateretur*] V. patitur
275. 9. *mitigante*] L. mitigatam
13. *bella*] V. bellum
14. *appellari*] M. L. appellare
276. 3. *nec cauponantes*] Qui versus hic legitur secundo loco, Grutero quintus est: qui tertio, illi secundus: qui quarto, illi sextus: qui quinto, illi tertius; qui sexto, illi septimus: qui septimo, illi quartus.
277. 2. *etiam*] M. L. &
4. *operam*] M. ad operam
8. *homine*] V. M. ab homine
10. *id*] M. id tamen
22. *si*] V. si ipsi in
23. *aliena*] V. alienam
25. *eripiunt*] M. eripiunt ab aliis
278. 15. *videantur*] V. L. videntur
279. 1. *illæ*] M. L. illæ vero
3. *moribus*] M. motibus considerentur. De
5. *diligimur*] V. diligamur
13. *annon*] L. G. an imitari
14. *afferunt*] V. efferunt
16. *Nam ... injuria*] V. Num injutia?
22. *animo*, *studio*] V. animi studio
24. *morbo*] V. M. L. modo
280. 2. *sint*] M. sunt
26. *ejus*] M. L. ejusdem
27. *multas*] M. L. potmultas
28. *comiter*] V. comiti
29. *quasi*] L. quasi de suo lumine lumen
facit] V. M. facit, ut
30. *lucet*] V. M. G. *luceat*
31. *præcipitur*] L. præcipie
32. *tribuatur*] M. tribuatur cuique vel
33. *aqua profluente*] V. M. G. aquam profluentem
281. 6. *lucet*] M. G. luceat
9. *infinita*] M. infinitate
11. *civibus*] G. civitatibus
14. *multisque*] V. M. G. multæque
15. *societatis*] M. societas
18. *commune*] M. L. commune omnium
26. *autem*] L. enim
32. *dicimus*] M. L. diximus
ult. *allicit*, *facitque*] G. alliciat, faciatque
282. 7. *ultro*] V. M. ultro citroque datis acceptisque, quæ
8. *illi*] V. M. G. delent.
11. *gravior*] V. M. gratior
19. *tribuendum sit*] G. delet *sit*
sint] M. G. sunt.
20. *maxime*] V. L. maximis
23. *quibuscum*] M. quibus
17. *amicitiis*] M. L. amicis
283. 1. *qui*] V. M. qui &
sunt quædam] M. L. G. suntque off.
13. *facimus*] M. L. faciamus
16. *aptum*] M. ottum
21. *probris*] V. probis
24. *illa*] V. M. L. Illaque vitgo viri
285. 19. *natura*] V. naturam.
ult. *cupido*] G. cupiditate
286. 11. *multarum rerum*] G. multarum aliarum rerum
287. 8. *removerint*] M. L. removerunt ... perfugerunt
16. *dixi*, *otiosis*] V. dixi otiosos
288. 5. *sit*] L. G. est
6. *admirantur*] L. G. mirentur
19. *nihilominus*] V. M. nihil minus
23. *Quæ eo*] V. delet *eo*
27. *efficienda*] V. efficiendi
289. 14. *ille vere*] M. G. ille adjuvit Them.
18. *Lacedæmoniis*] V. Lacedæmonis, M. Lacedæmoniorum
dilatatum] L. partum, G. *neutrum agnoscit*
19. *legibus*] L. cum legibus, & disciplina
21. *parentiores*] M. paratiores
290. *Parvi*] M. parva
2. *exscindenda*] V. M. excidenda
5. *ratione*] V. raiione, sed
6. *etiam*] M. enim &, L. enim etiam
14. *otium*] V. G. odium
291. 3. *Omnino*] M. L. omnino enim
5. *efficiendum*] V. efficiendum
10. *bellum*] M. L. bella
11. *nonnunquam*] V. nonnunquam autem etiam
15. *fortitudo*] L. delet.
18. *animi*] G. delet.
19. *præsenti animo*] G. præsentis animi uti consilio
28. *tempus*] M. L. tempus est
30. *valde*] M. L. valde illud
ult. *crudeliter*] V. M. crudeliter fiat
292. 1. *magni*] M. G. magnanimi
5. *calida*] M. callida
quietis & cogitatis] M. L. G. quietis cogitationibus

26. *fuiss-*

26. *fuisset*] M. esset
293. 1. *Arginussis*] V. M. L. Arginusis
5. *fuit*] G. delet.
11. *postque*] L. magisque magisque
13. *etsi*] V. M. etiamsi
17. *quæcunque*] V. M. L. quidquid
agunt] V. agant
26. *discordiæ*] M. discordiæ ortæ
294. 5. *mortemque*] M. delet, *que*
10. *administraret*] M. administret
295. 1. *putabunt*] M. putant ... censent
296. 4. *punitur*] V. M. G. punit
298. 10. *facilitate*] M. facilitate vero, &
12. *sumus*] V. M. simus
16. *soleant*] L. solent
21. *tribuenda*] M. L. tribuenda est
25. *tunc*] M. L. G. delent.
299. 11. *parta*] M. G. parata
nullo neque] M. nulloque
14. *pateat*] V. pareat
18. *una*] M. illa
31. *veri*] V. verum
ult. *injusta*] M. L. injusta omnia
300. 7. *idque*] V. id quod
8. *Ut*] L. & ut, M. ut enim
22. *intelligi*] M. intelligi a philosophis
27. *sepulcro*] V. M. L. sepulcrum
301. 1. *reliquarum*] V. M. reliquorum
18. *hominum*] M. omni
23. *primum*] V. primam habet vim
27. *consociationem*] M. societatem
302. 10. *agere*] L. agi
possit] L. possis
28. *fortuitu*] L. fortuito
304. 1. *vocant*] M. L. vocantur
4. *adhibetur*] V. adhibeatur
5. *omnia*] L. ludum
11. *belluis*] M. L. bestiis
antecedat] L. antecellat
24. *volumus*] V. L. volemus
305. 17. *oratione*] M. L. ratione
simulatorem] L. dissimulatorem
ult. *præcipere*] V. M. G. præripere
306. 1. *Themistoclem*] M. L. Themistoclem Atheniensem &
11. *Callicratidam*] V. Callicratidem
classi] V. M. classis
12. *quemque*] M. quidem videmus, L. aliquem
14. *idemque*] V. L. itemque
Mancia] V. M. Mancino
18. *ne*] M. nec non
307. 1. *tenenda*] M. tuenda
12. *universa*] L. cum universæ
20. *Num*] M. L. non
27. *fuit*] V. erat
308. 2. *perpeti*] M. perpeti ab alio
10. *Medumque*] M. L. Medeamque
11. *Rupilius*] V. Rutilius
13. *sapiens*] V. sapiens vir
17. *minimum*] V. minime
19. *sint*] M. sunt
23. *accommodamus*] M. accommodabimus
25. *eaque*] V. eaque omnia
30. *præstiterunt, ii*] M. præstiterunt, eorum plerique in hoc genere
309. 8. *majoribus*] M. L. parentibus
13. *cum est*] V. cui inest, M. cum inest
tum] M. L. tunc
17. *Nam quod*] V. namque
Prodicium] M. L. G. Prodicus dicit
24. *item*] V. idem
26. *parentum*] G. parentium
310. 9. *ei rei*] V. G. delent *ei*
10. *nobismetipsis*] L. nobismetipsi
14. *tanquam*] M. delet
17. *vivendi*] L. vitæ
20. *Eam*] M. L. eam igitur
311. 21. *inscientia*] V. M. G. inscitia
27. *si in ejusmodi*] M. G. delent, *in quidem*] M. L. G. quoque
312. 14. *ea fidei*] V. & fidei
20. *aliena*] M. L. G. alio
313. 7. *satis erit*] L. satis facile poterit
15. *turpem*] G. formam
314. 4. *adulterari*] L. adulterare
9. *approbatione*] M. comprobatione
fugiamus] L. refugiamus
10. *accubatio*] L. accubitio
16. *habet*] M. habet a
24. *ducere*] V. dicere
315. 1. *inepti*] V. M. L. ineptiis non vacant, &
16. *decori*] G. decoris
22. *eaque*] M. eademque
316. 11. *Nihil*] M. Quid fuit, L. nihil fuit
317. 5. *vero*] M. vero conditus, &
318. 4. *vicissitudinem*] M. vicissitudine nonnunquam utendum putet
19. *quomodo*] V. M. L. quoniam
ult. *conferemus*] M. L. G. conferimus
319. 4. *ut*] M. ut ea facere non videamur, L. ut ea facere videamur
6. *veniemus*] M. L. veniamus
9. *Magna*] L. magnam autem partem
17. *neque iis*] M. G. nec ab iis
26. *Palatio*] G. Palatino
ult. *attulit*] M. intulit

310. 3. *dignitas*] V. L. G. delent
5. *fus*] M. G. fua
17. *hanc*] M. hac parte
21. *omnem*] M. L. communem
transferenda] M. L. referenda
26. *ut neve*] L. ne
ult. *moderata*] V. G. moderanda, L. immoderata
321. 2. *tamen*] M. L. autem
10. *agentur*] V. L. aguntur aut dicuntur
322. 1. *harum*] M. L. aliis
3. *jamdiu*] M. jamdudum
7. *apta*] M. L. apta, & inter fe
13. *Atenim*] V. ait: at enim, L. atenim, inquit Pericles, M. atenim Pericles
14. *Atqui*] M. G. atque
15. *probatione*] M. approbatione
20. *infcientia*] M. G. infcitia
323. 7. *aliis*] V. illos, M. L. illis
vitemus ipfi] M. G. vitemus & ipfi
9. *corriguntur*] M. corriguntur illi
12. *afferunt*] L. afferant
17. *fabricantur*] M. fabricant
18. *vere*] V. M. veri
27. *Magnis*] V. magnis enim
324. 6. *ipfoque*] M. ipfo, quoque
14. *omniumque*] M. L. G. delent, *qua*
15. *enim*] V. M. L. enim in
16. *putandi*] V. putantur
17. *vendant*] L. vendant carius
19. *enim*] M. vero
22. *hue*] M. his
325. 4. *fic*] M. G. delent.
5. *contulerit*] L. contulit
6. *acquiritur*] M. exquiritur
8. *nihil*] V. M. nihil homine libero
326. 7. *ut in*] M. ut omnium .... copiis ditetur
327. 7. *cupidus*] L. cupidus perfpiciendæ cognofcendæque rerum naturæ
20. *rebus fuis*] M. in rebus fuis, L. rebus & fuis &
21. *Lyfis*] V. Lyfias
328. 6. *eamque*] V. eamque etiam, M. L. eam etiam
7. *eloquentia*] M. eloquentia vero
329. 15. *quidem*] M. G. delent.
20. *fequitur*] M. L. fequetur
23. *quid*] M. G. quod
27. *reliquis*] M. L. reliqua
332. 4. *perfequar*] V. perfequamur
8. *ex utilibus*] L. ex duobus util.
15. *gerebatur*] M. L. regebatur
30. *conticuerunt*] V. conticuere omnes
333. 6. *tempori*] V. L. temporis
9. *tamen*] M. tantum
15. *quam*] L. præter
334. 5. *quæritur*] V. L. G. ducitur
6. *Nullam*] L. nullam vero
9. *Si*] L. fin
11. *quædam*] M. quidem
17. *differere*] V. præcipere
20. *habeat*] G. habet
22. *modo*] M. folum
24. *non probab.*] M. L. improbabilia
27. *vitantem*] M. vitare
335. 9. *confecta*] V. M. perfecta
12. *ut honeftatem*] M. ut ab honefto utile fecerneret, & conftitueret
19. *idem juftum*] M. idem effe juftum
20. *perfpiciunt*] M. profpiciunt
21. *admirantes*] M. admirantes, eorum
27. *inanima*] M. inanimata
336. 2. *rationis*] V. M. rationis funt equi
3. *opere*] V. L. opera
5. *ponuntur*] V. L. ponunt
8. *item*] M. iterum
10. *his exceptis*] L. omittit.
13. *acceffiffent*] M. L. acceffiffet
26. *fubveniri*] V. M. L. fubvenire
337. 4. *unde*] M. non
opera] M. opere
quibus] M. quibus omnibus
6. *inanimæ*] M. inanimatæ
12. *eas*] M. equos
13. *eifdemque*] L. eis denique
eæ] V. M. ea
17. *ægris*] M. agris
19. *miniftrarent*] V. L. miniftrarentur
24. *effectumque*] M. effectumque eft, ut
29. *belli*] V. G. bello, M. in bello
ult. *Commemorantur*] M. L. G. commemoratur
338. 12. *ans*] L. &
16. *conciliare*] M. L. conciliare fibi
18. *in ufu &*] V. L. omittunt
339. 3. *ex qua quæque*] G. ex quoque
6. *congregamur*] V. L. congregemur
11. *patitur*] L. patiatur
14. *funt*] G. fint
16. *adverfas*] L. ad adverfas
27. *opibus*] M. operibus, L. operis
340. 3. *fortaffis*] M. L. fortaffe
4. *augendum*] V. agendum
7. *quemque*] M. L. G. & fi quem
8. *aut cui*] L. aut fi cui
9. *aut cujus*] L. aut fi cujus

22. *pro-*

22. *promiſſionibuſque*] V. M. G. promiſſioniſque
341. 2. *ſimilem*] V. talem
9. *timefacta*] M. tremefacta
342. 7. *metuentur*] M. L. metuuntur
343. 5. *opinio*] L. G. delent.
344. 2. *refugium*] L. perfugium
9. *in cives*] M. etiam in cives
15. *non*] M. non ſolum
univerſos] M. univerſas quoque
345. 9. *haſta*] M. haſta eadem
23. *ſatis a*] V. M. L. ſatis ſit a
346. 13. *nec*] V. G. delent
19. *capitur*] L. paritur
347. 8. *id eſt, bonis*] V. L. id eſt, viris bonis
28. *loquamur*] G. loquimur
348. 6. *quædam*] M. quidem
17. *cæteros*] V. cæteris
20. *dominæ*] M. L. dominæ, ſæpe
349. 3. *quædam res*] V. G. delent, *res*
15. *habeat ... poſſit*] V. habeat ... poſſit
350. 2. *aut eripit*] M. aut clam eripit
3. *relinquit*] L. relinquat
4. *occiditur*] M. L. occidetur, G. interficiatur
5. *relinquitur*] M. L. relinquetur, G. relinquatur
7. *partitionem*] M. portionem
Illyrius] V. M. Illyricus
14. *conſtituto rep.*] V. M. G. & inſtituta Reip.
21. *injuria*] V. injuriam tenuioris
351. 3. *propter*] V. L. per
7. *ſic*] L. ſic gloriæ & quærendæ & collocandæ ratio eſt
20. *numerum*] L. G. nomen
352. 2. *eum*] M. eo
17. *omni*] M. omnia
353. 4. *tum*] V. cum, L. tum a
7. *ſunt ... delegerunt*] G. ſint ... delegerint
15. *de Demoſthene*] V. L. Demoſthenem
16. *jam*] M. jam præmeditatum
354. 6. *filium*] M. L. delent.
8. *blande*] V. M. blando appellando ſermone deliniant
10. *excitat*] V. M. excitat gloriam. Magna
15. *plurima*] G. plura
17. *ſint*] V. ſunt
ult. *patrocinio*] V. L. patrocinii
355. 3. *cui*] V. cur
ſæpius] M. ſæpe
6. *Id*] M. L. Id enim tum
8. *nominetur*] L. nominere
12. *judicio*] M. L. iu judicium
356. 4. *ita*] L. item
religioni] M. religioni contrarium
19. *poſterior*] L. delet.
21. *utroque*] L. utraque
357. 1. *Quæ*] V. quod, M. quid
ratio] V. M. rationis
4. *ſperent*] V. M. putent. Quo quid ſordidius regi?
18. *cæperint*] M. L. cæperunt
358. 6. *quis*] L. qui
7. *idem qui*] M. L. iidem qui
15. *amicorum*] M. amicorum cauſa
359. 2. *hoſte*] M. L. hoſtibus
3. *primo*] M. primo auditu
4. *attenderint*] M. attenderimus
dare] V. dari
7. *delectatio*] M. L. G. delinitio
8. *breve*] M. breve tempus exiguumque duratura ſit, eaque a leviſſimo quoque animo; in quo
10. *colligit*] M. colligitur
14. *jam a*] V. M. L. delent, *a*
16. *tum*] V. tum etiam
360. 3. *Luculli*] V. M. L. Lucullus
8. *avaritiæ*] M. L. avaritiæ. Nam
13. *atque*] M. L. aut
16. *caritate*] M. L. addunt, *annonæ*
361. 4. *ſunt*] V. G. delent.
6. *pertinent*] L. pertinent. Nam
manum] M. L. manu
9. *non probant*] V. L. improbant
12. *vituperat*] M. vituperabat
13. *conjecerit*] M. conjecit
24. *non*] V. non ſolum ut
25. *ut*] M. L. ut ad
362. 5. *ſtudioſius*] V. ſtudioſiſſime
7. *hos ... plurimis*] V. G. his .... plurimos
20. *Conveniet*] V. M. L. convenit
22. *vicinitatibus*] M. L. in vicinitatibus
23. *cedentem*] M. L. concedentem
363. 1. *Eſt*] M. eſt etiam vehementer. L. eſt autem vehem.
2. *multum*] M. multa
13. *quod*] M. L. quam
20. *obſtringendos*] M. aſtringendos
ult. *toga dignitatis*] V. M. tota dignitate
364. 7. *quanto*] M. quam
11. *&*] V. aut
12. *conſuluntur*] M. conſuluat
19. *etiam*] L. autem

365. 3. *retulerit*] M. reddiderit
6. *aliquod*] V. L. aliquid
atque] M. G. æque
8. *& clientes*] V. M. L. aut clientes
10. *putet*] V. L. putat, M. putans
366. 5. *per inj.*] V. L. pro injuria
15. *ne*] G. non
C. *Gracchi*] V. Tib. Gracchi
[24. *male*] V. male dixit
ult. *Capitalis*] M. capitalis omnino oratio est, ad
367. 10. *enim*] M. enim alteri, L. enim alii
11. *tamen*] V. tantum
21. *reservasset*] M. G. servasset
tum] V. M. L. tunc
23. *Ne*] V. nec, M. ne
368. 4. *laudet*] M. laudetur
15. *digressa*] V. G. egressa
19. *oraculum*] M. G. oraculo
20. *avaritia*] V. M. L. avaritia esse
24. *se*] M. L. esse
27. *primum*] M. primum tollunt
369. 13. *ac*] M. L. at
20. *profecta*] L. profecta
25. *urbe*] L. urbem
ult. *iniquissimum*] V. iniquissimum esse
370. 4. *tenebantur*] M. detinebantur
14. *tenebant*] M. detinebant
16. *persuaderet*] V. M. persuaderent
25. *boni*] M. summi
26. *Habitans*] M. L. habitent
30. *emas*] V. emas tibi
371. 8. *sic*] V. L. ita
13. *ea*] L. tum ea
ult. *humilitatem*] M. imbecillitatem
372. 2. *belli*] V. bello
5. *persequuntur*] L. persequentur
9. *duo præterita*] M. L. duo præcepta prætermissa
13. *observatione*] M. observatione earum rerum
373. 17. *disputatum*] M. disputandum
ult. *persequemur*] L. persequamur
375. 4. *esse*] L. delet
9. *Itaque*] V. L. ita
11. *Vellem*] M. vellem &
21. *non*] M. nec
24. *ita*] M. itaque in, G. itaque qui
ult. *vel mea*] V. delet *vel*
376. 1. *enim*] V. M. L. tamen
14. *nostra*] L. vestro
15. *hæc*] M. L. hoc
28. *cum*] L. cum tibi

377. 6. *utile ne*] V. M. utile ne esset, an
12. *annis*] M. L. annos
14. *tactum*] M. tractatum
22. *plane*] V. plane fuerit
23. *relictum*] M. derelictum
30. *Cos*] M. L. omittunt.
378. 2. *persecutum*] L. persecuturum
5. *disputari*] V. M. L. dubitari
8. *vestris*] M. nostris
18. *utilitatem*] M. L. honestatem aliquando cum utilitate
379. 8. *modo*] V. modo : sed, M. modo esse potest
16. *comparentur*] M. comparantur
19. *item*] V. M. L. autem
usu evenit] V. L. usu venit
380. 1. *iidem*] M. quidem
2. *sunt*] V. M. L. sint
8. *aut duo*] V. aut cum duo
9. *justi nominantur*] M. L. G. justus nominatur
11. *sapientibus*] V. M. sapiente
17. *utilitatis*] V. M. L. utilis
18. *quod*] M. quodque
381. 11. *addubitare*] M. dubitare
12. *dubitationem*] M. addubitationem
19. *obstrinxit*] V. G. adstrinxit
24. *intelligimus*] M. intelligitur
ult. *vestris*] M. nostris
382. 17. *Ut*] L. ut enim
20. *est*] V. M. L. esset
383. 2. *resp. continentur*] L. G. resp. continetur
3. *liceat*] M. L. liceret
11. *excelsitas*] M. celsitas
384. 6. *anteponis*] L. anteponat
20. *rapiet*] M. L. G. rapiat
consortio] M. consociatio
387. 4. *Ita*] M. itaque
fungetur] V. M. fungatur
19. *peremisset*] M. prævenisset
388. 2. *volunt*] M. velint
11. *viderentur*) G. videntur
14. *in vitam*] V. delet, *in*
19. *nullius*] M. L. nullis
22. *venerunt*] V. venerint
23. *commoveri*] M. nos commoveri
389. 5. *re utilitas*] V. M. *re* utili & turpitudo
390. 3. *ex*] M. L. in
5. *profecimus*] V. perfecimus
10. *discessisset*] G. decessisset
18. *locum*] M. L. G. lucem
22. *exortus*] M. ortus
23. *nihil*] L. nihilo
26. *Atque*] V. atqui

391. 6. *pos-*

391. 6. *poſſet*] V. poſſent
18. *Collatino*] M. L. Collatino Tarquinin
ult. *ita*] L. item
392. 1. *ſolum*] M. ſnlum ſe
5. *neque ſatis*] L. nec ſane
14. *deripere*] M. ſurripere
22. *amici*] M. L. amici ſui
25. *orandæ*] M. perorandæ litis
393. 2. *adhibere*] V. habere
6. *honeſte*] V. L. hnneſta
11. *Phintiam*] V. M. L. Pythiam
15. *revertiſſet*] M. revertiſſet ad diem
16. *ipſi*] M. L. ſibl
22. *anteponatur*] V. M. L. anteponantur
394. 10. *ſæpe*] M. L. ſæpe elias
12. *Nulla*] M. nulla fuit
396. 17. *ais? tu*] M. L. agis? tute
397. 18. *an*] V. M. L. aut
20. *Antipater*] M. Antipater, imprnbe facit. Quid
398. 2. *bonam*] M. bonam (ut ipſi afferunt)
399. 6. *Romanus*] M. L. Romanus, homo nec
11. *Syracuſis*] M. L. Syracuſis, dixit
16. *poſtridie*] M. poſtera die
19. *oculos*] V. hortulos
20. *abjiciebantur*] V. projiciebantur
400. 7. *quæreretur*] V. M. L. quærerem
401. 13. *& diſſimulatione*] V. G. delent.
14. *ex*] M. in
403. 1. *non quiret*] M. G. nequiret
15. *iſtum*] V. M. juſtum
16. *reperimus*] M. L. reperiemus
20. *vitia*] M. L. vitia etiam
21. *eſſet*] M. eſſet cautum ea
ult. *dupli*] M. duplicem
404. 3. *aſturi*] L. facturi
10. *dare*] M. de ea re
13. *venundanda*] V. vendendo
405. 3. *vitii*] M. vitium
4. *præſtari*] L. præſtare
8. *aſtutos*] M. L. aſtus
14. *ſæpe*] L. ſæpe in eas
21. *hominum*] V. omnium inter nmnes
24. *Quod civile*] M. L. quod enim civile
28. *naturæ*] M. L. naturæ principiis, &
406. 5. *adderetur*] M. ageretur
407. 8. *peccari*] M. peccare
11. *fatiganti*] M. L. caſtigandi
16. *ætatis*] V. M. L. civitatis
408. 1. *num*] V. M. L. non
2. *cives*] M. L. civitatis
11. *perviderit*] V. M. præviderit
409. 7. *quid*] V. qui, M. L. quis
410. 9. *contritum*] V. M. G. tritum
15. *converrere*] V. M. convertere
ult. *ducere*] M. G. producere
411. 7. *prætorum*] M. prætnrium
12. *deſcenderent*] G. aſcenderent
15. *ſtatuæ*] M. ſtatuæ factæ ſunt
19. *non ita*] M. L. non habetur ita
412. 2. *qua*] L. ſi qua
15. *ei*] M. L. enim
18. *verſus*] M. L. verſus Euripidis de
28. *dicit*] V. dicat, L. ducit
31. *fatetur*] M. fateatur
34. *avellere*] V. evellere
413. 2. *verba*] V. M. verba
4. *Non*] V. M. L. nunc
13. *exercitu*] M. cum exercitu
27. *ſibi*] M. ei
415. 4. *qua*] M. L. quod
8. *utilem .... æquam*] M. L. æquam .... utilem
13. *putat ... dirigi*] V. ut putat ... dirigit
19. *alto*] M. altum
20. *ſua*] M. ſua non
24. *utervis*] V. M. G. uterque
416. 2. *micando*] V. dimicandn
cedat] M. cedet
15. *aſſentior*] V. aſſentiar
vinum] L. G. venenum
17. *Hæc*] M. hæ ſunt quaſi cnntroverſiæ in jure Stoic.
19. *ſed*] L. ſcilicet
ult. *ſolent*] M. ſolent dicere L. edicere ſnlent
417. 23. *is antequam*] G. inſanus qua
26. *optationes*] M. nptiones
418. 1. *ſana*] M. ſanæ mentis
6. *non honeſta*] V. inhoneſta
419. 1. *audiat*] M. L. audivit
5. *aſſimulavit*] L. ſe ſimulavit
7. *Iſtius*] M. L. iſtiu'
8. *ſacratum*] M. L. ſacratæ
12. *rem*] M. rem factaque veniamus, L. rem, noſtraque veniamus
23. *quid cenſes*] V. L. quem
24. *Num*] M. an
420. 28. *præverteret*] V. M. perverteret
421. 13. *affirmate*] M. affirmative
22. *dolere*] L. dolnr
422. 4. *habet*] V. M. habeat
12. *poeta*] M. poeta dicitur
13. *hoc*] M. L. hinc
17. *mens*] M. mens deferentis

24. *perjurare*] V. M. pejerare
424. 12. *ſacratæ*] M. G. ſacra
13. *notiones*] V. M. L. notationes
31. *Galli*] M. Gallo
425. 1. *qui*] M. qui nuper indulgenz
acerbe] M. acerbus &
5. *reditures*] V. reverſuros
14. *adſtringit*] V. M. diſtringit
426. 3. *videretur*] M. L. videret
13. *viris*] V. M. veliz
22. *intelligenter*] V. intelligetur
427. ult. *hoc*] M. hoc hactenuz
pluribus] M. pluribus verbiz diſputata
428. 4. *dicetur*] M. L. dicatur
ult. *monumentis*] L. monitiz
429. 1. *adjuro*] V. M. adjuto, G. adjuero
6. *ſed*] V. ſed fide plenus, L. ſed plenu' fidei
8. *Tite*] V. M. Attice
10. *deportaſſe*] L. reportaſſe
12. *ipſum*] L. ipſum ſentio
430. 3. *modice*] M. modeſte
13. *Hunc*] L. nunc, V. M. hunc vero
431. 11. *quam*] L. quam ſi
12. *conſolatione*] L. conſolatio
432. 1. SCIP.] V. M. L. LÆLIUS
2. *quam*] M. L. qua
6. *facillime*] L. facile
quæ] M. quas
21. *tolerabiliorem*] V. M. tolerabilem
24. *ut*] M. ut Themiſtoclem ſerunt
433. 3. *efferunt*] V. M. afferunt
434. 7. *unus qui*] M. L. unus homo nobis
ult. *Picentem*] V. M. G. Picenum
435. 3. *ferent*] V. G. ferrentur ... ferri
10. *augurii*] V. augurandi
19. *etiam*] M. L. enim
436. 7. *occuſem*] G. incuſem
9. *conferunt*] V. transferunt
22. *contemplor*] V. M. complector
24. *infirmius*] V. M. L. infirmum
26. *quanta*] V. quantum quæque valeat, quantumque juſta ſit
29. *in juventute*] M. G. juventute, L. juventa
437. 12. *hanc*] M. L. hæc
13. *annos*] M. L. aunis
14. *interfluxiſſent*] V. M. interfuiſſent
23. *velocitatibus*] L. velocitate
corporum] L. corporis
438. 10. *nominantur*] V. M. appellantur
11. *aut*] V. M. L. &
12. *ab*] M. per adoleſcentulos
15. *percontanti*] G. percontatuz
poeta] M. L. omittunt
17. *proveniebant*] L. provehebant, G. proventabant
oratores] L. ad res
18. *ſeneſcentis*] V. M. L. ſenectutis
439. 20. *annon in*] G. an in
23. *Romanos*] L. delet hanc vocem
440. 3. *modo*] M. tantummodo
8. *apportes*] M. apportet .... advenerit
13. *equidem*] V. M. etiam
deputo] M. reputo
24. *videmus*] V. vidimua
441. 3. *elephanti*] V. M. elephantis
17. *&*] M. & tamen
annos] V. M. annoz meoz
442. 16. *nuſquam*] V. M. L. nunquam
443. 5. *vivum*] M. L. delent.
8. *paulum* [M. L. paulum
9. *debeant*] L. debent
11. *ut & infirmitas*] V. M. ut enim infirmitas ... ſic ſenectutis .... habet
28. *imbecilli*] M. imbecilles
444. 5. *compenſando*] M. corrigenda, L. compeſcenda
9. *ſoli*] M. L. ſolum
10. *Nam*] L. num
13. *exercitando*] V. M. L. ſe exercendo
14. *comicos*] V. M. comicus
445. 1. *emancipata*] V. M. mancipata
extremum] V. ultimum
4. *probo*] M. laudamuz
8. *augurum*] M. L. augurium, pontificium
446. 16. *excitari*] L. incitari
voluptatis] M. voluptate
447. 9. *efficeret*] V. M. effecerit
10. *rationi*] L. rationiz
11. *præſtringit*] V. M. perſtringit, L. præſtinguit
448. 2. *dediſſent*] L. dedidiſſent
13. *inſomniis*] L. inſomnia
15. *divine*] M. L. divinus
ult. *crebra*] M. cereo
449. 7. *fient*] V. M. L. fiunt etiam
8. *delectationem*] M. L. delectationes
450. 5. *adhibetur*] V. M. adhibetur magiſtro in poculo
14. *affecta*] V. M. confecto, L. affecta
451. 6. *prope*] L. propter
17. *delectabat*] M. delectabatur, cum .... prædiceret
22. *Centone*] V. Cethego

452. 14. *occæcatum*] M. occatum
15. *compressu*] V. M. L. complexu
17. *culmoque*] L. calamoque
18. *spici*] V. M. spicæ
453. 6. *viviradices*] V. L. vites, traduces
16. *gustatu*] M. gustui
21. *jugatio*] V. M. G. conjugatio
454. 5. *agricultura*] M. L. agricola
21. *senatores, & iidem senes*] V. M. G. senatores, id est senes
24. *occupatum*] V. & occupare volentem, M. & occupantem
455. 8. *penaria*] M. L. penuaria
11. *supervacanei*] M. L. supervacaneis
14. *vinearum*] L. vinetorum
19. *habeant arma*] V. M. habeant alii
21. *natationes*] M. G. nationes
456. 20. *Recte*] G. rite
457. 4. *corvum*] V. M. G. Corvinum
5. *acta*] V. M. L. exacta
7. *interfuerunt*] V. interfuerant
13. *unicum*] L. uno ore
458. 8. *arripere*] M. afferre
9. *capit*] L. carpit
30. *corporis*] V. M. corporum
459. 5. *fiunt*] G. sunt
9. *ætas*] L. natura
19. *optanda*] M. appetenda
460. 9. *consecutus*] M. assecutus
16. *advenit*] M. advenerit
27. *adolescentiam*] M. L. adolescentia
461. 15. *spe*] L. re
audaciter] M. L. audacior
20. *Jam*] M. L. nam
462. 6. *tempus*] M. tempus durat
11. *qui*] M. quis
18. *morte*] M. morte sua
30. *a senectute*] V. M. in senectute
463. 7. *eam*] V. ea quidem vita
29. *quia*] V. qui
31. *esset ... haberet*] L. sit... habeat
464. 5. *Platonis*] V. M. Platonis sunt
22. *discedant*] L. discedat
27. *cum*] L. quoniam
465. 20. *ad*] L. ad immortalitatem, &
466. 1. *neve*] L. nec si, G. neque
468. 8. *etiam*] V. M. delent.
11. *justitia*] V. industria
13. *multa*] M. multa narraret
469. 1. *enim*] V. M. enim profecto
3. *quocum*] V. M. quicum
10. *Ejus*] M. cujus
in hoc] G. delet, *in*
12. *atque*] V. M. atque ideo feci, ut
25. *meminisset*] M. meminisset magister meus Scævola
470. 6. *tu te ipse*] V. M. tu ipse, G. teipsum
8. *ista*] M. G. ista vera
13. *mada*] M. L. modo dicunt
471. 4. *ex te*] V. M. ex hoc item Scævola
21. *qui*] V. M. quod
ult. *hi*] V. M. hi ne comparentur Catoni Maximo, & spectato
474. 11. *vesperum*] V. M. vesperam
12. *populo R.*] V. G. populi R. sociis
14. *videatur*] L. G. videatur Deos
25. *corpore*] V. L. corporibus
475. 16. *fuerat*] M. L. fuit
ult. *disputaris*] M. disputabis
476. 1. *pergratum*] M. pergratum hoc
5. *præclara*] M. præclara visa
29. *libido, audacia*] M. G. vel libido, vel audacia
31. *quia*] M. qui assequuntur, V. L. qui sequantur
33. *bene*] V. M. recte
477. 2. *potiores*] M. L. potiores sunt
7. *autem*] V. enim
24. *docti*] M. indocti
26. *Gallos*] V. M. Cajos
30. *cui*] L. quæ, G. quis
478. 10. *igni*] M. igni, non aere, ut
17. *bona spe*] L. bonam spem
25. *vinctionem*] V. M. conjunctionem
28. *enim*] V. autem
479. 5. *extitit*] M. existit
20. *Tum*] V. M. tu
480. 2. *num*] L. utrum
12. *indigentia*] L. imbecillitate
481. 19. *ex*] V. ab
natam] V. L. nasci
26. *indigens*] M. erat indigens, L. indigebat
482. 16. *certatio*] L. concertatio
21. *ad hæc*] M. L. adhuc
26. *erga*] V. M. L. vero
31. *sentirent*] V. L. sentiretur
483. 1. *prætexta*] M. prætexta sumpta toga deponerentur
19. *gigni*] M. gigni maxima, atque
fata] V. fato
484. 5. *Etiamne*] V. M. L. etiamne, inquam,
20. *videmus*] V. vidimus Paulum
27. *proditum*] M. L. traditum
485. 1. *contendisset .... impetraturum*] V. contendissent .... impetraturos
impetraturum] G. imperaturum

5. *acer-*

5. *acerrimus*] V. acerrimus inimicus, M. acerrimus hostis
ult. *Scipionem*] L. Nasicam
486. 1. *Carbonem*] V. M. Carbonem quoque, quem modo posuimus
13. *in*] M. in magna re aliqua in Rep. L. in Remp.
18. *pulsus*] V. G. missus
25. *vel*] V. M. L. delent.
487. 2. *studium*] M. L. sed studium
3. *vero*] V. M. L. verum
11. *verum*] V. M. L. rerum curam
24. *putantur*] L. videntur
28. *reapse*] V. M. reipsa
488. 4. *animi*] L. delet.
13. *& bonis*] V. M. L. ex bonis
diffundantur] V. M. diffundatur
14. *contrahantur*] V. M. contrahatur
18. *contrahat*] V. M. contrahat virtus
20. *contingit*] V. contigerit, L. contigit
amor] M. L. amor ibi
28. *alliciat*] G. illiciat
29. *concedetur*] V. M. concedatur
489. 8. *cum*] V. M. cum amore &
10. *præditi*] L. G. delent.
17. *deliciis*] M. divitiis
25. *locus*] V. M. locus est
27. *putat*] V. L. putet
simulatione] V. M. L. simulatione amicitiæ
ult. *ferunt*] V. fertur
tum] V. M. tum cum exul esset
490. 2. *miror*] M. L. miror in
12. *indulgere*] M. L. indulgeri
13. *cum*] V. M. L. ut
14. *pecunia*] V. M. G. pecuniam
15. *vestem*] M. vestes egregias
17. *parant*] V. parantur, cui parentur
26. *amicum*] L. amicos
491. 3. *Multæ quoque*] G. multæque
8. *vocare*] M. revocare
10. *restricte*] M. L. stricte
14. *ipse*] V. ipsum
19. *in spem*] G. delet, *in*
28. *amicus*] M. L. amicus ejus esse poterit, cujus se
492. 10. *caput*] M. de capite
15. *assentationibus*] G. affectando
24. *eligendi*] M. deligendi
493. 1. *currum*] M. L. cursum
3. *Quidam*] V. M. L. quidam autem
10. *jus*] V. M. vis
18. *inventu*] M. inventus
494. 1. *consentientem*] V. L. consentientem, & qui, M. consentientem, id est, qui
7. *oblatis*] M. illatis
12. *ingenui*] M. ingenuum, L. ingenui hominis
14. *allatas*] M. oblatas, L. illatas
repellere] M. depellere
19. *severitas*] M. severitas absit: habet
26. *Veterrima*] M. L. vetertimæ .... suavissimæ
33. *Atqui*] L. quin
495. 3. *montuosis*] M. L. montosis
14. *eam*] G. ea
18. *ignorationem*] V. M. ignorantiam
24. *maximus*] M. L. maxime
25. *amicitiæ*] M. L. amicitia
26. *exæquare se*] V. se æquare
27. *amicie*] V. G. omittunt hanc vocem
496. 18. *colendi*] L. amandi
24. *ne*] V. M. ne quis
25. *quædam*] V. M. quadam
498. 11. *Rerum*] M. rarum istud
23. *is*] V. L. is qui est, M. is amicus quidem, qui est
24. *nantibus*] sit V. nantibus suibus, M. L. natantibus
29. *homine*] G. hominis sit
499. 2. *tractamus*] V. M. tractabamus
14. *posset*] V. potest
30. *maxime*] M. tam maxime, L. maxime tam
500. 15. *otiosi*] M. L. otiose
18. *vitam*] L. G. vitas
22. *congressus*] M. ut congressus societatemque hominum fugiat
501. 3. *adspiciendi*] G. adipiscendi
502. 10. *habenda*] L. adhibenda
17. *clausæ*] L. ita clausæ
23. *vacare*] M. carere
25. *correctione*] M. L. objurgatione
ult. *blanditiam*] V. M. blanditias
503. 7. *vis*] V. jus
16. *assentari*] L. assentiri
504. 3. *illa*] V. M. illi
9. *videbatur*] L. ferretur
506. 8. *assentator*] M. L. assentatio
20. *Epiclera*] V. M. Epicureo
21. *comicos*] V. coamicos
507. 4. *ad*] V. M. ad illam primam redeamus, eamque ipsam
508. 2. *oriatur*] V. M. L. oriatur ex alio
6. *anquirendi*] M. L. acquirendi
13. *suscipiet*] V. concipiet

17. *paf-*

17. *possim*] V. possit comparari
25. *otiosum*] M. otium tempusque
ult. *sint*] M. L. sunt
509. ult. *præstabilius*] M. L. præstabilius esse
510. 13. *minutis*] V. M. L. sed minutis
511. 12. *appellant*] M. L. appellantur
16. *hoc*] V. L. delent.
eorum] V. M. mearum
512. 2. *appareat*] M. videatur
12. *esse*] M. L. numerandas esse
viderem] V. M. L. viderem homines
13. *circumfluentibus*] M. L. G. circumfluentes
19. *verbo*] M. solo verbo
513. 2. *vult*] M. velit
6. *in*] M. inter septem sapientes
20. *aut*] M. L. atque
26. *Quid*] M. Quid autem Numa Pompilius ? G. Quid ? a Numa Pompilio,
514. 1. *filicatas*] M. delicatas
aliorum] L. istorum
3. *Brutum*] M. L. Brutum vero
5. *existet*] V. M. L. existat
10. *qua filium*] G. qui fil.
11. *devotavit*] V. M. devovit
17. *cogitasse*] V. an cogitasse, M. an putamus quemquam horum cogitasse
18. *esse*] V. omittit.
20. *isti*] M. omittit.
515. 1. *atque inter*] G. delet, *inter*
aliquam] M. aliquid
2. *Quidquam*] M. L. quidquamne
3. *id*] M. L. delent.
facit] M. faciat
8. *gloriando*] L. gloriatione, G. gloria
effert] L. extollit
20. *præsidio*] M. L. præsidio munitus
comitatu] M. comitatu circumseptus, L. septus
ult. *cui spes*] M. cujus autem
516. 1. *nihil quod*] G. nihil quo
2. *sibi*] M. sibi ne unum quidem, L. sibi nec unum
3. *istis*] M. L. istius modi
13. *exilium*] M. exilium autem terribile illis.
16. *premunt*] V. M. L. premunt omnes
18. *idipsum*] M. idipsum, quod habes, ne non diuturnum, L. idipsum ut diuturnum sit, times

517. 1. *exanimant*] L. exanimat
2. *respirare*] V. suspirare
5. *nemo*] G. non
9. *debet*] V. G. decet
13. *inquis*] V. L. inquit
14. *eventu*] V. eventis
16. *quoque*] M. L. quoquo te
518. 2. *transilire*] V. M. L. transire
8. *nascuntur*] V. M. nascantur
28. *huic*] V. huc
519. 3. *recte*] M. L. recte etiam
6. *inquis*] V. L. inquit
10. *utrum bonis*] M. L. utrum potius de bonis
16. *afferant*] M. inferant
19. *ponas*] L. pones, judicare ... possim
25. *utro*] M. alteri, L. altero
26. *sit*] V. L. est
28. *obsit*] V. id sit
520. 4. *fingere*] L. figere
5. *paulum*] M. paulo
7. *qua .... debet*] G. qui .... debes
9. *peccare*] V. L. peccasse
11. *Si visa*] G. Quæ si visa sunt breviora, leviora qui
522. 10. *qua*] M. quæ tum
17. *pervenisse*] M. pervenisse tamen ad
18. *inferebas*] M. L. inferebas, tunc
523. 3. *invitissimo*] M. invicta
9. *civis*] M. civis eram
11. *quidem*] M. quidem es civis
21. *me*] V. M. me ante
25. *Num*] V. M. L. non
524. 17. *primum*] M. L. prius
525. 14. *Feruntur*] M. L. referuntur
17. *cedit*] M. L. cedit : quæ
ult. *liber*] M. L. liber videatur
526. 11. *At sumus*] M. ex summis, V. G. & sumus
14. *servitutis*] M. L. G. civitatis
obtinent] M. tenent
22. *sunt*] V. sint
28. *atriensem*] M. L. Atriensem servum
527. 1. *videat*] V. videant
2. *mullos*] V. M. mullulos
9. *affectetur*] M. assentatue
10. *muneratur*] M. miratur, L. munerat
12. *liberalior*] M. liberior
18. *cupiditatum*] V. cupiditatis
27. *debilitati .... fracti*] V. debilitata .... fracta

528. 8. *libe*

528. 8. *liberum*] M. libertum
529. 14. *opus*] M. satis
21. *tantis*] M. L. ex tantis
530. 10. *intercessiones*] V. G. intercisas
12. *ad*] M. ad fœnerandas
531. 10. *æstimemus*] M. L. æstimabimus
18. *divitiæ*] M. L. divitiæ positæ
532. 7. *quidem*] M. quidem essemus
12. *magno*] M. magni
22. *positos*] V. M. L. positas possessiones

FINIS.

TOMO SECUNDO CONTINENTUR

TOMO TERTIO CONTINENTUR



